# COMMENTARII CRITICI

IN

# CODICES BIBLIOTHECAE ACADEMICAE

## GISSENSIS

## GRAECOS ET LATINOS

## PHILOLOGICOS ET MEDII AEVI HISTORICOS AC GEOGRAPHICOS.

---

CUM

## APPENDICE CRITICA

VARIARUM LECTIONUM

ET

QUORUNDAM CARMINUM LATINORUM MEDII AEVI

NUNC PRIMUM

E CODICIBUS EDITORUM.

---

ADDITAE SUNT TABULAE LITHOGRAPHICAE II.

---

SCRIPSIT

**DR. FRID. GUIL. OTTO.**

COLLABORATOR SEMINAR. PHILOL. GISSENS. ET MAG. GYMNAS. EXTRAORD.

Quae secreta diu noctis latuere sub umbra
Eruta de tenebris cupiunt sub luce videri.
Tecta patent, obscura nitent, antiqua novantur:
Sis judex operis placidus censorque benignus!

GISSAE.

IMPENSIS GEORG. FRIED. HEYERI.

MDCCCXLII.

TYPIS G. F. HEYERI PATRIS.

VIRO MAGNIFICO PERILLUSTRI CONSULTISSIMO

# JUST. TIMOTH. BALTH. DE LINDE

JURIS UTRIUSQUE ET PHILOSOPHIAE DOCTORI ACADEMIAE CANCELLARIO MAGNO DUCI HASSIAE A CONSILIIS REIPUBLICAE GUBERNANDAE INTIMIS COLLEGII STUDIORUM MODERANDORUM SUPERIORIS DIRECTORI ORDINIS HASSIACI LUDOVICIANI PRAEFECTO ET AUSTRIACI LEOPOLDINI EQUITI

FAUTORI AC PATRONO LITERARUM

IN CIVITATE HASSO-DARMSTADINA MAXIMO

HOC OPUS

SUMMAE REVERENTIAE TESTIFICANDAE CAUSA

D. D. D.

AUCTOR.

Mos praeclarus est, quem ab antiquitate repetitum adhuc retinemus, ut, quemadmodum clarorum memoriam virorum deque republica ac nobismet ipsis optime meritorum, quum e vita excesserunt, monumentis consecramus, sic memoriam vivorum libris nomine eorum inscriptis ornandam colendamque existimemus. Hunc ego morem secutus hos *Tibi, Vir Illustrissime,* Commentarios Criticos in partem codicum bibliothecae academicae Gissensis inscripsi, non quo Te, cujus nomen non jam domi solum, sed etiam apud exteras gentes celebratum est, scriptis meis ullo modo ornari posse putarem, sed quod Tibi non prorsus ingratum fore existimavi, si otium meum literatum in ejusmodi rebus consumi cognosceres, quae a parte mu-

neris Tui amplissimi, quod in republica nostra sustines, non plane alienae essent, qui praeclarissimam bibliothecae academicae Gissensis gereres tutelam, cui hoc opus meum originem debet. In quo si quid, quantulumcumque illud est, ad egregios illius thesauros illustrandos contulisse videbor, non Te aegre laturum spero, modo ne nimiam spem ea de re concipias, quae ne decipiatur, vehementer vereor. Vale Vir Illustrissime.

Scripsit Illustrissimi nominis Tui observantissimus

Gissae Kal. Octobr. MDCCCXLII.

**Otto.**

# PRAEFATIO.

Quum libri manuscripti bibliothecae academicae Gissensis maximam partem angustis olim ac tenebricosis locis inclusi quasi ad aeternas tenebras damnati jacuissent, paucis vel noti, vel inspecti, vel perlustrati, nunc vero e tenebris istis erepti et a Viro Clarissimo Adriano, praefecto illius bibliothecae primario, in ordinem adducti egregieque dispositi in amplis ac spatiosis et magnificis aedibus omnibus hominibus literatis ad inspiciendum utendumque pateant, nihil sane doctis et eruditis viris atque adeo literis ipsis gratius accidere potuit, quam ut eidem viro clarissimo mandatum honorificentissimum daretur *Catalogi omnium librorum manuscriptorum bibliothecae academicae Gissensis* conficiendi, praesertim quum illustrissima ac copiosissima bibliotheca Senkenbergiana, quae olim ab illa separata fuit, nunc cum ea sit conjuncta. Qua in re recte administranda cum quantis ei difficultatibus ac molestiis conflictandum fuerit, quanti labores sustinendi, quamquam nos quidem non fugit, tacere tamen praestat, quod ipse illa pluribus verbis persequi permodeste praetermisit. Unum hoc non praetermittendum videtur, tanta eum assiduitate, diligentia, doctrina in obeundo illo munere esse versatum, quanta vix ab eo exspectatur, qui primus abditos illos thesauros in lucem revocavit et aditum ad eos patefecit *Catalogo omnium codicum bibliothecae academicae Gissensis edito*, quo jam duce cognosci licet, quanta copia librorum manuscriptorum in illa bibliotheca extet, quorum ante biennium vix vestigia extiterunt. Sed quod non numeros tantum ac nomina codicum tenere satis esse possit ei, qui studiorum causa iis uti velit, nisi simul sciat, quantum illis auctoritatis tribuendum sit, nobis, quum *Catalogum* illum in manus sumpsissemus ubertatemque rerum in eo tractatarum admirati essemus, maxima cupiditas nata est, codices illos, qui diu in tenebris jacuerant, penitus pernoscendi. Cujus rei facultas nobis data est singulari humanitate, comitate liberalitateque Viri Clarissimi Adriani, qui mihi *codices philologicos quum antiquioris, tum recentioris aetatis et medii aevi historicos ac geographicos latinos, in quibus Itineraria Terrae Sanctae continentur, et nonnullos alios, qui cum antiquitate aliquam rationem habere videbantur,* domi inspiciendos, conferendos, excerpendos petenti lubentissimo animo obsecutus doctrina etiam sua literarumque scientia multum studia mea adjuvit. In illo autem codicum perlustrandorum negotio quum aliquamdiu occupatus fuissem, non copia solum codicum obstupui, sed etiam perspexisse mihi visus sum, nos, quamquam bibliotheca nostra non tanto praestan-

tissimorum numero codicum referta esset, quanto vel *Vaticana* Romana, vel *Parisiensis*, vel *Vindobonensis*, vel aliae clarissimarum urbium, tamen, si non numerorum rationem ineas, sed praestantiae, multos codices habere, qui vel celebratissimis maximarum urbium bibliothecis magno ornamento esse possent quorumque causa nostram bibliothecam adire non minus dignum esset, quam urbium Europae nobilissimarum. Quo in numero quum nonnulli *antiquioris aetatis* codices sunt, ut Justini *Historiarum Philipp.* (cod. LXXIX.), Boethii *de Consol. Philos.* (cod. LXXXV.), Pauli Diaconi *Historia Longobard.* (cod. DCLXXXVIII.), tum inprimis *medii aevi*, ut Roberti Monachi *Historiae expedit. Christian. Hierosol.* (cod. CLVIII.), Martini Poloni *Chronici* (cod. CLX.), qui libri tam incorrupti tamque integri esse videntur, vix ut melius eorum exemplum in ullis terris extare crediderim. Quae quum ita essent, nulla re melius me de hominibus literatis mereri posse putavi, quam si, mecum reputans, quantae essent difficultates ac molestiae et impensae in utenda bibliotheca nostra academica non tam nostris hominibus, quam externis suscipiendae, illos quidem codices, quos supra commemoravimus, de quibus judicare posse mihi videbar, praemissa descriptione externa e *Catalogo Adrianeo* cum supplementis repetita ita describerem, ut luculenter perspiceretur, *quantum utilitatis e codicibus illis ad literas redundare posset*, si quis recte eis uteretur, et partim *exempla* ex iis afferrem, partim *integrum variarum lectionum apparatum et inedita* nonnulla, ut docti atque eruditi viri, qui ubique sunt, haberent, unde codices nostros cognoscerent iisque partim uterentur ut suis.

Quo in negotio tractando quam viam sim ingressus, jam tempus esse videtur exponere. Ac primum quidem omnium, quum non ipsis nobis totam bibliothecam perscrutari liceret, *Catalogum Adrianeum* in manus sumpsimus eoque duce confisi omnes codices, qui ad nostram rem pertinere videbantur, in adversariis nostris notavimus singulosque deinde domi per singulas paginas ita lustravimus, ut singula opera eorumque partes et particulas, quae in *Catalogo* essent notatae, diligenter denuo inspiceremus compararemusque, et si quid in illo Catalogo vel non recte descriptum (v. c. in describendo cod. LXXXII. fol. 83 b., de quo v. *Comment. Crit.* p. 14. IV et V. 2. lit. b.), vel praetermissum videretur (v. c. in cod. DCLXXII. 5., de quo v. *Comment. Crit.* p. 22. X. 5.), in chartas nostras conjiceremus, ut ne minimae quidem reliquiae eorum, quae nos in *Commentariis* nostris describenda suscepissemus, omitterentur. (vid. v. c. *Comment.* p. 32. *Addenda* ad descriptionem Adrianeam cod. CLX.).

Singularem autem quandam operam collocavimus in constituendis iis, quae vel Adriano (vid. v. c. *Comment.* p. 29. seqq. ad cod. CLVIII.), vel mihi ipsi nondum typis impressa videbantur (vid. v. c. *Comment.* in eund. cod., quem modo commemoravimus, p. 30.), in quo, si quis existet, qui hoc illud, quod utrique nostrum ineditum visum sit, editum esse demonstret, is per me quidem gloriola ista sua fruatur licet, sed ita, ut literarum causa et ipse laeter eique gratuler, quum ego quidem me hominem esse fatear, qui neque ubique locorum sim, neque omnia sciam.

Praeterea et in constituendo seculo, quo singuli codices scripti essent, et in investigandis locis, ubi olim fuissent, et in librariorum possessorumque pristinorum nominibus eruendis multum operae posui, non quo id agerem, ut historiam codicum conficerem, cujus fundamenta jacta sunt in diario, quod inscribitur *Journal für Deutschland* 1791.

p. 968—973. et ibid. p. 643—651. et in diario, cui nomen est *Frankfurter Gel-Anz.* 1741. n. 88—92. et in *A. Boehm* Dissert. de libris quibusdam rarioribus Bibl. Giss. Gissae 1771. 4. et in *Ayrmann* Spec. libr. rarior. Blibl. Giss. Giss. 1733. 4. denique in diario, quod vocatur *Hessisches Hebopfer theologischer und philologischer Anmerk.* Giessen 1739. St. 19 et 20., sed ut *familiae* codicum, quae vocantur, id quod maxime ad rem nostram pertinet, non solum internis rationibus, sed etiam externis, i. e. historicis constituerentur, quo certius de nostrorum codicum ratione cum codicibus aliarum bibliothecarum judicari posset. Quamquam enim interna codicum conditio, quae maximam partem ad orationis formam spectat, persaepe non minus certa argumenta continet, quibus codicum familiae cognoscantur, nequaquam tamen tam certa insunt in ea re veri indicia, quam in codicum historia ipsa, quod diversi codices, quos ex una familia ortos esse certissimis testimoniis comprobari potest (vid. *Comment.* in JUSTINI *Hist. Philipp. Gissens.* et *Marburg.* p. 3—9.), saepe tamen inter se discrepant, quae discrepantia, si historiae testimonium extat, quo alter codex ex altero descriptus esse demonstrari possit, facile, quomodo orta sit, invenitur. Quamobrem, quoniam non ubique mihi contigit, ut certi quid in his rebus historica ratione constituere possem, vel omnia, vel graviora certe opera, quae in uno aliquo volumine manuscripto extarent, quamvis nihil ad nostram rem pertinerent, in externa codicum descriptione commemoravi, ut, si quis in aliarum bibliothecarum uno alterove volumine eadem opera conjuncta inveniret, tanquam ansam aliquam haberet, cujus ope, si luberet, ultra in perscrutando eo pergeret, quod ipse inchoassem, et, si prosperiore fortuna uteretur, opus a nobis inchoatum perficeret. Augebatur autem difficultas illa *familias* codicum indagandi, quibus nostri codices essent adscribendi, eo, quod multi scriptores editi sunt, quorum exempla critica, ut fit in plurimis medii aevi scriptoribus, vel plane desunt, vel non satis pleno apparatu critico instructa reperiuntur. Et tamen, si modo paululum lucis in caligine ista ac tenebris intermicaret, quidvis potius conatus sum, quam desisterem aliisque molestus esse malui, quos unius alteriusve scriptoris codices manuscriptos domi comparatos habere scirem, quam modestus, cujus meae immodestiae vide exemplum in *Comment.* p. 19. VII. In his autem, in quibus nihil effeci, laetabor, si quis alius felicior me erit; quod ut fieri posset, eo dedi operam, quod non solum multorum codicum integram lectionum diversitatem, sed etiam exempla *variarum lectionum* omnium eorum codicum et in *Commentariis Criticis* ipsis et in *Appendice Critica* attuli, qui non prorsus contemnendi viderentur, quo in numero est codex pessimus LXXXVII., de quo vid. *Comment.* p. 13. 4.

Denique id egi, ut, si qui scriptores minus noti in codicibus nostris extarent, id quod saepe in scriptoribus medii aevi fit, et libros indicarem, in quibus de vita ac scriptis eorum et de codicibus ageretur et codices commemorarem, quos in aliis bibliothecis extare legissem, et rara exempla edita. Quam ad rem prospere gerendam magno mihi adjumento fuisse SAXII *Onomasticon Literarium*, THEOD. GRAESSII librum, qui inscribitur *Lehrbuch einer allgemeinen Literärgeschichte aller Völker (Literatur des Mittelalters)*, FABRICII *Bibliothecam latinam medii aevi*, CAVII librum *de Scriptoribus Ecclesiasticis*, FREHERI *Directorium Chronicorum*, GUALTERI *Chronicon Chronicorum*, Polycarp. LEYSERI *Historiam poetarum et poematum medii aevi*, ENDLICHERI *Catalogum codd. philol. bibliothecae Caesareae Vindobonensis* cet., grato animo profiteor.

Porro de internis codicum vel virtutibus, vel vitiis meum judicium paucis verbis libere feci, nullo domesticarum opum studio, ut saepe fit, corruptus.

Externam codicum descriptionem, quae ab interna vix commode potest dijungi, quod ea tamquam corpus cum animo cohaeret, ex *Adriani Catalogo* repetendam duximus, non quod nostris viribus hac ex parte prorsus diffideremus, quamquam nos non eum in his rebus usum et peritiam habere confitemur, quantum eos, qui bibliothecis praesunt quique quasi in iis habitare videntur, sed ne viri docti ignorarent, quid is de his codicibus tradidisset, qui et primus eos ex tenebris in lucem revocasset et auctoritate in his rebus multum me antecederet in cujusque humeris inniterer, simul ut certa norma ac regula extaret, ad quam viri harum rerum periti in comparando opere nostro cum Adrianeo judicarent, ne vel Adriani, Viri Clarissimi, meritis quid detraherent, vel de mea opera iniquum judicium facerent. Accedit, quod in illa descriptione Adrianea nonnulla explevi, quae mihi vel plane deesse, vel non satis recte copioseque exposita viderentur, quae ut a descriptione Adrianea distinguerentur, uncis, quos vocant, inclusi, v. c. *Commentar. [Alexandri ab Hales.]* Denique etiam pecuniis eorum providere voluimus, quorum quum eam tantum partem codicum cognoscere interesset, quam nos tractavimus, illo opere carere mallent, quam meo.

Sed ut ii, qui vel propter difficultates illas ac molestias, vel propter nimias impensas, quas supra p. II. commemoravi, impedirentur, quominus codices nostros ipsi inspicerent, perlustrarent, usurparent, si quid in eo literarum genere elaborare vellent, quarum subsidia manuscripta nos in nostra bibliotheca academica habemus, ad suam voluntatem tamquam de suo haurirent, eam nos hujus rei tractandae viam ingressi sumus,

*Primum* ut, quum initio philologicarum rerum maxime rationem habere constituissemus, optimorum codicum, in quibus vel *classici* scriptores, vel meliores insequentium temporum continentur, integram lectionum varietatem vel secundum optima exempla edita, si facile omnibus praesto esse viderentur, vel, ubi id non exspectari licebat, v. c. in edit. Justini *Bongarsiana* secundum ea, quae facile parabilia, vel denique secundum ea, quae non nimium a vulgatis exemplis discreparent, quod in editione Justini *Duebneriana* factum est, tanta diligentia atque religione enotatam in *Appendicis Criticae* Parte II. afferrem, ut nullam literam vel nativam, vel per correctionem ortam, vel ita erasam, ut tamen loco raso nativa scriptura intermicaret, omitterem, quae ab editis exemplis discreparet, quod una hac ratione effici posse putavi, ut *familiae* codicum, id quod in *Justino* certe fieri potuit, certissimis testimoniis reperiri possent, siquidem externarum codices bibliothecarum eadem cura, diligentia, religione essent comparati. Quare, quamquam vereor, ne quibusdam in his rebus religiosius ac scrupulosius versatus esse videar, quam necesse fuerit, tamen istam ipsam μικρολογίαν in me reprehendi malui, quam negligentiae crimen subirem ab iis, qui, si dis placet, ipsi μικρολόγοι sunt, cujus exemplum μικρολογίας manifestissimum erit, credo, *varietas lectionis* e cod. *Gissensi* et *Marburgensi* Justini *Histor. Philipp.* et e codice Pauli Diaconi *Histor. Longobard.* in *Append. Crit.* Part II. enotata. E codicibus autem scriptorum medii aevi *exempla* tantum *variarum lectionum* vel *plura*, vel *pauciora*, prout res postulare videbatur, in *Commentariis Criticis* ipsis attuli adjuncta descriptioni codicum ipsi, non quo non aeque digni tali studio atque honore viderentur, sed quod neque consilii mei erat, nimis copiosum esse in tractandis rebus iis, quae ad *medium aevum* pertinent et bibliopola recusabat, quominus omnium codicum

omnem lectionum varietatem in hoc opere afferrem. Sed ut de horum quoque codicum auctoritate critica certa norma judicandi esset, exempli causa nonnullas *varias lectiones* attuli. Ac ne mercenaria quadam opera in colligendis variis lectionibus functus esse viderer, sed aliorum studiis aliquantulum succurrerem, notam interrogandi (?) addidi lectionibus codicum iis, quas ipse probarem, et si quod mendum scripturae in aliqua lectione inesset, quod emendatione facile tolli posse videretur, emendare id conatus sum causamque emendationis breviter exposui vel simili exemplo allato, vel libro indicato, in quo ejusmodi exemplum extaret, quod rem conficeret. In afferendis autem lectionibus compendiaria quadam ratione usus ibi, ubi nulla obscuritas timenda erat, non integras voces attuli, sed eas tantum syllabas, in quibus *diversitas* posita esset, v. c. *com*pos.] *con*pos., quae concisior ratio scribendi significat, in cod. *con* pro *com* extare. Singulas literas, vel syllabas, ad quas *diversitas lectionis* spectaret, initio *cursivis* literis, quas vocant, notare constitueram, cujus rei exemplum extat in *Comment. Crit.* P. I. p. 31., sed quod id procedente opere nimis operosum esse apparebat, postea id facere omisi. Praeterea, ubi per apparatum criticum exemplorum editorum id fieri licebat, simul nomina eorum codicum addidi, qui cum nostris codd. consentirent, quo *familiarum necessitudo*, quae inter nostros codices et externos intercederet, perspicue eluceret, et ubi nos in comparando aliquo codice exemplo edito usi sumus, quod nimium a codice discreparet, id quod in editione *Fischeriana* Justini accidit, ejus quoque exempli editi vel editoris nomen adjunximus, cujus scripturae cum nostro codice convenirent, ut in editione *Duebneriana* factum est, v. c. occisus] occisus *sit* G. M. D., i. e. *occisus* est in edit. Justini *Fischer.*, occisus *sit* habent codd. *Giss.* et *Marburg.*, cum quibus convenit edit. *Duebneriana.* Magna autem difficultas nobis allata est in librariorum notis, quae *compendia* vocantur, literisque Graecis majoribus, quae in *Latinis* codd. reperiuntur, et *chirographis* per typos ligno incisos imitandis, quibus in rebus non ubique exemplum codicum ipsum satis fideliter expressum esse, permoleste fero. Graeca autem verba, quae in egregio cod. *Boethii Consol. Philos.* Nr. LXXXV., et in *Martiano Capella* reperiuntur, in tabula lithographica exprimenda curavi. Denique ex iis quidem codicum thesauris, qui nondum editi videbantur, *exempla rerum* in iis *tractatarum* in *Commentariis Criticis* ipsis attuli, quo cognosceretur, utrum haec illa res iam alicubi edita, vel certe aliunde nota esset. His quoque exemplis notas nonnullas perbreves ac pernecessarias vel historicas, vel criticas, vel ad librorum adjumenta spectantes addidi.

Adversaria Philologica doctorum antiquiorum, quae in bibliotheca nostra academica servantur, in quibus multa vel ad emendandos, vel, quod saepius fit, ad interpretandos scriptores Graecos et Latinos collecta sunt, in summa rei difficultate ac molestia, quod plurima multis locis dispersa jacent, tam diligenter pervestigavi, ut perpauca repertum iri sperem, quae a me praetermissa sint, si quis post me denuo ea perquirat. Et ut hujus quoque codicum generis argumentum penitus cognosceretur, *exempla* ex iis adversariis attuli, quae hodie quoque operae pretium esset accuratius cognoscere.

Postremo de *Carminibus* nonnullis *Latinis medii aevi* a nobis e codicibus partim primum in lucem prolatis, partim nunc demum integris editis pauca verba facienda sunt, quum *Graeca carmina*, quae in nostris codd. extant, partim aliunde satis nota sint (vid. *Comment.* p. 112. 2.), partim vix editione digna (vid. *Comment.* p. 109.). Quamquam

multos fore videbam, qui Latina quoque carmina medii aevi, quae edidissem, non digna editione habituri essent, quippe in quibus ut maximam partem ex imitatione ortis neque domestica illa ac nativa vis ingenii spiraret, qua classicorum poetarum Latinorum, qui vocantur, carmina praestarent, et sermo latinus medii aevi barbarie corruptus multum a pristina puritate et suavitate orationis Latinae abesset, tamen his ego reprehensionibus ab edendis carminibus illis non deterritus sum, non quod prorsus injustas eas haberem, sed quod neque omni ex parte veras esse putavi et graviores etiam causae me, ut arbitrabar, ad edenda ea impulerunt. Nam primum quidem in carminibus latinis medii aevi non tam verba spectanda sunt, quam res. Atque hac quidem ex parte permultae possunt esse rationes, quare ejusmodi carmina nequaquam contemnenda putemus. Nam quum certissimis testimoniis demonstrari posse videatur, studium poeticae latinae medio aevo non ita jacuisse, ut multi opinantur, multae res a poetis illius aetatis vel solis tractatae sunt, vel melius, quam a scriptoribus, quas si cujus interest e fontibus ipsis cognoscere, per hos solos cognosci licet. Quare et ad historiam medii aevi et ad literas moresque ejus penitus cognoscendos poetae illi plurimum conferunt. Interdum etiam factum est, ut poetae illi poetarum Latinorum classicorum carminibus ad sua carmina exornanda usi in aliud ea argumentum transformaverint, unde exemplum illud, e quo suum carmen composuerunt, periit, cujus reliquiae velut ex naufragio collectae hac una ratione ad nostram memoriam pervenerunt, cujus rei nos insigne exemplum attulisse videmur in *Commentariis* nostris p. 98. XXI. Deinde historia poesis latinae medii aevi ejusque necessitudo cum vetere poesi Germanorum, quae maxima est, hoc modo optime cognoscitur. Denique ad historiam latini sermonis quum universam, tum inprimis medii aevi melius cognoscendam non parum illa carmina conferunt. Neque ego sic existimo, omnia ea, quae apud medii aevi poetas singularia sunt vocabula, dictiones et structuras, quae apud antiquiores poetas latinos non reperiuntur, medio aevo demum esse inventas ac pro barbaris inusitatisque habendas, sed extare in iis multa vestigia antiquioris sermonis latini partim e vulgari lingua Romana ductas, partim e poetis Romanis, quorum opera temporum injuria perierunt. Sed quod de his et multis aliis ejusmodi rebus olim Polyc. Leyser. *de ficta medii aevi barbarie* multa praeclare exposuit, cum quibus comparanda est ejusdem praefatio in *Historiam Poetarum et Poematum medii aevi* Halae Magdeb. 1721. 8., nostra autem memoria Vir Cl. *Jac. Grimm* in praefatione libri, qui inscribitur: *Lateinische Gedichte des X. und XI. Jahrhunderts, herausgegeben von Jac. Grimm und Andr. Schmeller.* Götting. 1838. 8., satis copiose acuteque disputaverit, nolo ipse plura hic addere, ne praefatio justum modum excedat. Quamquam autem difficile est scire, utrum ejusmodi carmen alicubi jam editum sit, an non, quum non omnes bibliothecarum latebras perscrutari liceat, ut unum alterumve ejus exemplum rarissimum uspiam ab incunabulis artis typographicae profectum investigetur, tamen omnia ea carmina, quorum in iis quidem libris, qui mihi praesto fuerunt, nullam mentionem factam vidi, pro ineditis habui et, si digna mihi editione viderentur, edidi notis brevibus additis, quibus vel librariorum menda tolluntur, vel loci obscuriores explicantur, vel, quantum mea me memoria in ea re adjuvit, antiquiorum poetarum versus afferuntur, quos, ut fit, poetae medii aevi vel integros repetiverunt, vel imitati sunt, ut *Virgilii, Ovidii, Horatii, Juvenalis, Persii, Lucani* cet., denique fontes rerum ipsa-

rum investigare studui. (v. *Comment.* p. 98. XXI.). Sed quod in edendis illis carminibus non tam id egi, ut omnibus numeris absoluta ea in publicum ederem, quam ut e tenebris in lucem proferrem fontesque aperirem, e quibus alii haurirent, qui adhibitis nostris copiis integrum volumen poetarum latinorum medii aevi, ut olim Polycarp. *Leyserus,* conficere vellent, externarum bibliothecarum codicibus ad eam rem uti nolui, nisi ubi id propter locorum propinquitatem perfacile factu esset, ut in bibliotheca *Darmstadina* et *Marburgensi,* vel singularis quaedam exceptio danda fuit, ut in cod. *Bruxellensi* et *Lipsiensi,* qua *Hildeberti* Cenomanensis carmen de *Nummo* continet, de qua re vide *Comment.* p. 99.

Restabat unum, de quo hoc loco disputarem, nisi in *Commentariis Criticis* ipsis satis viderer defendisse, qua re factum esset, ut, quum initio nullos alios codices in hoc opere vel describere, vel thesauros eorum quamvis maximos inferre ei constituissem, tamen migrata illa lege codicis *Marburgensis* Justini *Hist. Phil.* et Ciceronis *Oratt. IV. in Catilinam* descriptionem integrumque *variarum lectionum* apparatum ex eodem codice collectum et carmen Hildeberti de *Nummo* his *Commentariis* interponerem, qua de re vide *Comment.* p. 5. seqq., p. 18. 6. et p. 99.

Indices *Commentariorum Criticorum* non, ut solet, in extremo opere posui, sed initio, ut primo conspectu cognosceretur, quid in eo contineretur. Feci autem eos *tripertitos,* ut nihil plane deesset, quod in *Commentariis* nostris extaret.

Atque primus quidem index est Scriptorum, quorum opera in codicibus, quos descripsimus, continentur. Quo in indice conficiendo eam sumus rationem secuti, primum ut nullius scriptoris memoriam praetermitteremus, cujus in *Comment.* nostris facta esset mentio, quamvis per se ad nostram rem nihil pertineret, eorum autem scriptorum, quorum nomen investigari non potuit, et de *argumento* appellaremus et de *inscriptione,* si qua extabat, v. c. *Notariatus* Ars vel *Ars* Notariatus. Praeterea inscriptionem fecimus *Scriptorum* (v. lit. *S.*) incertorum et *Incertorum* scriptorum (v. lit. *I.*) et *Anonymorum* (v. lit. *A.*) et *Operum* incertorum scriptorum (v. lit. *O.*). Si quod opus scriptoris ab *Adriano* sine auctoris nomine esset commemoratum, cuius nos nomen investigassemus, eo nomine attuli, quo *Adrianus* illud appellavit, nomine scriptoris in parenthesi incluso suoque etiam loco allato, v. c. *Institutionum rythm.* fragm. (*Chalcidii* Commentar. in *Platon. Tim.*) v. p. 14. IV et V. (lit. b. fol. 83 b.), sic ut, quocunque loco quid quaesieris, nusquam quidquam frustra quaesieris. Ob hanc ipsam causam etiam *inscriptiones collectivas,* ut hoc utar, feci, quibus diversa genera operum uno loco comprehensa indicavi, v. c. *Chronica* (v. lit. *C.*) *Historici* cet. singulaque enumeravi. Porro, id quod per omnes indices feci, numerum et literam codicis addidi, qua in *Catal. Adrian.* opus aliquod notatum esset, brevique nota critica *auctoritatem* ejus *criticam* significavi, ut, si quis cito quid scire vellet, non opus ipsum evolvendum esset. Iis denique operibus, quae nondum edita viderentur, crucem (†) praefixi, ut commode cognosceretur, quae *opera inedita* in *Commentariis* descripta essent, iis autem operibus, quorum sola memoria in *Commentariis* extaret, non copiosior descriptio, asteriscum (*).

☞ Alter index est Rerum et Nominum, in quo continentur *res* in *Commentariis* tractatae et e codd. excerptae, et, id quod maxime in *historicis* operibus fit, *nomina* eorum, quorum res exponuntur, in quo pariter atque in indice *Scriptorum* quasi *collectivas inscriptiones* feci, ut *Episcopi* — res episcopi *Wormatiensis, Moguntini* cet. (v. lit. *E.*).

Tertius index est Vocabulorum et Latinorum et Germanicorum medii aevi, quae exempli causa e *Glossariis* et *Vocabulariis* vel aliunde a nobis allatae vel explicatae sunt, in quo quae in Dufresne *Glossario med. et infim. latin.* deessent, asterisco (*) notavi. Interpositus est huic indici Index Grammaticus, in quo continentur eae structurae verborum, de quibus in Appendicis Criticae Parte II., i. e. in Apparatu Critico *variarum lectionum* a nobis disputatum est. Et quod ejusmodi opus, quale nostrum est, vix unquam ab omni parte perfectum fieri potest, mihi ipsi quoque multa confecto opere ut omissa occurrerunt, quae, ne plane perirent, in *Addendis*, quae vocantur, attuli, quae *Indices* sequuntur.

Denique Conspectum totius operis operi ipsi praemisi.

Haec fere erant, quae de totius operis descriptione dicenda mihi esse videbantur, in quibus si quid vel non satis copiose, vel obscurius, vel denique perperam dictum erit, id non ignaviae cuidam meae ac negligentiae tribuatur, peto, sed imbecillitati humanae ac virium defectioni in tanta voluminis magnitudine, tanta multarum rerum difficultate molestiaque saepe capienda et in maxima rerum varietate ex omni literarum genere petita, quae quam gravia sint ejusmodi operis auctori, non ignorabit is, qui in iisdem studiis versatur quique me Gissae non ea omnis generis librorum abundantia circumfusum esse audiat, qua maximae exterarum terrarum bibliothecae excellunt. Accedit, quod hoc opus meum per occasionem magis ortum est et meorum studiorum causa, quam quod, quum primum codices nostros perlustrarem, id egissem, ut aliquando in publicum ederetur. Qui enim id facere in animum inducere potueram ego, qui, quum a prima adolescentia ad antiquitatis studia me contulissem, in colendis iis augendisque maximam partem aetatis collocassem, ejusmodi studia, quae ad bibliothecarum thesauros inveniendos, perlustrandos, disponendos et describendos pertinent, id quod bibliothecariorum, qui vocantur, munus proprium est, tantummodo leviter attigissem gustassemque, quamquam me, quotiscunque ad ejusmodi locum delatus sum, magnam voluptatem percepisse fateor, sic, ut perlubenter ejusmodi munus acciperem, quo bibliothecae studiis utilitatem afferre possem. Neque id in hoc opere egi, ut id omnibus ex partibus sic perficerem, ut nemo quisquam unquam posthac necesse haberet bibliothecam nostram adire, sed ut qui hos *Commentarios* legerent, primum omnium cognoscerent, quid a diligenti perscrutatione bibliothecae nostrae, si quis literarum causa ea uti vellet, exspectandum esset parteque codicum jam nunc frueretur. Postremo etiam bibliopolae aliquid concedendum erat, qui, quum jam ultra pactum opus productum esset, perhumaniter a me petivit, ut, si quid esset, quod salva summa rei posset abesse, omitterem, ne nimia impensa facienda esset operis ejus, cujus quum, hac praesertim aetate, qua divina ista antiquitatis studia indigne iacent et magis magisque vulgaribus vitae artibus cedunt, exiguus futurus esset emptorum numerus, vel si, id quod ego quidem vehementer dubito, doctis non plane esset displiciturum.

Sed ut ne in hoc opere, quod multorum vires requirit, omnia solus administrasse videar, neve ingrati animi crimen subeam, non praetermittenda videtur memoria eorum, quorum opera in eo feliciter absolvendo usus sim. Ac ne quis se aut praeteritum aut non satis laudatum queri possit, nomina eorum ita commemorabo, ut, quid singuli ad hoc opus contulerint, quam brevissime exponam. Atque quum in his quidem non postremum locum obtineat Vir Cl. Adrianus, tamen merita ejus hoc loco silentio praetermittere placuit, non quin parva ea sint, sed quod initio praefationis tantum de iis dixerim, ut

verear, ne aliis nimis multa de eo praedicasse videar, mihi ipsi parum. — Secundus autem ab illo est Vir Doctissimus KLEIN, Profess. Honorar., bibliothecae acad. Giss. praefectus secundarius, vir quum in ceteris literarum disciplinis, tum inprimis in historia literatissimus, qui maxima humanitate comitateque non libris solum in remotissimis saepe locis bibliothecae nostrae latitantibus comportandis (v. *Comment.* p. 59. IV.) et e sua promendis commodandisque, sed etiam eximia sua literarum scientia satis in me officiosus multum studiis meis profuit. — Is autem, cui tertiam in hoc opere dandam esse puto, est Vir Cl. CAROL. FRID. HERMANNUS, Profess. Philol. Marburg., praefectus bibliothecae secundarius, cujus profecto nescio utrum virtutes moresque, quibus excellit, magis suspiciam admirerque, an literas bonasque artes, quae in eo tantae sunt, ut in uno homine omnes conjunctae esse videantur. Tanta est enim ejus antiquitatis scientia, ut nihil sit, quod ille docere non possit, nihil, quod ille non statim sciat, quum plurima ignorare se simulet ac propter rationum diversitatem dubitet, quas acri magnoque judicio ab origine causisque primis repetit. Ad hoc vitae sanctitas summa, comitas par, sic, ut, quemadmodum Plinius Minor in loco quodam Epistolarum de Euphrate philosopho loquitur, revereare occursum, non reformides, et, quum semel in amicitiam ejus insinuaveris, nihil sit, quod literarum causa non ab eo impetraveris. Quare, dum in *Commentariis Criticis* conficiendis versor, non librorum solum copia rariorum et e bibliotheca academica Marburgensi et e sua promenda insigniter me adjuvit, sed etiam codicibus egregiis bibliothecae Marburgensis, quos mira liberalitate et officiosissima facilitate Gissam mihi commodavit, e quorum numero est codex ille JUSTINI *Hist. Phil.* praestantissimus, frater geminus *Gissensis*, in quo simul continentur CICERONIS *Oratt. IV. in Catil.* et ipsae ex egregio exemplo descriptae, de quibus codicis *Marburgensis* partibus vid. *Comment.* p. 3. seqq. et p. 18. 6., quae res quantum mihi utilitatis attulerit, quum satis exposuisse videar in *Comment.* l. c., non opus videtur hic repetere. Ad haec autem studiorum meorum commoda accedit aliud, multo illud quidem gravius, quod non solum publice in *Analectis Catalogi Codicum bibl. acad. Marburg.* honorificentissimis verbis studiorum meorum fecit mentionem, sed etiam crebro me per literas plenas humanitatis, officii, amoris ad studia illa persequenda incitavit tantumque mihi tribuit, ut, quum in codice quodam *Marburg.* mirum quoddam ac perquam memorabile carmen HILDEBERTI episcop. Cenomanensis, quod est de *Nummo*, invenisset, quod ipse e cod. *Marburgensi* descriptum edere constituisset, sermonibus quibusdam coram inter nos habitis, mihi in *Commentariis* meis certis quibusdam conditionibus edendum concederet ac non suis solum libris ad eam rem necessariis vehementer me adjuvaret, sed etiam Viro Cl. HEUSINGERO, collegae suo, Professori Medicinae non suae solum artis, sed etiam antiquitatis studiorum, in his linguae Sanscritae et recentiorum peritissimo me commendaret, ut, si quid librorum ab eo peterem, mihi commodaret, quae mihi commendatio non vulgaris quantae utilitati fuerit, vide in *Comment.* p. 103. Praeterea Vir Cl. Hermannus etiam doctrinae suae ubertate saepe hisce meis studiis succurrit. In eodem illo carmine *Hildeberti* edendo magnam partem oneris in se recepit Vir Cl. MAURITIUS HAUPTIUS, Prof. Philol. Lipsiens., quum antiquarum literarum peritissimus, tum inprimis patrii sermonis antiquissimi, amicus meus veterrimus, condiscipulus olim meus in gymnasio, a quo quum literis petissem, ut mihi exemplum illius carminis, quod in codice quodam bibliothecae Paulinae s. academicae Lip-

siensis extare ab Hermanno cognovi, si fieri posset, describendum curaret, lubentissimo animo precibus meis satisfaciens carmen illud partim sua, partim auditoris cujusdam sui manu nitide ac perspicue scriptum mox ad me misit. Pro socio hujus operae habendus est Theodor. Oehlerus Moeno-Francofurtanus, cui quum bibliothecae Bruxellensis thesauros perscrutanti jam multum literae antiquitatis debeant, me ipsum quoque ejusdem carminis exemplum e cod. *Bruxellensi* summa cura ac diligentia ipsius manu descriptum debere in *Commentar.* p. 99. indicavi. — Accedit ad hos viros doctissimos egregie de me meritos Vir Cl. Federus, a consiliis intimis aulicis Darmstad., bibliothecae Darmstadinae magno-ducalis aulicae praefectus primarius, quem quum primum literis de multis rebus ad *Commentarios* meos conficiendos partinentes adirem, rara humanitate, comitate, benevolentia non libris solum et editis et manuscriptis ex amplissimis illius bibliothecae thesauris commodandis, sed etiam ea, qua est quum antiquarum, tum inprimis medii aevi recentiorisque aetatis literarum scientia admirabili, studiis meis saepe succurrit, quum me hoc illud, quod ad rem meam faceret, ignorare ei significarem. Et quum ante biennium fere feriarum tempore Darmstadium profectus essem, ut bibliothecae thesauros manuscriptos, quos permultos ibi esse scirem, quorum bona pars nondum esset ad literarum studia augenda usurpata, cognoscerem, et, si quid ad studia mea pertinere videretur, utendum peterem, non me, ut saepe fit, vel vultu severo ac tristi, vel morosa oratione ab utendis praeclaris bibliothecae illius copiis deterruit, sed multa comitate affabilitateque sermonis usus multa de rebus meis mecum collocutus rara liberalitate et officiosa sedulitate omnia mecum communicavit, non ea solum, quae ipse rogabam, sed ea etiam, quibus ipse aliquando uti velle videbatur, sic ut paulatim literarum quaedam necessitudo et amicitia inter nos oreretur ipso sic volente, sic jubente, quae mihi et summo honori esset et literis utilitati. Istis enim sermonibus coram et per literas habitis quum multa alia, tum illud debeo, quod Johannis de Garlandia carmen de Mysteriis Ecclesiae multo emendatius edere possem, quam per unum codicis *Gissensis* exemplum valde interpolatum et corruptum fieri licuisset, et de auctore carminis ipso rectius judicare, quam Polyc. Leyser. in *Historia Poetarum et Poematum medii aevi.* Vid. *Comment.* p. 86. VI. Deinde omnia mecum communicavit, quae ad carmen lat. medii aevi satiricum Nigelli Wirekeri *Speculum Stultorum* pertinerent, e quo nos excerpta habemus in cod. *Giss.* MCCLI., quod quum et ad mores saeculi XII. vel XIII. init. penitus cognoscendos sit egregium et poetico sermone ac latino vehementer commendetur, e pluribus iisque optimis codd. emendatum edere constituimus, praesertim quum impressa exempla perrara et valde corrupta sint. Excerpta autem illa, quae in cod. *Giss.* reperiuntur, quum initio ignorarem, unde petita essent, inscriptione a bibliopega usque ad dimidium abscisa, quaerenti mihi Vir Doct. Soldan, magister gymnas. Gissens. historiae literarumque peritissimus, perhumaniter respondit, videri illam particulam carminis latini *Nigelli Wirekeri* Spec. Stult. *de diversis ordinibus religiosis,* quae extaret in *Martene* et *Durand* Monumentor. Hist. Collect. ampliss. Vid. *Comm.* p. 95. (XII.), in qua, editione optima *Guelferbytana* 1662. adhibita, quam benignitate Viri Cl. Hoeck, Prof. Gotting., in aliquot tempus e bibliotheca Gottingensi commodatam habui, multa ab editore castissimo omissa intellexi, quae in ed. *Guelferbyt.* exstant. Schoenemanno Viro Cl., bibliothecae Guelferbytanae praefecto debeo egregium exemplum carminis parvuli veteris Germanici, ipsius manu summa cura ac

diligentia scriptum, quod vehementer mea interfuit cognoscere. Vid. *Comm.* p. 97. XVIII. et *Addend.* ad h. l. — Magna etiam fuit humanitas atque benevolentia erga me Viri Doctissimi Fickerti, magist. gymn. Portensis, quem quum per *Prolegomena* in *novam editionem operum Senecae philosophi*, quae nunc edere coepit, cognovissem egregium apparatum criticum ex optimis Senecae codicibus collectum habere, per literas adii, ut mihi pauca exempla variarum lectt. ex optimo cod. excerptas mitteret, quo codicum familiam cognoscerem, ad quam referendus esset cod. *Giss.*, quod per admodum tenuem apparatum criticum editionis Ruhkopfianae non licebat, perhumaniter precibus meis satisfecit, ita, ut jam certam normam de auctoritate codicis Giss. critica judicandi haberem. Joh. Henr. Kuelb, V. Cl., bibliothecae Moguntinae praefectus, quum multa alia mihi perhumaniter ex illa bibliotheca copiosissima commodavit, tum exemplum rarissimum Philippi Gualteri *Alexandreidos*, de quo vid. *Comment.* p. 95. XIII. Vir autem Cl. Nebel, Prof. Med. Giss. mira liberalitate et facilitate non libros solum permultos rarissimos e bibliotheca sua copiosissima rarissimisque ac pretiosissimis libris referta mihi commodavit, sed etiam adversaria sua de historia medicinae obtulit, si quid ex iis in meam rem convertere possem. Kuentzel denique, Dr. Philos., magister gymnas. Wormatiensis, cujus memoria quum multis aliis libris, tum libro Germanico constat, qui inscribitur *Fünf Bücher deutscher Prosa*, magna mihi liberalitate rarissimum librum Anglicum Thomae Wright *Early Mysteries and other latin poems of the twelfth and thirteenth Centuries* London 1838. 8., in quo *Vitalis Blesensis Geta* e codd. emendatus extat, Darmstadio Gissam inspiciendum utendumque misit, quod eo mihi gratius fuit, quum illud exemplum donum auctoris esse viderem, qui librum amico suo sua manu inscripsit. — Doctrina denique sua adjuverunt me haerentem saepe ac de multis rebus dubitantem duo viri de literis optime meriti, quorum non doctrinam solum cognovi, sed etiam humanitatem amicitiamque, quod in una mecum urbe degunt, quorum alter est Weigand, Dr. Phil., magister scholae realis, quae vocatur, vir patrii sermonis antiquioris et recentioris peritissimus, cui quid debeam, quum in *Comment.* p. 8. p. 97. XVIII. et alibi commemoraverim, hoc loco id repetere supervacaneum duxi; alter autem Knobelius, Vir Cl., Prof. Theol. Giss. quum in nonnullis rebus aliis theologicis, tum inprimis in interpretando carmine theologico *Johannis de Garlandia* Myster. Eccles. aliquoties me adjuvit.

His omnibus viris doctissimis pro multis et magnis in opus meum meritis meritas gratias ago, et, si merita eorum non satis in luce posita videbuntur, memoriae potius oblivioni, quam ingrato animo tribuant.

In latino sermone, ne longus essem et obscurus atque adeo ineptus, vocabula, quae in quoque literarum genere usitata sunt, quamvis non Latina sint, retinui, v. c. vocabulum *textus*, *medium aevum*, *apographum*. In sententiis autem incidendis vereor ne merito inconstantiae accuser, qui quum initio non vulgares incidendi rationes sequi constituissem, quas patrio sermoni potius, quam Latino originem debere scirem, quod, quae in latino sermone unum aliquod enunciatum efficerent, in vernaculo in duo saepe vel plura enunciata essent dividenda, sed Latinae orationis structurae, mox, ne a quibusdam falso negligentiae accusarer, ad vulgarem incidendi rationem redierim, quamquam saepe vehementer dubitavi, quid tandem in hac re populare videretur, quid non. Unde factum est, ut v. c. initio saepe scripserim *quae vehementer dubito quin vera sint*, non: *quae, vehe-*

*menter dubito, quin vera sint*, vel *haec utrum amore mei an reip. causa facta sint incertum est*, non: *haec, utrum amore mei, an reipublicae causa facta sint, incertum est.* Hanc autem incidendi parsimoniam quamquam nuper a V. D. *Fickerto* in *Epistolis Senecae* inductam magnaque constantia servatam vidi, tamen nescio qua veteris moris verecundia motus in meo opere non satis constanter persecutus sum. Si quid autem praeterea in oratione latina, in qua Tullium imitor, non satis Tullianum videbitur, error meus is est, qui non Romanus, sed Germanus sum.

Denique menda typographica, quae in corrigendis singulis operis plagulis a me invito non sublata, sed tamen postmodo cura quanta potest esse maxima investigata in indicem extremo operi additum conjecta sunt, excusationem habitura credo eo, quod in majore parte operis, i. e. in *Appendice Critica* ipsi mihi soli taediosum corrigendi negotium impositum erat, in quo facilis erat defatigatio. Nam in priore quidem parte operis, i. e. in *Commentariis Criticis* ipsis exceptis quatuor prioribus plagulis Vir Cl. Vullers, Prof. linguar. Oriental. Giss., perofficiose munus plagularum, quas ipse bis perlustrassem, tertium perlustrandarum suscepit, cujus rei ego ei hoc loco quantas maximas possum gratias ago.

Ceterum et haec et reliqua operis mei vitia invito me admissa consolor eo, quod quum nihil sit in rerum natura perfectum, in magnis voluisse sat est! Si quis autem erit, qui vel in conferendis codicibus Gissensibus iis, quorum non ipse in his *Commentariis* integram lectionis varietatem attuli, vel in excerpendis opera mea honesto praemio proposito uti velit, hujus ego desiderio pro virili parte satisfaciam.

Scripsi Gissae Kal. Septembr. MDCCCXLII.

**Frid. Guilielm. Otto.**

# INDICES
# AUCTORUM, RERUM ET VERBORUM
IN
## COMMENTARIOS CRITICOS ET APPENDICEM CRITICAM.

## I.
## INDEX AUCTORUM
QUORUM CODICES MSS. IN COMMENTARIIS CRITICIS VEL DESCRIBUNTUR, VEL COMMEMORANTUR.

Sigilla, quibus brevitatis causa usus sum, haec sunt: *Asteriscum* (*) praefixi iis operibus, quae non describuntur, sed tantum commemorantur; *Crucem* autem (†) praefixi iis, quae *Inedita* sunt. Signum interrogandi (?) addidi ibi, ubi res aliqua dubia videbatur. Ubi singulis paginis nulla nota additur, intelliguntur *Commentarii, Appendicem Criticam* notavi *App.* Ubi in *uno* codice *plura* opera extant, Codicis *numerum* et *ceteras singulares notas* addidi, quibus in *Catalogo Adrianeo* singulae partes unius codicis notantur. Nota *Add.* significat *Addenda,* quae in extremo opere sequuntur.

## D.



## E.

*genii* et *Bonifacii*, vid. *Eugenius* et *Bonifacius*. — 2) *Clementis V.*, vid. *Clemens V.* — 3) *Terrae Sanctae*, quae in *Catal. Adrian.* e cod. CLX. lit. a. fol. 21. b. afferuntur, pertinent ad *Joh. de Mandavilla Itinerarium*, vid. *Joh. de Mandav.*

Inedita, vid. *Opera inedita.*

Instituta *ad expeditionem Romanam facientia*, quae in *Catal. Adrian.* e cod. CLXXVI. lit. d. afferuntur, est *Constitutio Caroli Crassi de expeditione Romana*, vid. *Carolus Crassus.*

Institutiones (*Juris*) — *Notae* in eas *Joh. Mensingae*, vid. *Mensinga* 2.

Institutionum rythmico musicalium *fragmentum*, quod in *Catal. Adrian.* sine nomine auctoris affertur, est *Fragmentum Commentarii Chalcidii in Platonis Timaeum*, vid. *Chalcidius.*

Isaeus — *Notae* in eum, vid. *Oratores Attici.*

Iscanius (*Josephus*) Devonius *de bello Troico carmen lat.* — *Aetas* ejus definitur, vid. p. 81. VII.

Isidori *Glossae* — *Notae* in eas (*Joh. Hogersii?*) vid. *Hogersius.*

Itineraria *de Terra Sancta*, vid. *Fretellus*, *Guilielmus Bolen-Celei*, *Jacobus de Vitriaco*, *Johannes de Hese*, *Johannes de Mandavilla* (et *Hans von Mandeville*), *Vincentius Bellovacensis.*

Ivonis Carnutensis *Epistolae Selectae* (88.) Cod. CX. (*egregius*), vid. p. 52. X. (cum *exemplis variar. lectt.*)

## J.

* Jacobi de Theramo *Processus inter Jesum et Belial.* Cod. MCCXLVI. lit. a. vid. p. 54. I.

Jacobi de Vitriaco *Episcopi* Acconensis *Historiae Hierosolymitanae liber I.* (*primus.*) Cod. MCCXLVI. lit. g. (*bonus*), vid. p. 54. I. Exempla *variarum lectt.* extant ibid.

Johannes Crisostimus auctor carminis latini *de Modo Poenitendi* dicitur, vid. *Poenitentiarius.*

Johannes de Delf fortasse auctor est *carminis latini de Daventria*, vid. *Poetae latini* n. 6.

† Johannes de Garlandia *de Mysteriis Ecclesiae*, carmen lat., nunc primum integrum e cod. *Giss.* et *Darmstud.* editum, vid. p. 86. VI. et *App.* P. I. p. 131. I. — Idem auctor fertur *carminis latini de Modo Poenitendi*, vid. *Poenitentiarius.* — Idem auctor *Floreti*, *carminis latini de Virtutibus et Vitiis*, vid. *Floretus.*

† Johannes Geometra *Paraphrasis Canticorum Graece*, hexametris composita, nondum edita. Cod. DCLXIX. lit. a. vid. p. 109. lit. a.

* Johannes de Geylnhusen, *Collectarius perpetuarum formarum.* Cod. LXXXIII. lit. d. vid. p. 21. IX.

Johannes de Hese *Itinerarius de Terra Sancta.* Cod. DCCXVIII. lit. d. (*bonus.*) Est haec ea particula codicis, quam *Adrian.* in *Catal.* inscripsit *Notata quaedam ex historia naturali*, vid. p. 59. IV. (cum exemplis *variar. lectt.*)

Johannes de Mandavilla *Itinerarius a terra Angliae in partes Hierosol. et in ulteriores transmarinas.* Cod. CLX. lit. a. (*mediocris*), vid. p. 31. lit. b. *Descriptionem* codicis et *exempla varr. lectt.* dedi in *Addend.* ad p. 31. — Huc pertinent *Indulgentiae Terrae Sanctae*, quas *Adrian.* in *Catal.* e cod. CLX. lit. a. fol. 21. affert, vid. *Addend.* ad p. 31. — De ejusdem libri interpretatione Germanica vid. *Hans von Mandeville.*

Johannis *Evangelium*, vid. *Novum Testamentum.*

Juridica, vid. *Basilica*, *Pandectae.*

Justini *Histor. Philipp.* libri XLIV. cum *Prologis.* Cod. *Giss.* LXXIX. (*optimus* et *antiquissimus omnium*, *quos cognovimus.*) Deest unum folium, vid p. 3. seqq. I. Integra *lectionis varietas* extat in *App.* P. II. p. 202. seqq I. — Eiusdem libri Cod. *Marburgensis* (*praestantissimus*, *fruter geminus Gissensis*) describitur ibid. ejusque integra *varietas lectionis* cum lectionibus *Gissensis* codicis coniuncta extat in *App.* l. c.

Justini *Philosophi* 1) *Oratio Commonitoria ad Graecos.* Incip. Ἀρχόμενος τῆς πρὸς ὑμᾶς cet. Cod. DCLXIX. lit. c. (*perbonus*), vid. p. 109. I. (cum exemplis *varr. lectt.*) — 2) * *Expositio Fidei s. de Trinitate*; in eod. cod. lit. d. vid. *Comment.* l. c.

Juvenalis *Satirae.* Cod. LXIV. lit. d. (*nullius pretii*), vid. p. 80. V. (cum exemplis *varr. lectt.*) in *App.* P. II. p. 315. XX.

## L.

Labbei *Glossae* — *Notae* in eas, vid. *Glossae Labbei.*

* Lascaris (*Joh.*) *Carmen Graecum.* Incip. Χαλκοτυποῖς σελίσι μεσῶν ἀγὸς ἔδρακε δόρων, vid. p. 109.

Lectiones Variae e *codd.* excerptae, I. in *Adversariis Majanis* repertae. 1) In *Aeneam Gazaeum*, vid. *Aeneas Gazaeus.* — 2) in *Apollinarii Metaphrasin Psalmorum*, vid. *Apollinarius.* — 3) in *Evangelium Johannis* et *Epistolam ad Hebraeos*, vid. *Novum Testamentum* 1. — II. *E nostris codd.*, partim *Gissensibus*, partim *externis.*

* Legenda 1) *S Udalrici.* Cod. DCCLXXVII. lit. b. vid. p. 60. d. — 2) *De nativitate Mariae*, *de infantia Salvatoris et ejus passione* ibid. lit. c. — 3) *Sancti Matthaei*, *Catharinae*, *Oswaldi*, *Maximiliani*, *Lamberti* ibid. lit. c. — 4) *De X. mil. martyr.* ibid. lit. i. — 5) *De S. Tolomano* ibid. lit. n.

* Leges Longobardorum. Cod. CMXLVI. lit. a. vid. p. 24. XII.

Lexicon Hebraicum *Maji*, vid. *Majus* V. 2.

Libanii *Orationes* — *Notae* in eas *Steinhelii*, vid. p. 117. n. 3.

Lichtensteinensis Eremita, vid. *Eremita Lichtensteinensis.*

Lucani (*Annaei*) *Orpheus*, opus perditum. *Fragmenta* ejus vid. p. 101. Videtur medio aevo ab *Hildeberto Turonensi* s. *Cenomanensi Episcopo* ad aliud carmen latinum *de Nummo* conficiendum usurpatum transformatumque esse, vid. ibid.

Lucianus — *Notae* in eum *Antonii Aemilii Aquensis*, vid. p. 122. n. 6. — *Notae Maji in libellos de Longaevis*, *in Somnium* et *Nigrinum*, vid. p. 118. II.

Lycurgus (*Orator.*) — *Notae* in eum, vid. *Oratores Attici.*
Pag. 88. in inscriptione cod. *Poenitentiarii* (VIII.) pro DCCXXCVII. leg. DCCXCVII.

Pag. 90. inscriptionem *Eberhardi Betun.* etc. ita fac:

EBERHARDI BETUNIENSIS
1) *Laborinthus* etc.

*Ibid.* lin. 23. pro *sint* leg. *sunt.*

*Ibid.* p. 92. lin. 40. pro *thoreum aque* leg. conjunctim *thoreumaque.*

Pag. 94. in descriptione cod. *Alani de Insulis* de sancta trinit. (2.) lin. 31. post *ed.Beaug.p.1343.* adde: »*Alani* autem potius carmen illud esse, quam Hildeberti, eo verisimilius est, quod *Alanus* sane ad *Pantheismum,* ad quem versus illi spectant, se inclinebat, v. *Tennemann* Gesch. d. Philos. Bd. VIII. Abth. I. p. 323. De *Alano* ipso vid. *Grässe* Lehrb. einer allg. Litgesch. aller Völck. II, 2, 1. p. 76. 1.«

*Ibid.* in descriptione cod., in quo *Nigelli Wireker* Specul. Stult. continetur, lin. 43. post *Nr. V, 1.* adde: *Reinhart Fuchs* von *Jacob Grimm.* Berlin 1834. Praefat. p. CCXX.

*Ibid.* p. 95. lin. 10. post verba *e cod. Bruxellensi* adde: »488. chart. fol. a. 1415.«

*Ibid.* lin. 12. ante n. 1703 pone 1702. qua in re notandum est illud, videri hunc codicem eundem esse, e quo *varias lectt.* attulit *Mone* l. c., quo teste in eodem codice extat *Petri de Riga* Aurora (v. *Polyc. Leyser* Hist. Poetar. et Poem. med. aev. p. 692—747.), *Speculum Stultorum* autem *Nigelli Wirekeri* incipit fol. 122. vers., quae omnia prorsus sic se habent in cod. *Bruxell.* 1702., quem multo diligentius, quam in *Inventario bibl. Bourgogn.* (*Inventaire* etc.) factum est, descripsit Vir Cl. *M. le baron de Reiffenberg* in *Extrait du tom. IX, No. 4, des Bulletins de l'Academie Royale de Bruxelles* I. p. 1—14., ubi idem simul de *ceteris* ejusdem carminis *codd. Bruxell.* disputavit, unde tollendum vidi nr. 10084. (7), quem ipse indicavi, quum in hoc codice aliud carmen lat. med. aevi *de Unibove,* non *Nigell. Wirek.* Specul. Stult., extet. Dolendum autem est, quod illa collectio *variarum lectt.* cod. *Bruxell.* 1702. a *Mone* sec. exemplum in *Praxi Jocandi* Francofurt. 1602. 8. facta nullius plane pretii critici esse reperitur, quamquam variae lectt. ipsae perbonae sunt, quum exemplum illud Francofurtanum valde mutilatum et corruptum esse ex editione ejusdem carminis Guelferbytana perspexi, in qua omnes illi loci extant, quos, quum in exemplo Francofurtano deessent, e cod. Bruxell. attulit Mone. Unde si quis hoc carmen denuo edere velit, totus codex Bruxell. egregius de integro conferendus est.

*Ibid.* in descriptione codicis, qui excerpta e *Philippi Gualteri Alexandreide* continet (XIII.) lin. 25. post verba *Leyser l. c. p. 764. l.* adde: *Fr. Jacobs* Beiträge zur ält. Litt. I. Bd. 1. Heft p. 383. et *Grässe* Lehrb. einer allg. Litgesch. II, 3. p. 443. §. 5.

Pag. 96. (XV.) in descriptione *Carminis Facet.* lin. 20. in. dele voc. *juvenili.*

Pag. 97. (XVIII.) post descriptionem Carminum *de Juventute et Senectute* adde quae hac de re et pag. 159. (V.) et in *Addend.* ad h. l. afferuntur.

Pag. 98. (XIX. et XX.) lin. 9. post verba *in dioecesi* videtur excidisse verbum *extant.*

Pag. 100. (XXI.) lin. 3. post verbum *dixit* adde: In *Inventaire de la bibliothèque de Bourgogne* neque nr. 17018., neque 8900. nec 10701. ulla fit commemoratio carminis *Hildeberti* de *Nummo.* Sed vide, quae p. 107. 3, dicta sunt.

*Ibid.* lin. 33. post versum *Ex hac esse scola non est sapientia sola* adde haec: Idem carmen *Pseudo-Ovid.* de *Nummo* edidit nuper plenius et emendatius *Thom. Wright* in libro Anglice scripto: *The latin poems commonly attributed to Walter Mapes, collected and edited by Thomas Wright.* London: Printed for the Camden Society, by John Bowyer Nichols and Son, Parliament Street. MDCCCXLI. p. 355. seq. G. e MS. Cotton, Vespasian, A. XIX. fol. 55, r°.; MS. Harl. No. 3362., fol. 8, v°. and fol. 54, v°. Sed videtur Vir D. carmen illud pro inedito habuisse, quum editionis *principis s. l. et a.* nullam faciat mentionem. Idem vero nonnulla alia carmina et *Latina* et *Anglica* et *Scottica* et *Gallica* ejusdem argumenti ac vel ejusdem nominis *Gualteri Mapis* carminibus similia ex *Anglicis* codd. edidit 1) Class. II. 29. *Contra Avaritiam* p. 151. seq. Incip. *Captivata largitas longe relegatur Exulansque probitas misere fugatur.* Explic. (bursa) *Communis communiter cunctis erogatur.* — 30. *Contra Ambitiosos et Avaros.* p. 152. seq. Incip. *Missus sum in vineam circa horam nonam.* Explic. *Sed a diverticulo repetatur fabula.* Habet hoc carmen multos locos, qui miram et sententiarum et exemplorum similitudinem habent cum *Hildeberti* carmine *de Nummo.* — 31. p. 163. seqq. *De Avaritia et Luxuria Mundi.* Incip. *Cum declinent homines a tenore veri, Quorum status hodie pejor est quam heri.* Explic. *Simonis discipulos ad rapinam pronos; Non habet eventus sordida praeda bonos.* Hoc quoque carmen aliquantulum similitudinis habet cum *Hildeberti* carmine *de Nummo.* — 32. p. 167. *De Mundi Cupiditate.* Incip. *Qui potest capere, quod loquor capiat, Os meum dominus, quaeso, custodiat.* Explic. *Quod enim aliqua fiat petitio In tali dedecus est consistorio.* Class. III. 44. *De Cruce Denarii* p. 223. Incip. *Crux est denarii potens in seculo Regem et principem facit de servulo.* Explic. *Pervertit (nummus) oculos judicum omnium, Summe mutabile fit necessarium.* — 45. *De Nummo* p. 226. Incip. *Manus ferens munera Pium facit impium; Nummus jungit foedera. Nummus dat consilium.* Explic. *Sancta dat crumena, Sancta fit amena.* Haec duo posteriora carmina persimilia sunt versibus *Nigelli Wireker* in *Specul. Stult.* de vi *Nummi,* vid.

not. nostram 68 ad *Hildebert.* Sat. *de Nummo* p. 166. Cfr. praeterea *Anglica, Scottica* et *Gallica* ejusmodi carmina apud *Wright* l. c. in *Append. of Translations and Imitations* lit. G. 1—5. Hujus autem egregii et perrari libri *Wrightiani* usum grato animo profiteor me debere summae liberalitati Viri Cl. Huberi Prof. recentior. linguar. Marburg., per cujus doctam censuram ejusdem libri in *Novis Diar. Jenens. (Neue Jen. Allg. Literaturzeit.)* ab a. 1842. nr. 232—233. hujus libri notitia mihi facta est, quem cupide a viro illo doct. expetitum mox ab eo accepi.

*Ibid.* p. 101. lin. 14. dele »*p. 2092.*«

*Ibid.* p. 104. lin. 22. pro 40 leg. 4° (i. e. *forma quaternaria*).

*Ibid.* p. 105. lin. 18. post vocem *poetas* adde: (v. *Grässe* Lehrb. einer allg. Litergesch. III, 1. p. 432. et 433.)

*Ibid.* lin. 38. post verba *in bibl. Paulina Lipsiensi* adde: *et in bibl. Marburg.*

*Ibid.* lin. 39. post *Epitome Sapientiae* adde: (v. *Osann* in praef. ad *Vital. Bles.* Get. p. VII. seq.)

*Ibid.* lin. 40. verba *Flores Auctorum* ita supple: *Flores Poetarum de virtutibus et vitiis ac donis spiritus sancti.* Colon. 1505. oct. min. (*Panzer* VII, 35. nr. 89.), Lovan. s. a. 4. (*Panzer* 247. nr. 109.), ed. s. l. et a. (deest ap. *Panzer*) extat in bibl. *Berolin.*, v. *Jacob Grimm Reinhart Fuchs* praef. p. LVIII.

*Ibid.* pag. 107. lin. 28. pro verbis *cursivis literis, quas vocant, exprimenda curavi* leg.: »*in notis religiosissime indicavi.*«

*Ibid.* lin. 44. post verba ad *Mosellam* adde: (vid. de hoc monasterio *M. E. Dronke* S. Gregorii Nazianzeni carmina selecta etc. Praef. p. V.)

Pag. 109. in descriptione codicis DCLXIX. lin. 12. pro Μακάρ ος leg. Μακάριος.

*Ibid.* lin. 25. pro σεμίσι leg. σελίσι et pro δωρῶν leg. δόρων.

*Ibid.* lin. 37. pro πρoς leg. πρὸς.

*Ibid.* lin. 47. pro *usitationibus* leg. *usitatioribus.*

Pag. 110. lin. 5. post verbum *servari* adde haec: Hanc meam sententiam non inanem esse, nuper cognovi, quum nova editio *Justini* Philos. et Martyr. Operum ab *Ottone* Jenens. curata (Jenae 1842.) Vol. I., in quo *Cohortatio ad Graecos* e plurimis optimisque codd. emendata continetur, accepissem, e cujus editionis apparatu critico perspexi, nostrum codicem maxime cum *Paris. Reg.* 4. perbono ubique fere consentire. Cfr. *Otto* l. c. praefat. p. XXXVII. n. IV. et p. XXXV. n. III. Mihi autem nostri codicis lectt., ubi discrepant a textu Ottoniano, vel meliores esse videntur, quod judicet is, qui utriusque *varias lectt.* contulerit.

Pag. 115. lin. 4. pro *haud quaquam* lege conjunctis literis *haudquaquam.*

*Ibid.* lin. 17. dele voc. *magistro.*

*Ibid.* lin. 26. post verba *de vita Steinheilii reperiuntur* adde: de cujus arctissima familiaritate cum *J. H. Majo* Fil. deque ipso plura in dedicatione Maji *Observatt. Sacr.* edit. II., quae extat in bibl. acad. *Giss.* W. 14001. 8°, reperiri perhumaniter mihi significavit V. D. *Klein,* de quo vid. Praefat. Comment. p. IX.

Pag. 117. lin. 33. pro πόνος leg. πόνοις.

Pag. 119. lin. 5. pro *Gafaeum* leg. *Gazaeum.*

*Ibid.* lin. 47. post voc. *haec* adde 1)

Pag. 124. (B.) lin. 21. pro *sacua* leg. *vacua.*

Pag. 125. lin. 5. pro *parci* leg. *parvi.*

Pag. 134. not. 51. dele *esse* post *videtur.*

Pag. 142. lin. 1. (v. 413.) pro *carmen* leg. *carnem.*

Pag. 147. (v. 645.) pro *qui nos* leg. *quinos,* ut numerus oriatur 1245.

*Ibid.* not. 241. (lin. 1. notae) pro *Johanni* leg. *Johannis.*

Pag. 155. (III.) not. 4. dele verba *mānus certe.*

Pag. 156. (v. 56.) pro *Et* leg. *Nec.*

Pag. 159. (V.) ad disputationem de Carmine, quod inscribitur *Juventus* et *Senectus* adde haec: *Germanicum carmen* ex apographo biblioth. Guelferbyt. Cod. Aug. 6. 2. fol., *Schoenemanniano,* de quo vid. *Comment. Crit.* p. 97. XVIII., sic se habet:

Ich pins die iugent die di tugent vnd vntugent uchet an Mein gemuͤte. stet in pluͤte die weil ich nit sorgen han Lachen siͤngen tanzen springẽ ler ich frawẽ vnde man Er ist weis d' nach preis sich bei mir behaltẽ kan Wil er sehen vñ durch spehen wir gar ich vnstete pin. Zụ steten dingen sol er twingẽ· leip sel wort werk vnde sin Tůt er daz so geschiht im baz denn ob er mir volget nach Wer mein spil nit meide wil den matt ich od' tůn im schach.

---

Ich pins daz alter daz von kalter art sich můz wermen hie Got erparme daz mein arme sein so kalt vnd meine knie Weilent sang ich weilent sprang ich. vñ sah froͤlich hin vnd her Nu hat taugẽ můt vñ augẽ, di zeit d' iar gemacht mir swer Fuͤr daz schimphe. můz ich rimphen augẽ vnd di wange mein Alsus geklumphẽ vñ gerumphẽ můz ich laider lange sein Genůk mir wirret daz mich irret wenn ich sol gen auz vnd ein Gotes guͤte mich behuͤte vnd wend von mir der helle pein.

*Ibid.* not. 10. pro *Maria, quae verbum* (λόγον) *genuit, Christum* leg. Christus, qui λόγῳ natus est, vid. *Dufresne* Gloss. v. *Verbigena.*

Pag. 160. (VII.) ad descriptionem carminis *Regimen et status mundi* adde haec: »Nuper quum egregiam censuram libri *Wrightiani* supra in *Addend.* ad pag. 100. lin. 33. commemorati a Viro Cl. *Hubero* Prof. ling. recent. Marburg. in *novis Diariis Jenens.* a. 1842. nr. 232—233. editam legissem ex eaque perspexissem, simile carmen, quod ingenio *Gualteri Mapes* responderet, in opere *Wrightiano* extare, suspicari me significavi in *Ind. Rer.* v. *Wright,* esse illud idem carmen, quod nos in uno cod. *Gissensi* haberemus. Sed quum librum ipsum per Viri Cl. *Huberi* liberalitatem commodatum accepissem, suspicionem istam falsam esse intellexi, quum persimile quidem carmen re vera e cod. *Anglico* ab *Wrightio* editum exstet l. c. Class. III. 46. p. 229., sed et alia forma metri et orationis.

Incip. autem sic: *Totum regit saeculum papae potestate, Cujus jurisdictio tendit longe late.* Explic. *A falsis fratribus et fraudis glutino Ut me protegere cura sit domino.* Tantum tamen abest, ut mutem sententiam meam, hoc quoque carmen vel ipsius *Gualteri Mapes* esse, vel ex eo certe numero carminum, quae ab imitatione *Gualteri Mapes* orta eadem aetate composita sunt, vel denique propter miram et argumenti et progressus sententiarum utriusque carminis similitudinem ab aliquo poetastro ex illo carmine, quod apud *Wrightium* extat, esse compilatum, praesertim, quum librarius, ut videtur, carminis nostri, non auctor, in extrema parte carminis (XII.) hac inscriptione utatur: *Hic compilator nos incitat ad emendandum et falsitates seculi purgandum*, e quibus verbis patere videtur, ipsum scisse, compilatum esse hoc carmen ex alio longiore videlicet, quod ob causas modo prolatas haud scio an idem fuerit atque illud codicis *Gissensis.*"

Pag. 173. (v. 266.) pro *partulit* leg. disjunctis vocibus *par tulit.*

Pag. 177. (v. 420.) pro *fero* leg. *ferro.*

Pag. 184. (v. 690.) pro *gramarus* leg. *gamarus* vid. *Gessneri* Thes. Ling. Lat. s. h. v.

Cetera leviora errata vel typographica vel literata emendanda relinquo legentibus.

# INDEX TABULARUM LITHOGRAPHICARUM.

## TAB. I.

I. Specimen codicis *Giss.* DCLXXXVIII. *Paul. Diac. Histor. Langobard.* Lib. III init. Vid. *Comment. Crit.* p. 24. I.

II a. Subscriptio codicis ejusdem, qua monasterium indicatur, unde ille codex in bibliothecam acad. Giss. pervenerit. Vid. *Comment. Crit.* p. 26. lin. 29.

II b. Subscriptio codicis *Marburgensis Justini Histor. Philipp.* et *Ciceronis* Oratt. IV in Catil., qua vel librarii, vel monasterii nomen indicatur, ubi codex scriptus sit. Vid. *Comment. Crit.* p. 9. (ad I) lin. 26 seq.

III. Specimen codicis *Giss.* LXXXV lit. a. *Boethii de Consol. Philos.* Lib. I. Pros. I. secund. ed. *Londin.* 1823. p. 64. Vid. *Comment. Crit.* p. 10. (III.)

IV. Specimen codicis CLX lit. g. *Martini Poloni Chronic. Summor. Pontific. et Imperat.* de Papa *Marco.* Cod. fol. 5 b. Edit. *Basil.* 1559. apud *Oporin.* fol. p. 72. lin. 26. seqq. nr. XXXVI. Quae in margine ad dextram recentiore manu adscripta sunt, pertinent ad Supplementum vitae papae praecedentis, quae eadem in edit. *Basil.* extant.

## TAB. II.

I—XI. Graeca, quae in *Boethii libris V. de Consol. Philos.* reperiuntur, cum interpretatione interlineari e cod. Giss. LXXXV expressa. Vid. *Comment. Crit.* p. 260.

- I. Litera Θ Lib. I. Pros. I. ed. *Londin.* 1823. p. 66. Vid. *Comment. Crit.* P. II. p. 260.
- II et III. Graeca Lib. I. Pros. IV. ed. *Londin.* p. 96. Vid. *Comment.* l. c. p. 261.
- IV. Graeca Lib. I. Pros. IV. ed. *Londin.* p. 115. Vid. *Comment.* p. 262.
- V. Graeca Lib. I. Pros. V. ed. *Londin.* p. 129. Vid. *Comment.* p. 262.
- VI. Graeca Lib. II. Pros. II. ed. *Londin.* p. 161. Vid. *Comment.* p. 263.
- VII. Graeca Lib. III. Pros. VI. ed. *Londin.* p. 255. Vid. *Comment.* p. 264.
- VIII. Graeca Lib. III. Pros. XII. ed. *Londin.* p. 302. Vid. *Comment.* p. 265.
- IX. Graeca Lib. IV. Pros. VI. ed. *Londin.* p. 353. Vid. *Comment.* p. 266.
- X. Graeca Lib. IV. Pros. VI. ed. *Londin.* p. 354. Vid. *Comment.* p. 266.
- XI. Graeca Lib. V. Pros. II. ed. *Londin.* p. 377. Vid. *Comment.* p. 266.

XII. Graeca, quae in exemplis *variarum lectt.* e *Martian. Capell. de Nupt. Philol. et Mercur.* Lib. I. reperiuntur, e cod. *Giss.* LXXXII. expressa. Vid. *Comment. Crit.* p. 269.

1. Lib. I. §. 2. sec. edit. *Koppianam* ab V. Cl. *Carol. Fried. Hermanno* curatam. Vid. *Comment.* P. II. p. 269.
2. Lib. I. §. 2. Vid. ibid.
3. Lib. I. §. 2. Graeca cum interpretatione continent, quae in marg. ad Graeca n. 2. illustranda adscripta sunt (id quod in *variis lectt.* notare oblitus sum.)
4. Lib. I. §. 18. Vid. ibid.

Tab. I.

I. INCPT LIBER IIIus

Sal

IGITUR ALIQUANTI EX DUCI
bus langobardorum cum ualido exercitu galli
as ingrediuntur. horum aduentum. uir di
hospitius qui apud niceam erat inclausus scō
sibi reuelante spū longe ante praeuidit eiusdemq;
urbis ciuib; que mala imminerent predixit.
Erat enim uir iste magnae abstinentiae &
probabilis uitae, qui constrictus ad carnem
catenis ferreis. inducto desuper cilicio solo pane
in cibo cum paucis dactulis utebatur

II. a. Lib' scī martini i ... II. b. ... wall


III. perdita ... metrica ... mecum ... considerarem querelam meam ad lacrimas prudentes ... stili officio ... designarem ... caput apparuit philosophia
Hec dū mecū tacitꝰ ipse reputarē quere-
lam meam ad lacrimos ... stili officio desig-
narē astitisse sup verticē m̄ visa est mulier
honesti aspectus ualde ... rutilantibꝰ
reuerendi admodū wltꝰ oculis ardētibꝰ & ult-
ra cōmunē hominū ualentia pspicacibꝰ colore viuido
inconsumpti fortitudinis
atq; inexhausti vigoris.

IV.

Oh
hic ... ab hyspania
et ... ab ytalia ...
... mortuus
est in pace et sepultus Rome
... palatium octauianum in
loco ... ad caput

Marcus natiōe romanus ex patre
Prisco. sed annis. ii. m. viii. & dies
d. xx. H constituit ut eps hostiensis
qui ppm consecrat palleo uteretur —
et ut symbolum alta voce in missa caneretur
sepultus apud sanctum petrum

Tab. II.


idest es ne asinus ad lyram
idest unus rex in patria nostra
deus omnia videt & omnia audit

# PARS I.

# COMMENTARII CRITICI.

# A. CODICES LATINI.

## a) SCRIPTORES PROSAICI.

### α) VETERES S. CLASSICI.

### I.

### Justini Historiae Philippicae.

Comparatur cod. Giss. N. LXXIX. B. S. Mss. 233 cum cod. Marburg. (cod. bibl. acad. Marb. Cl. I. A. 2. vid. Carol. Frid. Hermanni Catalog. codicum bibl. acad. Marburg. latinorum P. I. p. 1.)

De codice Giss. Adrianus haec refert:

„*Cod. membranaceus saec. XV. in Italia scriptus, litteris librorum initialibus, modo rubris, modo atris, argumentis ad marginem adscriptis, lineis stilo ductis, ligatura antiqua, foll. 172, quorum 9 et 172. b. scriptura vacant. Continentur: Justini Historiae Philippicae. Inscriptio: Liber Historiarum Philippicarum. Item Totius Mundi origines. Item Terrae Situs. (Haec minio picta sunt.) Incip. prol. Primo volumine continentur haec. Imperium assirorum a nino rege etc. Explic. prolog. Lib. XLIV. continentur res hispanice et punice. Explic. prol. Lib. XLIV. Incipitur praefatio (fol. 8. a.): Cum multi ex Romanis etiam consularis dignitatis viri etc. Explic. praef. Industrie testimonium habituro. Fol. 9. b. incipit textus: Incipit liber primus. Principio rerum gencium nationumque imperium etc. Explicitur: In formam provincie redegit. Fol. 1. a haec leguntur: Monastery Weingartensis. Ao. 1630. Long. 11" 1'''. Lat. 8" 8'''.*“ Adrian.

Hic codex Justini histor. Philipp. e bibliotheca monasterii Weingartensis in Suevia siti magnaque olim praestantissimorum codicum copia instructi multis magnisque, ut videtur, itineribus factis, quorum fortasse vestigia per libros ab Adriano in Catalogo codd. Mss. Nr. DCLXXXVIII. commemoratos (Phil. W. Gercken Reisen I. G. W. Zapf Reisen d. e. Kloester Schwab. et Lit. Reis. C. F. Staelin zur Gesch. etc.) indagare possis, tandem cum magna nostra fortuna primum in bibliothecam Senkenbergianam, tum in academicam Gissensem pervenit, ubi nunc, sicut olim senes Lacedaemone honestissimum ac tutissimum senectutis domicilium habet. Quem quum domi summo otio perlustrassem facileque principem codicum philologicorum bibliothecae nostrae cognovissem, dignum habui, qui principem locum in his Commentariis criticis obtineret. E diligentissima enim accuratissimaque ejus comparatione cum editione Fischeriana (Lips. 1757) facta, ad quam adhibui etiam Bongarsianam cum libello variarum lectionum (Paris. 1581.) et Duebnerianam (Lips. 1831.), intellexisse mihi videor, tantum inter hunc codicem et Bongarsianos optimos graviorum rerum esse consensum, ut eum vel ipsum unum ex egregiis illis codd. Bongarsianis esse existimem, vel certe ex eodem illo optimo antiquissimoque fonte ductum, unde illi codd. manarunt, e quibus olim Bongarsius egregie Justinum emendavit. Nam quod in nostro codice permagna copia lectionum reperitur, quarum neque in editione Bongarsiana ullum vestigium exstat, neque in libello variarum

lectt., id non tam diversum fontem prodere videtur, quum Bongarsium vel vitioso saeculi sui more multa, quae parva ac minuta haberet, ut verborum collocationem et orthographiam, de industria omisisse, vel in conferendo natantibus, ut fit, oculis invitum praeterisse. Haec autem ejusmodi errorum suspicio, quae mihi in codice Gissensi cum Bongarsianorum codicum variis lectt. comparando orta certissimis exemplis confirmari posse visa est, eo nobis debet esse gravior, quod et Bongarsius ipse in praefatione editionis suae summam se in conferendis codd. suis emendandaque Justini oratione diligentiam ac religionem collocasse praedicat (vid. editionis Duebner praefat. p. VII. seqq.) et editio ejus tantam auctoritatem apud criticos est adepta, ut qui Justinum post Bongarsium edendum suscepissent, eam fere totam sequendam censerent eaque usque ad haec tempora pro vulgata, quae dicitur, habita sit, quam primus nuper Duebnerus (Justini historiae Philippicae secundum vetustissimos codd. prius neglectos recognovit, brevi annot. crit. et hist. instruxit F. Duebner. Lips. ap. Teubner 1831. 8.), antiqua religione sublata, non dicam plane deserere, sed perpetua recognitione secundum vetustissimos codd. prius neglectos facta emendare ausus est. In quo negotio administrando quamquam tanta diligentia, doctrina ingeniique subtilitate versatus est, ut ejus editio optima omnium, quae adhuc prodierunt, habenda esse videatur, tamen, quum exceptis tribus secundi ordinis codd. (vid. ejus praefat. p. XVII.) nullis ei aliis subsidiis praeter imperfectum illum ac perquam negligenter collectum antiquiorum editionum apparatum criticum utendi facultas fuisse videatur, non tantum eum ad nativam Justini orationis integritatem restituendam conferre potuisse apparet, quantum eum praestaturum fuisse persuasum mihi est, si vel ipsis illis egregiis codd. Bongarsianis denuo diligenter collatis uti licuisset, vel saltem ejusdem familiae codicibus, verbi causa Gissensi ejusque fratre gemino Marburgensi. Nam ex his demum codd. diligenter cum edit. Fischeriana (Justini hist. Philipp. ex rec. Jo. Georg Graevii cum ejusdem et Joh. Frid. Gronovii animadversionibus ed. Joh. Frid. Fischer. Lips. in librar. Veidmania 1757. 8.) comparata perspexisse videmur, quantum esset id, quod etiam post praeclaram illam operam Duebnerianam in Justinum emendandum collatam ad nativum hujus scriptoris colorem restituendum et ad historiam criticam textus, quem vocant, conficiendam restaret, quam posteriorem partem fere totam a Bongarsio esse neglectam non immerito vehementer questus est Fischer praefat. pag. XI. et Duebner praefat. p. XV. Nam primum quidem nihil de externo codicum suorum habitu dixit, utrum membranacei fuissent, an chartacei; antiquis an recentioribus temporibus scripti; num maximam an quadratam an octonariam formam habuissent; quantam porro vel altitudinem vel latitudinem quantumve singuli versus spatii cepissent, quotque unaquaeque pagina versus continuisset; utrum denique majoribus literis, quas unciales vocant, an minutis vel cursivis, quae dicuntur, exarati fuissent, de quibus rebus etsi certiores facere debebat viros doctos, tamen multo facilius id damnum ferremus, si internam praestantissimorum illorum codd. conditionem accurate descripsisset. Qua in re illud primum reprehendendum est, quod quum profert lectionem aliquam aut ex uno aut ex pluribus codd., se eam fere simpliciter dicit invenisse in libris scriptis et nota „Mss.“ vel „Codd.“ nihil aliud significat, nisi aliquot codd. vel duo vel plures, sed eos pauciores ceteris, quorum plerumque lectionem recepit, vel minus praestantes hanc illamve lectionem habere nullo praeterea possessoris nomine addito; ita ut, si nosse cupias, quae sit verbi causa Cuiaciani codicis lectio, quae Puteanei, prorsus incertus haereas, unde multis locis ambiguitas infertur molestissima. Tum codicum familias plane non distinxit, ut scire possis, qui codd. vel quot ex uno exemplo sint descripti quibusque mutationibus obnoxii fuerint. Denique non dixit, utrum codd. isti correctionibus vel a prima vel a secunda vel a tertia denique manu factis praediti fuissent

an non. Quod plane ignoraremus, nisi jam praeclaros illos duos codd. Gissensem et Marburgensem cognossemus, fratres Bongarsianorum, quorum quum Gissensis multis secundae, raro etiam tertiae manus correctionibus instructus sit, Marburgensis autem exceptis paucis emendationibus ab ipso librario factis immunis manserit, Bongarsianos quoque vel omnes vel partem eorum ejusmodi correctionibus affectos fuisse eo perspicitur, quod multae lectiones, quas in Gissensi codice per correctiones ortas esse quum ex hoc ipso codice, tum e Marburgensi cognovimus, à Bongarsio sine ullo indicio fontis vel in ipsam orationem Justini illatae vel in libellum variarum lectionum conjectae reperiuntur. Omitto, quod idem vir doctissimus orthographiae codicum suorum perraro fecit mentionem, quam e nostris codd. non recentiorem istam, quae in editionibus exstat, sed antiquam illam fuisse intelligitur, quae quum in omnibus antiquioribus codd., tum inprimis in palimpsestis optimaeque aetatis inscriptionibus reperitur. Quae res cum quanto literarum Latinarum damno olim neglecta fuerit, nunc demum viri docti intelligunt. Cfr. Ge. Phil. Ebrard. Wagner Praefat. ad Volum. V. Opp. Virgil. Ad haec autem incommoda a Bongarsio nobis illata accedunt plura alia aliunde nata, quorum primo loco ponendum est illud, quod eorum codd., qui praeter Bongarsianos antiquioribus temporibus sunt collati, alii, quamvis sint optimi, iisdem tamen conferendi vitiis laborant, quibus Bongarsiani; alii autem, qui nostra aetate accuratissime sunt excussi, ut tres Duebneriani, non tantam habent auctoritatem, ut nova ex iis recensio, quae vocatur, confici possit, quae firmiore ac certiore fundamento nitatur, quam adhuc factum est. (Cfr. Duebner praef. p. XIII. et XVII. n. 35. 36. 37.) Praeclari autem illi Bongarsiani codd. dolendum est quod, quum vel omnes vel partim eorum in bibliotheca Bernensi omnibus praesto esse videantur, (vid. Sinneri Catalog. codd. Bernens. cum praef.) nondum ad Justini orationem multis ex partibus corruptam inde emendandam vel ab doctissimo Orellio plurimorum scriptorum et Latinorum et Graecorum sospitatore vel ab alio viro docto Latinarum literarum perito denuo accuratissime diligentissimeque collati vel in usum vocati sunt, vel variae lectt. eorum publici juris factae. Atque Orellius quidem V. Cl., qui se ante aliquot annos Justinum ex iisdem illis codd., nunc Bernensibus, opinor, denuo collatis emendatum editurum esse professus est, (v. Jahn. Jahrbücher für Philol. und Paedag. Bd. XVII. Heft 4. p. 379.) quum cum magno literarum Latinarum damno nondum adhuc promisso suo steterit, vehementer sum gavisus, quod literis amici mei Helvetici Hermanni Sauppii, Viri Doct., cui, quantum debeam, alio loco exponam, nuper certior factus sum, Platonis aliorumque scriptorum Graecorum editorem clarissimum Georg. Baiterum largissimum apparatum criticum ex iisdem collectum habere, cujus ope aliquando Justinum esset emendaturus. Quae res quo felicius ei cedat MACTE e longinquis terris acclamo eumque ad nostras quoque copias egregias gnaviter utendas invito, quibus me ipsum et Adrianus, magnus literarum mearum patronus et Carol. Frid. Hermannus, Prof. Philol. et bibliothecae academicae Marburgensis praefectus secundarius pro suis quisque viribus instruxerunt, quorum posterior insigni erga me benevolentia amicitiaque non Codicem tantum Marburgensem Justini petenti mihi Marburgo Gissam misit, sed, quod per mihi gratum utileque fuit, programma quoque dono dedit, in quo insunt „variae lectiones ex codice Justini Marburgensi nunc primum (secundum edit. Duebner) collato (quibus, id quod in titulo programmatis indicare neglexit, variae lectt. ejusdem codicis Marburg. in Cic. Oratt. Catil. sec. ed. Orell. enotatae accedunt) exscripsit G. F. Eysell“ (adjutus in conferendo cod. a collega Gymnasii Hinkel) Rinteln 1840. Quem libellum quum in manus sumpsissem legissemque in praef. p. VI. illum quoque codicem cum optimis illis Bongarsianis quam maxime consentire, magno ardore adhibita editione Duebneriana cum variis lectt. Gissensis codicis a me enotatis contuli

judiciumque Eysellii confirmari intellexi. Sed quod in summo graviorum rerum consensu animadverti esse tamen etiam leviores quasdam res, in quibus codex Marburg. a Gissensi discreparet, orthographiae autem nusquam fere mentionem esse injectam, suspicio mihi orta est, comparationem istam Eysellianam non plane vitiis carere. Quapropter, quamquam conferendis codd. jam satis me defatigatum esse sensi, tamen refectis aliquantulum viribus non deterritus sum animo, quin codicem Marburgensem propter summum cum Gissensi codice consensum totum de integro cum editione Fischeriana conferrem. Quod quum summa diligentia fecissem ac non parum Eysellium errasse invenissem, sive quod codex male scriptus est, seu quod in compendiis interpretandis non satis exercitatus fuit, institutum meum pristinum nullos codd. externos in his Commentariis criticis describendi eorumque varias lectiones afferendi deserere ausus operae pretium facere mihi videbar, si tam bona conditione Justini emendandi data hujus quoque codicis descriptionem integramque varietatem lectionis hoc loco repeterem, Eysellii erroribus silentio praetermissis, quorum partem ipse in scidula per Frid. Hermannum ad me missa correxit, quod me ex ejusdem viri „Analectis catalogi codicum bibliothecae academicae Marburgensis Latinorum“ (ad novi prorectoris inaugurationem die XII. M. Septembris A. MDCCCXLI. Marburgi concelebrandam scriptis) eundem codicem nunc maxime tractare cognovit (v. Hermann praef. p. 4.). Quae tamen charta critica nihil mihi utilitatis afferre potuit, qui totum codicem ter ipse contulissem. In describendo autem codice Marburgensi hanc ego rationem secuturus sum, ut, quum tantam ejus cum Gissensi codice vel virtutum vel vitiorum similitudinem perspexisse videar, ut, quae de uno horum codd. dicenda videantur, omnia fere etiam in alterum cadant, perpetua comparatione de utroque disputem. Ac primum quidem codex Giss., ut supra p. 5. significavi, perpetuas praesertim orthographiae correctiones a docta quadam manu, excepta orthographia, persaepe recte factas habet prima lectione vel punctis et supra lineam et infra positis notata, ut, quum pro vetere orthographia „aepulae“ corrector legi voluit „epulae“, scriptum extat ạepulae, vel litura facta, qua nos utimur, deleta, vel penitus erasa, in quo tamen corrigendi genere felici quodam casu pristinae scripturae vestigia pellucent, ita ut oculorum acie acrius intenta recognoscere eam possis, quod ubi jam fieri nequit, hoc damnum ope codicis Marburgensis refici potest, in quo nullae plane correctiones extant, praeter paucas a librario ipso factas eaque ubique lectio reperitur, quae in cod. Giss. ante correctionem exstitit, unde, quomodo pristina scriptura se habuerit, e cod. Marburg. saepe vel perspicue demonstrari potest, vel certe divinari, cujus rei insigne exemplum est libro IX. cap. 13. extr., ubi vid. varr. lectt. in append. crit. allatas. Perraro correctiones tertiae cujusdam manus saeculi fere XV. vel XVI. in cod. Giss. reperiuntur. Alterum autem damnum codicis Giss. multo illud quidem gravius priore est, quod in eo nescio quo casu integrum folium deest, quo continebatur olim locus libr. II. a cap. 4. §. 16. usque ad cap. 6. §. 14. pertinens, quod damnum in summa hujus codicis praestantia pergraviter sentiretur, nisi per codicem Marburg. refici posset, in quo iste locus integer extat, qui codex non dubitari posse videtur quin ut frater geminus Gissensis easdem lectt. praebeat, quas etiam in codice Giss., si folium istud non perisset, reperiremus. Sed ut nihil est in rerum natura ab omni parte perfectum, sic etiam cod. Marburg. eo damnum contraxit, quod in eo exceptis prioribus duobus prologis ceteri per inertiam pigritiamque librarii, opinor, desunt, quod damnum contra per Gissensem codicem compensatur, in quo isti prologi pariter atque in Bongarsianis omnibus excepto uno universi Justino ipsi praepositi repериuntur, quum vicissim in cod. Marburg. duo isti prologi, ut in uno isto Bongarsiano, singulis libris Justini argumenti loco praemissi sint (v. Fischer. praef. p. XXVIII.), qui

quum ad verbum cum codicis Giss. prologis conveniant, ceterorum quoque lectiones sine ulla dubitatione ex hoc cod. peti possunt. Ac ne quid alterius utrius codicis gratia dissimulemus, de Marburgensi codice non praetermittendum est illud, quod verborum ordo nativus, qui Romanorum legibus alliterandi, ut hoc verbo brevitatis causa utar, magis respondet, (vid. Hand Lehrbuch d. Latein. Stiles II. Buch, 3. Cap. §. 76—127, inprimis autem §. 107 et I. Buch 5. Cap. §. 17, III. Buch 5. Cap. §. 32 ed. prim. et Divinationes Livianas a me a. 1839 Karlsruae apud Theod. Groos editas p. 44. et Reinhold Klotz in Ind. ad Cic. Tusc. Disp. voce „Wortstellung" citatis) multo saepius in Marburg. codice, quam in Giss. servatus videtur, quum contra Giss. codex orthographiam antiquiorem majore constantia retinuerit. Ceterae autem vel virtutes vel vitia, quae plerumque vel in optimis antiquissimisque codd. reperiuntur, in utroque codice mirum habent consensum. Ac vitia quidem utriusque codicis pariter atque codicum Bongarsianorum, quantum e libello variarum lectionum Bongarsii intelligi licet, partim ex eo genere literarum orta sunt, quae unciales vocantur, quibus illud exemplum Justini scriptum fuisse, e quo et Bongarsiani codd. et Gissensis et Marburgensis ducti sunt, varia depravationum genera, quae in his codd. reperiuntur, produnt, (cfr. Duebner. praef. p. VIII.) partim librariorum corrigendi studio atque inscitia sunt contracta. E priore autem genere vitiorum sunt ista, quum librarii vel propter terminationum aequalitatem similitudinemve aut integros versus et vocabula aut singulas literas omiserunt, ut libro IX. cap. 7. §. 2. duo commata, quae Cicero vocat, et in nostris et in Bongarsianis codd. exciderunt, vel quum, praesertim in prologis perquam corruptis graviterque vulneratis, singula orationis verba a librariis aut male conjuncta aut male disjuncta reperiuntur, quae a Gissensis quidem codicis emendatrice manu commatis, quae Germani dicimus, plerumque rectius sunt disposita, in Marburgensi autem codice intacta manserunt, ita ut ex hoc codice eorum codicum conditionem, qui uncialibus literis scripti fuerunt, optime perspicere possis. Vid. varr. lectt. ad libr. XIII., 4, 22 et 23 et prolog. libr. XXVII. Ad alterum autem vitiorum genus referenda sunt illa, quum antiquior illa orthographia, quam olim in Giss. codice exstitisse p. 5. significavimus, a secunda quadam manu plerumque cum recentiore commutata est, a quibus alterius manus correctionibus quamquam integer mansit codex Marburgensis, tamen librarius ipse in describendo codice antiquiore nonnulla suo judicio tacite videtur mutasse. Porro librariorum inscitiae illud quoque vitium tribuendum est, quod in utroque codice miro casuum assimilandorum studio vel duorum pluriumve vocabulorum terminationes, quae diverso modo exirent, sono exaequatae, vel quae inter se non cohaerent verba conjuncta reperiuntur nulla neque grammaticae neque sententiae ratione habita, ut lib. XV., 2, 7. pro verbis „Demetrius filium Ptolemaei remittit" in utroque codice extat „Demetrius filius Ptolemaei remittit" et lib. XV., 3, 3 pro verbis „praemia longa militia parta perdiderunt" librarii scripserunt: „praemia longae militiae parta". Perraro in utroque codice pariter atque in Bongarsianis notae margini adscriptae in ipsam Justini orationem illatae reperiuntur, ut lib. IV., 1, 10 nomen Virgilii, cujus auctoritate aliquis librarius ad confirmanda ea, quae Justinus narravit, uti voluit, in omnibus ejusdem familiae codd. in media oratione Justini extat et lib. XL., 12, 7. in cod. Marburg. judicium approbantis „bene" e margine in ipsam Justini orationem irrepsit. In libro autem XXIV., 4, 9 integrum argumentum orationis Justini, quod in cod. Giss. in margine reperitur, in Marburgensi medio contextui orationis interpositum est, quo exemplo haud scio an optime omnium probetur, codicem Marburg. et Giss. ex eodem fonte esse ductos. Immunis est autem uterque codex pariter atque Bongarsiani ab interpolationibus, glossematis crebrioribusque verborum inversionibus, quas librarii suarum aurium judicio in secundae classis codicibus fecerunt. Ac de interna

utriusque codicis conditione satis diximus. Restat, ut de externo habitu pauca dicamus, quem locum quum de Gissensi codice Vir Cl. Adrianus, de Marburgensi Frid. Hermannus, inprimis vero Eysellius diligentissime tractarint, nihil ego mihi aliud relictum video, nisi ut, quae illi viri docti dixerunt, vel repetam hoc loco, vel, sicubi opus videbitur, meam sententiam interponam. Ac de antiquitate quidem codicis Gissensis equidem vehementer doleo, quod non possum assentiri viro alioquin ejusmodi rerum peritissimo Adriano, qui in Catalogo codd. bibl. acad. Giss. p. 25. Nr. LXXIX. hunc codicem saeculo XV. demum scriptum esse dicit, quum mihi exempla tabularum palaeographicarum in codice diplomatico Mabillionis inspicienti saeculo VIII. vel IX. exaratus esse videatur. Nam cur egregiam illam scripturam literis semiuncialibus rotundis factam ab librario saeculi XV. arte repetitam existimemus, in quam quis opinionem incidat, nulla neque ratio neque vestigium extat. Sed ego quam recte judicaverim, videant peritiores artis diplomaticae ex specimine in lapide inciso, quod Adrianus in calce catalogi tab. I., n. IV. dedit, quamquam id duplici de causa non satis sufficere mihi videtur, quoniam neque istam scripturae rotunditatem, ut ita dicam, habet, quam codex ipse prae se fert, neque duplex scripturae genus in eo invenitur, quod ego in hoc codice reperisse mihi videor, cujus alterum angulatius est et tenuius (in eckigeren, schmächtigeren und spissigeren Buchstaben geschrieben), quod ab initio codicis pertinet usque ad lib. XIII., 2, 8 et fere respondet tabulae lithographicae apud Adrian., alterum rotundius ac pinguius (in runderer u. fetterer, dickerer Schrift), quod ab loco modo indicato usque ad codicis finem pertinet, quo in discrimine scripturae tamen non satis dinoscere potui, num utrumque genus scripturae ab eadem manu esset profectum, quoniam forma literarum mihi quidem non videtur esse diversa. Gaudeo tamen, quod, dum hos Commentarios criticos typis repetendos describo, in aetate hujus codicis definienda meam opinionem parum distare cognovi ab eo viro docto, qui judicium fecit de catalogo Adrianeo in „Goettinger Gelehrten-Anz.“ Jahrg. 1841. St. 206 et 207, qui secundum specimen hujus codicis lithographicum saec. X. eum exaratum sibi videri censet. Marburgensis autem codex chartac. non potest dubitari quin saec. XV. scriptus sit. Valde difficile tamen dictu est, utrum, id quod Eysellius censet, a duobus librariis exaratus sit, an ab uno. Nam quamquam diversum genus scripturae in hoc quoque codice reperitur, quorum alterum pinguius ac clarius (reiner) pertinet ad lib. V. cap. 3, 7 alterum ab hoc loco usque ad finem Justini valde minutum ac perobscurum est (sehr klein u. unsauber) mihi quidem forma literarum pariter atque in Giss. codice in neutra parte videtur esse diversa, ac ne secunda quidem pars codicis, quae Ciceronis orationes Catilinarias continet, ab alia manu profecta videtur, quamquam multo majoribus literis scripta est, similioribus illis quidem priori parti codicis Justini, quam posteriori, unde facile quis conjiciat, utraque opera ex uno codice esse descripta saeculi, ut videtur, XII. Extat enim in eodem codice breve glossarium Latino-Germanicum, quod manifesto eandem manum prae se fert, qua et prior pars Justini et orationes Catilinariae scriptae sunt. Quodsi auctore Viro doctissimo Weigand, Dr. Philos., magistro scholae Gissensis realis, quae vocatur, eo, qui nuper egregium librum verborum linguae Germanicae synonymorum (Synonymisches Wörterbuch der deutschen Sprache II Bde.) scripsit, glossarium illud, quod primus edidit Vir Cl. Frid. Hermannus in Analect. catal. codd. bibl. acad. Marb. Lat. p. 4. seqq. (vide supra p. 6.) saeculo XII., si quid e Germanicorum vocabulorum sono et significatione conjici licet, compositum est, jure colligere posse videor, totum codicem e codice saec. XII. esse descriptum, hunc ipsum autem alterum saeculi XII. codicem e multo antiquiore exemplo manasse, quod omnes istos naevos habuerit, quibus recentius exemplum saec. XV. satis fideliter ac superstitiosa religione e multo antiquiore descriptum supra

p. 6. affectum esse diximus, qui in recentioribus codd. plerumque vel correcti, vel tacite sublati reperiuntur. Quae si ita sunt, sicuti esse videntur, aetatis quoque similitudo quaedam inter cod. Giss. et Marburg. intercedit, quum Gissensis revera saeculo VIII. vel IX. scriptus, Marburgensis vero ex alio ejusdem fere saeculi codice per propagationem ortus videatur. Foliorum numerus est in cod. Giss. detracto perdito folio, de quo vid. p. 6., CLXXII., cod. Marburg. habet folia CXXXII. adnumeratis ceteris praeter Justini. Forma cod. Giss. magis quadrata est, quam maxima, quae Folio dicitur, quam habet Marburg. Singulae paginae cod. Giss. continent XXII versus lineis stilo ductis. In cod. Marburg. versuum numerus non ubique est idem, ad summum XLIII habentur, nec fere minus XXXIX. Quaecunque in libris octo prioribus in cod. Marburg. leguntur literae majores sive nominum propriorum, sive initio periodorum, sunt eae rubro colore decoratae; nomina propria maximam partem subductis rubris lineis sunt distincta, in reliqua parte codicis nihil ornamenti invenitur ac principio singulorum librorum passim integra vocabula ac versus desiderantur, quos librarii majoribus literis atramento rubro scribere voluisse videntur; in Giss. cod. haec versuum initia ac subscriptiones librorum majusculis literis paene uncialibus partim rubris partim nigris pulcherrime scriptae extant. In margine cod. Giss. paucae notae sunt partim politicae, quae vocantur, perbreves, ut „bene“ „male“ „futiles homines“ etc., partim argumenta rerum tractatarum continentes, quae verborum formis Italicum librarium produnt, ut cum pugna dicitur *attaca*. Etiam in Marburg. codice ejusmodi perbreves notae sed pauciores inveniuntur. Raro in Giss. cod. supra versum a man. saec. XV. vel XVI. interpretationes verborum extant, ut „crescere“ pro „gliscere“, in Marburg. nullae. Sed in media Justini oratione in Marburg. codice interdum aliquid spacii vacuum relictum est, quo unum alterumve vocabulum deesse significatur, quamquam saepe nihil deest. Has lacunas Eysellius non ubique ea religione, quam ipse in praefat. secutum se dicit, indicavit. Denique in cod. Marburg. vel librarii vel monasterii nomen, ubi codex scriptus est, additum videtur, quod neque Eysellius neque ego legere potui.

Quodsi jam quaeritur, uter codex utri in tanta utriusque praestantia sit praeferendus, mihi quidem non est dubium, quin externa conditione Gissensis codex propter pulcherrimam scripturam multum Marburgensi praestet, internarum autem virtutum ratione habita neuter neutri tantum sit propensurus, ut sentias.

---

## II.

## Liber Vegetii de re militari

qui continet quatuor libros partiales

Codex Giss. Nr. MCCLVI. fol. 152—200 a.

B. S. Ms. 161. 4.

*„Codex chartaceus saec. XV. in Gallia [in calce codicis adjecta sunt verba „Scriptus Parisiis in Collegio Montisaculi anno 1463., die vero XVIII. mens. Januarii“ Adrian in Catal. p. 381.] satis negligenter scriptus [sed qui tamen satis commode legi possit] mutilus in fine, inscriptionibus aut rubris aut atris, litteris initialibus nullo pictis, crebris vocum compendiis, notis paucis ad marginem adscriptis, antiqua ligatura, foll. 263, quorum 1 et 236 membranacea sunt et aliena continent. Vacua*

*sunt foll. 2—4. 97—99. 201 b. et 232—236. Fuit hic codex quondam in bibliotheca viri reverendi Creigtoni, tum autem, ut videtur, in collectione Brockhusii, cujus nomen fol. 2 a. inscriptum est.“* Adrian.

In hoc codice, qui 25 tractatus diversorum scriptorum continet, tria tantum scripta extant, quae ad nostram rem pertinent, quorum prius est lit. m. „Invectiva Sallustii in Tullium, alterum lit. n. M. T. Ciceronis in Sallustium invectiva“, tertium, de quo nunc tractaturi sumus, lit. u. fol. 152—209 a. „Liber Vegetii de re militari, qui continet quatuor libros partiales.“ [Ita titulus. Tum sequitur index contentorum et eadem inscriptio. Incip. prologus: Antiquis temporibus mos fuit bonarum artium studia etc. Explic. Quam vetus doctrina monstraverit. Explicit feliciter.“ Adrian.]

Est hic codex ex egregio aliquo codice descriptus, qui et verborum collocatione et singulis dictionibus multo melius nativum Vegetii exemplum mihi referre videtur, quam quod in vulgatis editionibus extat, quas norim. Quamquam mihi et Schwebeliana editione (Norimberg. 1767. 4) ad comparandum codicem utenti et Animadversiones in Flav. Vegetium de re militari ab viro docto F. O. A. L. S. in Miscellaneis Observatt. in auctores veteres et recentiores Amstelaedam. Vol. VI. Tom. III. usque ad Vol. IX. T. III. e multorum codicum variis lectt. haustas inspicienti non contigit, ut codicum familiam investigarem, cui noster codex annumerandus esset. Quum autem vehementer sit optandum, ut Romanorum quoque scriptoribus Rei militaris tandem aliquando ea lux critica affulgeat, quam mox Graecis ejusdem generis scriptoribus opera et studio Viri Doctissimi Friderici Haasii Profess. philolog. Vratislav. affulsuram esse speramus, nos quoque aliquid ad haec studia incitanda ac promovenda conferre posse videmur, si integram varietatem lectionis codicis Giss. ad editionem Schwebelianam enotatam in append. critica proferamus. Liber IV. et V. in hoc codice in unum sunt collati. Quare uno libro minus esse videtur, quam in editionibus, in quibus IV liber a V est disjunctus. Quam rem h. l. notandam censui, ne quis in nostro exemplo aliquid deesse putaret.

---

## III.
## Codices libri Boethii de consolatione philosophiae
cum commentariis.

### 1) Anicii Manlii Torquati Severini Boethii de consolatione philosophiae libri V cum commento.
Cod. Giss. Nr. LXXXV.

B. S. Ms. 256. 4.

*„Codex membranaceus saec. XV., inscriptionibus rubris, litteris initialibus aut rubris aut caeruleis, aut vario colore distinctis, crebris vocum compendiis, lineis stilo ductis, notis inter lineas adscriptis, foll. 297, quorum 296 b. et 297 vacua sunt. Continentur: a. fol. 1—230. An. Man. Torq. Severini Boethii De consolatione philosophiae libri V c. commento. Incip. introd. Quinque libros philosophiae consolationis insignis auctor boecius etc. Incip. op. fol. 4. Subscr.:*

*Qui me scribebat, Gregorius nomen habebat,*
*In Gonuwitz natus, illic quoque et parentatus*
*Lector mente pia pro eo dicat Ave Maria*

*b. fol. 231—277. Johannis Gersonis de consolatione theologiae. c. fol. 278—296 a. a. Tractatus egregii doctoris Dom. Johann. Gerson. Cancell. Parisien. De gratia et*

*libero arbitrio et quo modo cum praedestinatione simul stare possunt. Subscript. A. D. 1468 in die S. Gregorii Mart. et est S. Johannis Baptiste in Seytz ordinis Cartusiensis. Long 9''. 3'''. Lat. 6''. 2'''.*" ADRIAN.

Tertius codex eorum, qui in praestantissimis bibliothecae nostrae sunt numerandi, est Cod. Giss. N. LXXXIV., in quo praeter duo alia scripta, quae modo Adriani verbis commemorata sunt, Boethii libri V de consolatione philosophiae continentur, qui mira quadam philologorum vel contemptione vel oblivione usque ad hoc tempus turpiter neglecti jacent. Nam nullam editionem ex hujus saeculi legibus criticis emendatam vel illustratam habemus, et quae prioribus saeculis sunt confectae, hae omnibus iis vitiis laborant, quae magnam nobis hodie molestiam ambiguitatemque afferunt, quum de critico fundamento quaeritur, quo priorum saeculorum edita exempla nitantur. Quod si cognoscere velis, vel iidem codices denuo inspiciendi conferendique sunt, si facultas ejus rei detur, vel alii codices quaerendi totumque opus retexendum de integroque exordiendum. Quod si quis facere instituerit, is sane hoc nostro codice praestantissimo duobusque aliis bibliothecae nostrae codd. adhibitis intelliget, quantum praeclari hujus libri oratio ab imperitis vel librariis vel criticis sit corrupta, transposita ac multum a genuino Boethii exemplo mutata prodierit. Has autem turpissimas depravationes ut ipse invenirem certissimisque exemplis demonstrare possem, primus ille optimus codex Gissensis effecit, qui mira quadam bibliothecae nostrae academicae fortuna, quum jam periculum esset, ne e bibliotheca Senkenbergiana a turpi quodam homine furto, ut videtur, ablatus et in publica venditione venalis in imperitorum manus veniret, ejusmodi emtorem reperit, cujus philologicae doctrinae fama longe lateque per Germaniam ceterasque Europae terras artibus literisque florentes propagata est. Is fuit V. Cl. Frider. Osannus, Profess. philol. Giss. et Dir. Semin. philol., qui, quum egregium illum thesaurum optimo jure acquisitum ut magnum bibliothecae suae ornamentum sibi retinere posset, magna sane liberalitate gratis eum reddidit, qua de re vid. Adrian in praefat. catalog. p. VII. Tanta est autem hujus codicis praestantia, ut vix ullum alium codicem meliora daturum existimaverim. Quare nihil me melius ad studia Boethiana vel excitanda vel provehenda conferre posse putavi, quam si integram ejus lectionis varietatem secundum editionem Delphinianam Londini apud Valpy 1823. 8 maj. repetitam in appendice critica repeterem. Familiam codicum, cui nostrum adscriberem, propter imperfectum illum antiquiorum editionum apparatum criticum indagare non potui, nisi quod eum cum optimo codice Thuaneo primo et duobus Victorianis, quorum excerpta in edit. Londinensi extant, ubique fere consentire intellexi. Quem consensum multo saepius repertum iri spero, ubi tres illi codd. egregii, id quod maxime optandum est, denuo ab aliquo viro docto diligenter erunt collati. Ego vero unum illud doleo, quod mihi in conferendis nostris codd. non ad manus fuit C. Lindemanni „Dissert. de tribus codd. Boethii de consol. philos. Zwiccav. 1827. 4." Singulis librorum capitibus metrisque interjectus est Commentarius copiosissimus doctissimusque, qui, quamquam multo plura continet, quam is commentarius, qui in omnibus fere antiquioribus editionibus extat, ut in Ascens. Badii Paris. 1504. 4., qui vulgo Thomae Aquinati tribuitur (de quo vide „Grässe Lehrbuch einer allgemeinen Literärgeschichte II. Bd. II. Abth. I. Hälfte p. 245 n. 120.), sed rectius, opinor, Joanni Gersoni a Goldasto ad Paraeneticos veteres p. 245 seqq. vindicari videtur, de quo vid. Grässe l. c. p. 308 n. 267, tam multa tamen cum hoc ipso sive Thomae Aquinatis, sive alius scholastici commentario communia habet, ut communis utriusque commentarii fons fuisse videatur. Qua de re ego ita existimo, quum ex ceteris quoque commentariis omnibus fere hujus Boethiani libri codicibus adjectis perspexisse mihi videar, magnum omnium quum inter ipsos, tum cum illo Thomae Aquinatis commentario esse consensum, nullum tamen

exemplum Ms. integrum hunc commentarium Thomae Aquinatis referre, sed in aliis codd. copiosiorem esse, in aliis breviorem, unum olim antiquiorem commentarium extitisse sive a Thoma Aquinate, sive, id quod mihi omnium maxime probabile visum est, a Paulo Gersone, sive ab alio quopiam conscriptum, qui paulatim a diversis interpretibus Boethii pro suis cujusque rationibus vel contractus sit, vel dilatatus, ita ut jam vix investigari possit, quae prima illius antiquissimi commentarii, quod Graeci ἀρχέτυπον vocant, forma fuerit, unde sequitur, ne illud quidem certo dici posse, quis e tam multis tamque diversis commentariis Mss. quam proxime ad antiquissimum illud exemplum accedat. In qua re si senatusconsultorum formula „Videtur" non plane rejicienda sit, haud scio an primi nostri codicis Boethiani commentarius nisi ex ipso ἀρχετύπῳ repetitus sit, at quam proxime ad id accedat, quippe qui medii aevi studiorum rationi maxime conveniat. Sed quum hoc argumentum hoc loco copiosius persequi non liceat, satis habemus exempla horum commentariorum in appendice critica dare, quibus latius de ea re disserendi facultas detur iis, qui accuratius in eam inquirere velint. Operae autem pretium existimo, hunc commentarium integrum edi, quod et ad cognoscenda medii aevi literarum studia inprimis philosophiae et theologiae et ad emendandos quum classicorum scriptorum locos, tum inprimis medii aevi poetas plurimum conferat, quorum permulti saepe loci copiosiores ad confirmandam aliquam sententiam afferuntur. Cum illo commentarii cujusdam fragmento, quod primus edidit Ang. Mai in Classic. Auctor. e Vatic. codd. edit. T. III. p. 331—345, commentarius Giss. nullam similitudinem habet, in cujus fronte metra Boethiana extant.

2) A. M. T. Sev. Boethii de consolatione philosophica cum commentario
Cod. Giss. Nr. LXXXIV.
B. G. XV. 32. fol.

*„Codex chartaceus saec. XV., inscriptionibus et literis initialibus rubris, notis in margine et inter lineas adscriptis; fol. 364., quorum 200 b. 201. 281. 282. 306 b. —364. vacua sunt."* Adrian.

Ab codice praestantissimo LXXXV. prope abest codicis LXXXIV. ea pars, quae Boethii librum supra laudatum lit. a. fol. 1—200 continet cum commentario Thomae Aquinatis, quae tamen glossulae potius habendae sunt e commentario excerptae. Quare nulla ejus exempla protuli, sed variarum lectt. specimen in appendice crit. dedi, quo, si cujus interesset, utrumque codicem conferre posset. Collatio facta est secundum ed. Londinensem supra nr. 1. laudatam. Praeterea in hoc codice 9. alia diversorum auctorum scripta extant, quorum ad nostram rem faciunt lit. c. fol. 250—262 a. M. Tullii Ciceronis Cato Major sive de Senectute, lit. e. fol. 283—294. M. Tullii Ciceronis Laelius sive de Amicitia dialogus, lit. b. fol. 202—249. Alani ab Insulis de Planctu naturae. [„In priori libri operculo haec leguntur." Gabr. Byel. Liber eccl. Cap. S. Marci Butzbac." Adrian.]

In calce exempli Boethiani extant verba: „Johannes Landspergensis." Collatio hujus cod. perquam manca ab H. Majo F. facta extat in edit. Boeth. de consol. philos. Sitzmann Hanov. 1607. (Biblioth. acad. Giss. lit. D. nr. 869.)

3) A. M. T. Sev. Boethii de consolatione philosophiae
Cod. Giss. Nr. LII.
B. G. XV. 12 a. fol.

*„Codex chartaceus saec. XV. negligenter scriptus, foll. 137. Continentur: a. fol. 1 —90. Commentarius in libros octo Physicorum Aristotelis a. 1474 b. fol. 91—137.*

*A. M. T. Boethii de consolatione philosophiae — Adscriptae sunt notae et emendationes inter lineas et in margine. Subscr. Fin. libri Boecii — LXXII. [1472?]"* Adrian.

Codex Boethianus est secundi ordinis, qui, quamquam saepe meliorum codicum lectiones confirmat, magnas tamen depravationes ostendit. Sed, ut pejorum quoque codd. natura cognosceretur, hujus quoque codicis exempla pauca ad editionem Londinensem enotata in appendice crit. adjeci.

4) A. M. T. Sev. Boethii de consolatione philosophiae libri V cum commentario.

Cod. Giss. Nr. LXXXVII.

B. G. (3.) 14 fol.

*„Codex chartaceus saec. XVI. vergentis, ab initio mutilus, literis initialibus modo rubro, modo atro pictis, notis et emendationibus in margine adscriptis, crebris vocum compendiis, fol. 198, quorum 59 163 b. 197 et 198 vacua sunt. Continentur: a. fol. 2—58 A. M. T. Sev. Boethii de consolatione libri V cum commentario. Deficit folium primum. Inter fol. 22—23 unum folium deest. — b. fol. 64—74 a. Methodus epistolandi brevis et utilis per fratrem Wilhelmum Saphonensem Ord. Minor. edita. [de quo vid. Grässe Lehrbuch einer allgemeinen Literärgeschichte II. Bd. 2. Abth. 2. Hälfte p. 742. n. 24.] — c. fol. 75—141. L. Ann. Senecae Epistolae explic. in ep. 89. — d. fol. 142—151. M. Tull. Ciceronis Paradoxa. — e. fol. 152—157. Epistola de querelis contra mortales. Incip. Nemus ingens [Fortasse est hoc exemplum ejus libri, qui inscribitur: Judicium Jovis in valle amenitatis habitum etc. auctore Lichtensteinensis Eremita s. l. 1475. cfr. Denis Suppl. p. 595. et Annal. typ. IV. p. 148.] — f. 157 b.—160 a. Boethius de disciplina scholarium — Explicit (cap. 1. in fine) Nostraque volumina stili .... Cetera desiderantur. — fol. 160 b.—162 habetur tabula alphabet. in Boethium. — g. fol. 164—196. Poemata latina cum commentario. 1. Eberhardi Betuniensis Labyrinthus. Fragmentum — Cfr. P. Leyseri Hist. [poet. med. aev.] etc. p. 759—2. Anonymi Carmina in laudem S. Mariae Virg. [Leyser p. 795. De carminibus illis vid. infra descriptionem codicum, quibus poetae latini medii aevi continentur, nr. XI.]"* Adrian.

Est hic codex pessime foedissimeque scriptus, picturis interdum lepidissimis in initio singulorum librorum calamo factis ornatus, omni ex parte tam corruptus tamque depravatus ac decurtatus, vix ut quidquam bonae frugis ex eo literis redundaturum putaverim. Ego quidem ut exempla ejus darem, adduci non potui; Boethium quidem vix in eo agnoscas; commentarius autem nihil habet, nisi miseras quasdam glossulas Minellianis istis notis prorsus aequiparandas.

5) Commentarii in Boethii librum de consolatione philosophica sine textu.

Cod. Giss. Nr. LXXXVI.

B. G. XVI. 11 fol.

*„Codex chartaceus saec. XV., male habitus, in duas columnas divisus, litteris initialibus modo rubro pictis, modo plane omissis fol. 379, quorum 1. 117 b. 118 a. 145 b. 146 a. 150 b. 295 et 366 b.—379 vacua sunt. Continentur: a. fol. 2—75. Commentarii libri Boethii de consolatione philosophica. — Subscr. Finitum est commentum libri ven. Boethii de cons. philos. per me Eccardum de Ameniburg studentem univers. Erfordiens. 1426. — b. fol. 76—138. Aristotelis liber de Anima. Latine. Cum Commentario [Alexandri ab Hales.]. — c. fol. 138—150. — Pauli de Geldria Tr. de Conceptibus. — d. fol. 151—294. — Anonymi De artibus liberalibus quaestiones. —*

*e. fol. 296—366. Commentaria in Aristotelis libros de Coelo et Mundo, Meteorol. et Metaphys.“* Adrian.

Commentarius in Boethii libros V de consolatione philosophiae larga doctrinae copia refertus ex eo numero commentariorum est, qui ex antiquissimo fonte hausti, de quo supra Nr. 1. diximus, per singulas aetates magis magisque aucti sunt, neque tam scriptori ipsi illustrando prosunt, quam cognoscendis medii aevi literis inprimis historiae poetarum. Tantus est enim in hoc commentario versuum e poetis medii aevi allatorum numerus, ut paene integram historiam poetarum medii aevi ex eo conficere verbique causa totum exemplum Philippi Gualteri Alexandreidos (de qua vid. Polycarp. Leyser historia poetarum et poematum medii aevi Halae — Magdeb. 1721. p. 764. I.) ea forma, qua auctori horum commentariorum praesto fuerit, componere possis. Textns Boethii nusquam his commentariis additus est, e quo aliquid critici commodi redundet. Lemmata tamen, quae vocantur, in commentario extant. Commentariorum exemplum in append. crit. dedi. pag. 25.

## IV—V.

## 1) Martiani Minei Felicis Capellae Afri Carthaginiensis de nuptiis Philologiae et Mercurii liber I. et II.

## 2) Platonis Timaeus ex interpretationo Chalcidii cum fragmento Commentariorum Chalcidii in Timaeum. (cap. 48 et 49)

Cod. Giss. Nr. LXXXII.

B. G. (3.) 81. 4 min.

*„Codex membranaceus saec. XIV. nitidissime scriptus, litteris initialibus vario colore distinctis et auratis, notis et emendationibus inter lineas et in margine adscriptis, crebris vocum compendiis, lineis subtili atramento ductis fol. 84, quorum 1 et 84 chartacea sunt. Fol. 83 a. scriptura vacat. Insunt autem in hoc codice:*

*a. fol. 2—45. Martiani Minei Felicis Capellae Afri Carthaginiensis, De nuptiis philologiae et Mercurii Lib. I. et II. Subscr. Finem habet liber secundus Marciani Capellae.“ — Koppius codicem nostrum non vidit. — b. fol. 46—82. Platonis Timaeus ex interpretatione Chalcidii. Ita inscriptio manu Maji exarata. — fol. 836 habet fragm. institut. rythmico-musicalium litteris minutissimis exaratum. [Est hoc fragmentum Commentariorum Chalcidii in Timaeum c. 48 et 49 sec. edit. Fabric. Vid. infra.] Fol. 2 a. nomina eorum, qui olim codicem nostrum possederunt, inscripta sunt. [quae quum nominare satis habuerit Vir Doct. Adrian., notis, quae in cod. ipso additae extant, instructa hic interponam: Matthaei Berneggeri dono Dn. Jacobi Luckii 1624. Nunc possidet Jo. Henricus Majus F. dono viri consultissimi Jo. Ernesti Lambrechti illustris reip. Wormatiensis consulentis. Wormatiae d. 15. Sept. a. 1729. — Joannes Freinshemius Wormatic. 1. Jan. 1687.] Cfr. F. Eckard Uebersicht etc. p. 147. Lg. 6" 7'''. Lt. 4" 6'''.“* Adrian.

Ea pars codicis, quae Martiani Capellae priores duos libros continet, initio potissimum codicis multis glossulis et supra versus scriptis et in margine additis est referta, quae, quamquam ad criticam factitandam raro aliquid conferunt, tamen ad obscurum Martiani sermonem intelligendum valde sunt utiles et fortasse ex Remigio Antissidorensi, cujus aliquoties fit mentio, excerptae sunt, qua de re vid. Vir. Cl. Carolum Fridericum Hermannum in editione Martiani Capellae Koppiana praef. p. XVI. (Marcianus Capella ad codd. Mss. fid. rec. cum not. var. et comment. perpet. ed. U. F. Kopp. Francfurt a. M.

1835. II Voll. 4.) et Grässe Lehrbuch einer allgem. Literärgesch. II. Bd. II. Abth. 2. Hälfte p. 836. Sed quod ad criticam utilitatem e nostro cod. percipiendam attinet, non multum inde mihi quidem ad emendandum Martianum Capellam redundaturum videtur. Quamquam enim lectiones aliquot in eo reperiuntur meliores iis, quas recepit Koppius, tamen si Koppius codd. suos praestantissimos, in quorum numero Darmstadiensis videtur esse referendus, diligentius consuluisset contulissetque, multo meliores eum in iis varietates lectionis reperturum fuisse persuasum mihi est. Familiam autem codicum, cui noster codex annumerandus esset, per summam Koppiani apparatus critici tenuitatem investigare non potui. Nam quum Koppius egregiam plurimorum codd. supellectilem haberet, raro tamen unam alteramve lectionem inde in editione sua attulit. Sed ut intelligentes harum rerum aestimatores, ut Frid. Lindemannus, Vir D., quem Martianum Capellam Corpori Grammaticorum Lat. Vet. inserendum constituisse scio, suum sibi judicium de nostro codice facerent, exempli causa nonnullas ejus varietates lectionis in append. crit. adjeci.

Multo melior esse videtur ea pars codicis, quae continet Platonis Timaei interpretationem Chalcidii cum fragmento Commentarii in Timaeum. Nam quamquam J. A. Fabricius in exemplo Chalcidii exprimendo, quod extat in ejusdem editione Opp. S. Hippolyti T. II. p. 225 seqq., eas tantum lectiones e cod. quodam Bodlejano nominatim attulit, quas ipse non recepit, unum illud tamen perspexi, hunc cod. Bodlejanum perbonum esse et immerito saepe ejus lectiones Fabricium repudiasse, Gissensem autem codicem cum ipsis illis codicis Bodl. lectionibus ita consentire, ut ex uno fonte utrumque ego codicem manasse existimem, perbono illo quidem, de cujus usu critico idem dicere liceat, quod olim teste Jo. Albert. Fabricio in Bibliotheca Lat. in libros IV distributa Hamburg. 1708. 8. p. 560. Lucas Holstenius in quadam epistola de codice Chalcidii, in quo ipsum se hunc scriptorem emendaturum esse pollicitus est, his verbis tradidit: „se Chalcidium e Mss. antiquissimo emendasse, e quo perspici posset, quot in illo auctore mendae delitescerent,“ quae quum maximam partem unius codicis Gissensis ope facile tolli posse videantur, hujus codicis integram lectionis varietatem sec. optimam ed. Fabricii enotatam in appendice critica attuli, ut, quomodo nuper Platonis Timaeus egregie a viris doctiss. Stallbaumio et Baitero emendatus prodiit, sic tandem aliquando etiam Latina ejus interpretatio ab Chalcidio facta e codd. emendata in lucem exire possit, quos duos libellos valde optandum est ut aliquis vir doctus reperiatur, qui una cum interpretatione Tulliana edat sic, ut opusculum illud tripertitum tribus columnis dividatur, quarum in prima ponatur Platonis Timaeus, in altera Tullii, in tertia Chalcidii interpretatio latina adjuncto commentario Chalcidii, quo trium illorum libellorum vel consensus vel dissensus totaque tractandi ratio commodius perspiciatur. Multo autem magis optandum est, ut etiam Commentario hujus interpretationis ab eodem Chalcidio confecto, qui multo pluribus gravioribusque vitiis videtur esse affectus, ab aliquo viro docto Platonis doctrinae de numeris perito, v. c. ab Carolo Frid. Hermanno, Profess. Marburg., bonorum codicum ope pristina integritas restituatur, ad quam rem bene administrandam haud scio an nos ipsi aliquid conferre possimus fragmento hujus commentarii in extremo codice fol. 83 b. invento ejusque variis lectt. in append. crit. allatis. Incipit autem hoc fragm. a cap. XLVIII. (ed. Fabric.) verbis „quis igitur primae portionis numerus“ et pertinet usque ad cap. XLIX. verba: „quae ratio invenitur etiam in caeteris numeris, qui sunt in formula.“ Coepit olim hunc codicem conferre possessor exempli Fabriciani Maj. Fil., sed neque ultra cap. 9 Chalcidii interpretationis in conferendo pervenit, nec omnia enotavit.

---

## VI.

# Codd. librorum Ciceronianorum et Pseudo-Ciceronianorum.

1) Ciceronis Epistolarum ad Familiares. Lib. I—VII IX—XII et XIII ep. 1—16 med.

Cod. Giss. Nr. LXXV.

B. S. Ms. 232. fol.

„*Codex chartaceus saec. XV., ex parte aqua laesus et lacerus, in fine mutilus, prior pars in duas columnas scissa et non eadem manu, qua posterior, scripta est; litterae in illo libro, quem sub litt. a. recensui, minores sunt et initiales nondum pictae, in sequente autem libro rubrae. Foll. 250, quorum 1 et 65 b. vacua sunt. Continentur: a. fol. 2—217 a. Col. 1. Ciceronis Epistolarum ad Familiares libri I—VII, IX—XII et XIII ep. 1—16 in medio. — b. fol. 117 a. Col. 2—119 b. Senecae Epistolae ad S. Paulum. — Sequitur brevis notitia de authencitate harum epistolarum cum epitaphio Senecae (Cura, labor, meritum etc.) et Sententiis ex S. Gregorio et Augustino. — c. fol. 120 a. Litera diffidatorialis regis Dane contra Bohemos. — d. fol. 120 b.—122 a. Proverbia Latina sec. ord. alphab. [Sunt proverbia Senecae.] — e. fol. 122 b. Epitaphium Senecae. (idem, quod sub lit. b. recens.) — f. fol. 124—278 a. L. Annaei Senecae ad Lucil. Epistolae 1—88 [87] 90—124. Ep. 89 [88] deest. Post ep. 102 scripta est ep. 101. — g. fol. 278 a.—280. L. Ann. Senecae Epistola ad Lucilium 88 a. [Ea, quae supra lit. f. deesse dicta est, i. e. epistola de artibus liberalibus.]*“ Adrian.

Ea hujus codicis pars, quae Ciceronis epistolarum ad Familiares particulas eas, quas modo commemoravimus, continet, quamquam Mediceo codici non aequiparanda est, nequaquam tamen contemnenda videtur, quod e multo meliore exemplo, ipso Mediceo fortasse descripta est, quam ceteri harum Epistolarum codd., quos propius cognovimus, ut Cizensis, cujus variarum lectt. exempla sec. ed. Schützii a Daehnio enotata in Miscellan. Crit. a Friedemanno et Seebodio editis Vol. I. Part. I. p. 162—167 extant, et Erfurtensis, e quo exempla dedit Eduard Wunder in Variis lectionibus librorum aliquot M. Tullii Ciceronis ex codice Erfurtensi enotatis. Lips. 1827, quod et multo saepius cum Mediceo consentire, quam dissentire reperitur, et quod manifesta persaepe codicis Medicei vitia in aliis codd. correcta mira quadam librarii vel religione vel stupiditate servavit, ut lib. I. ep. 8, 2 dietas pro pietas, ep. 7, 8 emblema *praefuisti* omittit; atque in nonnullis locis verborum ordine Tulliano praestare mihi videtur exemplo Orelliano e Mediceo cod. et editt. Victorianis emendato, nisi forte et Victorius, id quod nos nunc non sine causa suspicamur (vide „Petri Victorii curae tertiae in Cic. Epp. ad Famil. edid. Jo. Casp. Orellius Turici ex officina Ulrich 1840.“ Index lectionum in acad. Turicensi habendarum.), et Fr. del Furia, vir alioquin in conferendis codd. exercitatissimus, a quo Mediceus codex Orellii causa denuo collatus est, oculorum errore, ut fit, nonnullas lectionum diversitates e Med. notare neglexerunt. Quae quum ita sint, non possum assentiri magno operum Tullianorum sospitatori Orellio reliquos codd. omnes prae Mediceo nimis despicienti. Nam ut concedam, Mediceum codicem, quod ipsum tamen etiam nunc dubitari posse videtur, fontem ceterorum codd. esse omnium, non tamen ante hos prorsus oblivioni esse tradendos censuerim, quam, id quod ipse Orellius in historia critica Epistolarum ad Familiares (Opp. Cic. Vol. III. P. I. p. 22) optavit, talis editio curata erit, quae ipsum exemplum Mediceum in lapide incisum ita referat, ut ne de minima quidem literula ejus ulla amplius dubitatio relinquatur eoque fundamento ceterorum codd. familiae certissime constitui possint. Quae res quo melius faciliusque administretur

quoque certius a criticis Tullianis judicium feratur, quantum meae de Gissensis codici reliquiis Epistolarum ad Familiares judicio tribuendum sit, exempli causa varias lectt libri I usque ad ep. IX §. 3 ad exemplum Orellianum enotatas in appendice crit. adjeci Graeca verba, quae in his Epistolis reperiuntur, ubique fere codicis Gissensis librariu omisit, quod ea fortasse legere non potuit. Liber VIII, quo Caelii epistolae continentur eadem causa omisisse videri potest, quam Orellius in hist. crit. p. 13 attulit. Vehementer autem dolendum est, quod totus codex nescio quo madore tam corruptus est, u quae in margine ejus scripta sunt aut aegre aut plane non legi possint.

2) Ciceronis Epistolarum ad Familiares lib. I—VIII. ep. 9.
Cod. Giss. Nr. MCCXLVII.
B. S. Ms. 35. fol.

„*Codex chartaceus saec. XV. scriptus, fol. 346, quorum permulta scriptura vacant.*" Adrian.

Hic codex, in quo 23 scripta, quae potissimum ad historiam medii aevi recentiorisque aetatis spectant, continentur, complectitur Nr. 3. fol. 118—164 b. Ciceronis Epistolarum ad Familiares particulas eas, quas modo commemoravimus e codice secundae alicujus vel tertiae familiae, ut videtur, descriptas. Codici certe LXXV multum bonitate cedit. Quare satis habui pauca ex eo exemplo cum editione Orelliana collata in append. crit. afferre. A rec. manu in calce exempli Epistolarum notatur „Usque ad lib. 8 epist. 9 ad Familiares."

3) M. Tullii Ciceronis Cato Major sive de Senectute liber et Laelius sive de Amicitia dialogus.
Cod. Giss. Nr. LXXXIV.
B. G. XV. 32. fol.

Hic codex, quem supra Nr. III, 2. descripsimus, lit. c. fol. 250—262 a. Ciceronis Catonem Majorem sive de Senectute librum et lit. e. fol. 283—294 Laelium sive de Amicitia dialogum continet, quorum uterque tam corruptus tamque interpolatus est, ut nullam prorsus utilitatem criticam afferat, id quod e variis lectt. perspici potest, quas una cum externa descriptione codicis exempli causa dedit Christ. Henr. Schmid in tabula recitation. in acad. Ludovic. per sem. hibern. 1791. inchoand., quae omnia quum repetiverit Vir Cl. Adrianus in Catal. codd. Nr. LXXXIV. p. 28 seqq. nos illas sordes chartae causa repetere noluimus.

4) M. Tullii Ciceronis Paradoxa.
Cod. Giss. Nr. LXXXVII.
B. G. (3.) 14. fol.

Non melius judicium fieri potest de ejus codicis exemplo Ciceronis Paradoxorum, quem supra Nr. III, 4. descripsimus, in quo hic libellus Ciceronis lit. d. fol. 142—151 tam foede interpolatus extat, ut vix Ciceronem in eo agnoscas. Quare exempla variarum lectt. afferre id vero chartam perdere est. At quum ipse ego hujus libelli Tulliani varias lectt. e quinque codd. Dresdensibus longe melioribus habeam, gratis eas offero, si quis eis uti velit.

5) Invectiva Sallustii in Tullium et M. Tullii Ciceronis in Sallustium Invectiva.
Cod. Giss. Nr. MCCLVI. p. 85—91 b.
B. S. Ms. 164. 4.

Hae duae declamationes, quae praeter multa alia in cod. Giss., quem supra Nr. II. descripsimus, lit. m. fol. 85 b.—87 a. (Invectiva Salustii in Tullium) et n. fol. 87 b.—91 b.

(M. Tullii Ciceronis in Sallustium Invectiva) extant, pariter atque libri Vegetii de re militari, qui in eodem codice insunt, ex optimo aliquo exemplo descriptae sunt; multo istis codd. quibus adhuc harum declamationum editores critici usi sunt, melioribus. Quare varias exempli Giss. lectiones dignas habui, quas integras sec. edit. Orellianam (Cic. Opp. Vol. I. p. 688 seqq.) enotatas in append. crit. adderem.

6) M. Tullii Ciceronis Orationes IV in Catilinam.
(Cod. Marburgens. Class. I. Scriptores antiqui A. 2 b.)

Quum in illo codice Marburgensi, qui praestantissimum illud Justini exemplum continet, de quo supra Nr. I. satis copiose disputavimus, etiam Ciceronis orationes IV in Catilinam reperissem, quarum lectt. Eysellius ad exemplum Orellianum (Cic. Opp. Vol. II. P. II. p. 5—48) enotatas in eodem libello, in quo Justini varias lectt. attulit, typis repetendas curavit, nihil mihi antiquius fuit, quam ut hanc quoque codicis partem eadem, opinor, manu scriptam, quae nisi totum codicem, at posteriorem exempli Justini et Glossarium Latino-Teutonicum scripsisse videtur (v. supra pag. 8 seqq.), suo pretio ponderarem Eyselliique comparandi fidem denuo explorarem, quae perlustrata illa Justini comparatione vehementer labefactata esset. Qua in re investiganda quum non illud solum intellexisse mihi visus essem, non minorem Tulliani exempli praestantiam esse, quam Justini, nisi quod nonnullis glossis ac glossematis praeditum reperitur, sed etiam Eysellium eosdem errores in orationibus Tullianis conferendis commisisse, quos eum in Justini variis lectt. enotandis commisisse reperissem, hoc quoque exemplum denuo diligentissime accuratissimeque cum exemplo Orelliano contuli largamque messem variarum lectionum ab Eysellio vel invito vel nescio quo consilio omissarum feci. Quae quum ita sint, satis me excusationis a viris doctis habiturum esse spero, si, quamquam externarum bibliothecarum thesauros philologicos examinare non est hujus loci, neglecta illa lege Ciceronis causa hujus quoque exempli, quo orationes IV in Catilinam continentur, varias lectt. integras in append. crit. attulero, quoniam tam multas egregias planeque singulares ac memorabiles lectiones nobis affert, ut, etiamsi non prorsus sit a depravationibus immunis, maxime tamen dignae istae varietates inveniantur, quae a novo editore harum orationum critico diligentius examinentur inque locum antiquiorum lectionum succedant. Familiam autem codicum, ad quam cod. Marburg. esset referendus, neque ex Orellii, neque e Steinmetzii apparatu critico investigare potui. Videtur autem mihi suum genus sequi a ceteris plane sejunctum, nisi forte multa, quae in praestantioribus codd., ut in nonnullis Steinmetzianis v. c. Tegernseensi, extare admodum verisimile est, vitio ab editoribus criticis omissa putemus, quae suspicio maxime in Steinmetzium cadit, de quo multis locis queritur V. Cl. Madvig. in Opusc. Acad. eo loco, quo nonnullos locos ex oratt. Catilinariis emendat. (p. 185—194) Praestat autem exemplum Marburgense orationum Ciceronis in Catilinam, quod pariter atque Justini e cod. saeculi XII. descriptum esse ex iis, quae p. 8 seq. diximus, non immerito colligere videmur, non solum multo meliore verborum ordine, quam exemplum Orellianum, sed etiam vetere illa orthographia perquam constanter servata, cujus supra p. 5 fecimus mentionem; et singularibus admodumque memorabilibus lectionibus, quae, quantum ex Orelliano Steinmetzianoque apparatu critico perspici licet, e nullo alio codice adhuc sunt allatae, ut cum orat. II, 5, 11 in eo cod. formula „*terrae marique*“ reperitur, de qua vide, quae nos in varr. lectt. e cod. Giss. antiquissimi Pauli Diac. Hist. Longobard. lib. VI, 11 notavimus, et Orat. III, 5 in. *fortassis* pro *fortasse*, ubi vid. not. et Or. II, 8 extr. *usuris et fructibus* et Orat. III, 6 in. *absque* pro *sine* etc. cujusmodi lectiones rariores facilius sane est criticis removere, quam originem earum ostendere easque scite defendere. Praeterea animadvertendum est, has orationes in

hoc cod. *Libros* nominari, ut orationes Verrinas. Denique in extremo codice extat „Narratio de clementia Aug. Caesaris", quae hausta videtur e Senecae libro de Clement. cap. 19., de qua cfr. notam Reimari ad Dion. Cass. lib. LV. cap. 4. Tom. II. p. 786. §. 146. lin. 10.

---

## VII.
## Codices Senecae et Pseudo-Senecae.

### 1) L. Annaei ad Lucilium Epistolae 1—87. 88. 90—124. Cod. Giss. Nr. LXXV. fol. 124—278 a. (ep. 1—87. 90—124.) et fol. 278 a.—280. (ep. 88.)

In hoc codice, quem supra Nr. VI. descripsimus, praeter multa alia l. c. Senecae epistolae eo ordine extant, quo modo indicavimus, ab alia manu, quam cetera scripta, exarata, mala illa quidem, sed perspicua. Scatet correctionibus a secunda manu factis, quibus eae plerumque lectiones restituuntur, quae vulgo in editis exemplis extant, quum lectiones a prima manu profectae multum saepe ab editionibus discrepent, de quarum cum ceteris codd. adhuc perquam negligenter collatis ratione nihil certi mihi constaret, nisi Viri Cl. Caroli Rudolphi Fickerti humanitate liberalitateque factum esset, ut de optimi codicis Parisini A. ejusque prope aequalis Amploniani Erfurtensis lectionibus certior fierem. Is enim Vir Doct., qui se novam editionem criticam Senecae Epistolarum, quam optimo jure alteram principem dixeris, proxime in lucem emissurum esse indicavit in Prolegomenis in novam operum L. Annaei Senecae philosophi editionem Part. I. Numburg. 1839., per literas petenti mihi trium fere capitum libri primi Epistolarum Senecae ad Lucilium varias lectt. ex optimo codice Amploniano excerptas, quo nostri codicis pretium constituerem, non hujus tantum codicis lectiones varias ad edit. Senecae Schweighaeuserianam (ed. Bipont. 1809. V Voll.) enotatas mox humanissimis literis ad me datis misit, sed adjecit etiam lectiones codicis Parisini, quem litera A. notavit quemque etiam praestantiorem codice Amploniano esse mihi significavit, e quibus optimorum codd. exemplis intellexi, Gissensem codicem non tanti esse pretii, quanti putaveram tum, quum egregiam illam Fickerti supellectilem criticam nondum cognoveram, sed secundae alicujus ac vel tertiae familiae.

Quare satis habui aliquot epistolarum varias lectt. sec. edit. Ruhkopfianam enotatas, quum Bipontina illa altera carerem, in append. critic. apponere, quo adhibito apparatu critico editionis Fickerti familia codicum, cui noster codex annumerandus esset, melius perspici posset. Multis locis mediae orationi variae lectt. sunt interjectae, quod idem in quibusdam editionibus factum esse ostendit Fickert in Prolegom. p. 10. Totum corpus epistolarum XXII libris divisum est hoc modo: Lib. I. ep. 1—12. lib. II. ep. 13—19. lib. III. ep. 20—28. lib. IV. ep. 29—35. lib. V. ep. 36—44. lib. VI. ep. 45—50. l. VII. ep. 51—57. l. VIII. ep. 58—65. l. IX. ep. 66—69. l. X. ep. 70—72. l. XI. ep. 73—76. l. XII. ep. 77—79. l. XIII. ep. 80—82. l. XIV. ep. 83—85. l. XV. ep. 86 et 87. l. XVI. ep. 89—92. l. XVII. ep. 93—95. l. XVIII. ep. 96—101. l. XIX. ep. 102—106. l. XX. ep. 107—109. l. XXI. ep. 110—117. l. XXII. ep. 118—124. Inscriptio codicis haec est: „Mentis alumpnus et cultor morum lucius anneus seneca et moralis philosophiae cumulator studiosissimus et beatissimo paulo apostolo mira familiaritate conjunctus ad amicum suum lucilium has morales fecit epistolas per libros distinguens mira exhortatione doctrinam moralem continentes. Incipit liber primus de colligenda et colligenda (sic!) fuga temporis, non esse pauperem, cui etiam modicum satis est vel

(particula *vel* atramento rubro scripta est.) de volubilitate vel mobilitate temporis." Subscriptio est: „Expliciunt epistole lucii (supra vers. a m. 2) annii (corr. annei) senece ad lucilium admisse et summe philosophiam moralem continentes scripte die anno domini 1466to. Sequitur epistola de artibus liberalibus hac inscriptione: „ılla epistola est finalis libri decimi quarti (i. e. ep. 88), ab alia manu addita majoribus literis exarata. Epistola 97 in media oratione, qua verba incipiunt: „Accessivit ad se" etc. habet novam inscriptionem „Cyceronis epistolarum liber primus ad tytum." Singulis denique libris argumenta adduntur similia ejus, quod primo libro praescriptum extat.

2) L. Annaei Senecae Epistolae ad Lucilium Ep. 1—89.
Cod. Giss. Nr. LXXXVII. fol. 75—141.
B. G. (3.) 14. fol.

Hic codex, quem supra Nr. III, 4. descripsimus, eo sibi constat, quod ut eum supra pessimum exemplum Ciceronis Paradoxorum habere cognovimus (v. Nr. VI, 4.), sic etiam Senecae Epistolarum ad Lucilium particulas, quas modo indicavimus, tam interpolatas tamque corruptas praebet, ut vix Senecam in iis cognoscas. Sunt autem depravationes ejusmodi, ut, quum in oratione ipsa continuam paene interpretationem Minellianam ante oculos positam habere videare, tum integrae periodi omissis omnibus fere narrationibus ita contractae sint, ut in una epistola duae fere contineantur ac librarius nihil aliud spectasse videatur, nisi ut sententias quasdam morales, quas vocant, e Senecae epistolis excerperet, cujusmodi editiones commemorat Fickert l. c. p. 4. Quare nulla ego exempla afferre melius duxi, quam chartam sordibus istis contaminare. Explicit in Epist. 89 verbis „Nobis reliquerunt, nihil scire. Vale."

3) Senecae Epistolae ad S. Paulum et Pauli ad Senecam.
Cod. Giss. Nr. LXXV. b. fol. 117 a. Col. 2—119 b. et e. fol. 123—124.
B. S. Ms. 232. fol.

Harum epistolarum, quae falso in numero scriptorum Senecae habentur, duo extant in eo codice, quem supra Nr. VI, 1. descripsimus, exempla, quae quum nihil plane diversitatis praeter pauca scribendi vitia ostendant, ab uno exemplo videntur esse descripta. Differunt tamen scriptura, quarum quae in priore exemplo lit. b. fol. 117 a. Col. 2—119 b. apparet, recentior est, quam altera. Sed quum in neutro exemplo cum eo exemplo, quod typis expressum extat in Bibliotheca Sancti Sixti Senensis in octo libros digesta Venet. 1566. collato aliquid boni repererim, pauca tantum exempla in append. crit. attuli, inprimis cum codex maximam partem sic madore laesus sit, ut scriptura aegre legi possit. Praemissum est utrique exemplo notissimum testimonium Hieronymi de his epistolis, e quo olim eas Senecae viri docti vindicare studuerunt. Epitaphium Senecae est illud, quod et in editt. vett. Opp. Senecae et in ed. Hildeberti Beaugendriana Paris 1708 p. 1369 reperitur.

4) Senecae Proverbia.
Cod. Giss. Nr. LXXV.
B. S. Ms. 232. fol.

In eodem codice, in quo suppositae illae Epistolae mutuae Senecae ad Paulum et Pauli ad Senecam extant, reperiuntur etiam lit. d. fol. 120 b. — 122 b. Pseudo-Senecae Proverbia ordine alphabetico, quae quum parum aut nihil potius ab editis exemplis differant, nisi quod unum aut alterum proverbium vel detractum vel additum est, non operae pretium duxi exempla afferre. Inscriptio est: Senece Proverbia secundum ordinem alphab. Incipit: „Alienum est quitquitt optando evenit. — Ab alio expectes, quod alteri

feceris." Explicit „Virtutem cujus (lac.) finemque despiciens." Cfr. Publii Syri et aliorum sententiae ap. Orell. Phaedri fabulae etc. ed. altera Turic. 1832. p. 38.

---

## VIII.
## Suetonius de XII Caesarum vitis.

Cod. Giss. Nr. LXXVIII.

B. S Ms. 234. fol.

*„Codex chartaceus a. 1473 in Italia natus, vocum compendiis rarissimis* [i. e. fere nullis] *paucis in margine notatis, fol. 115, quorum 1. 113 b. 114 et 115 vacua sunt. Continetur: „Suetonius de XII Caesarum vitis." Subscr.: Cai Suetonii Tranquilli de duodecim Caesarum vitis liber ultimus feliciter finit. Scriptus per me Lazarum olim Raynerii de Canortis de Sto. Geminiano notarius publicus Florentinus ad requisitionem et instantiam Raynerii mei filii studentis sub anno domini nostri Jesu Christi ab ejusdem salutifera incarnatione millesimo quadringentesimo septuagesimo tertio."* ADRIAN.

Quamquam propter criticarum editt. apparatum admodum tenuem et imperfectum codicum familiam, cujus noster codex esset, indagare non potui, illud tamen e comparatione ejus cum edit. Oudendorpiana (Lugd. Bat. 1751) instituta intellexisse mihi videor, nullius eum auctoritatis esse criticae multisque glossematis refertum. Quare paucas tantum varias lectt. sec. edit. Oudendorp. enotatas in appendice crit. attuli.

---

## IX.
## Aurelii Cassiodorii Senatoris variarum libri VII usque ad libri VIImi cap. 41. verba „formula etatis nove quam sue promissionis dictat auctoritas. (sec. ed. Garet. Vol. I. p. 113.)

Codex Giss. Nr. LXXXIII.

B. S. 231. fol.

*„Codex chartaceus diversis manibus saec. XV. negligenter scriptus, inscriptionibus et litteris initialibus modo rubris, modo omissis, notis paucis ad marginem adscriptis, fol. 360, quorum 1 (membran.) 24 b. 25 a. 124. 125. 203 b.—227 et 288 b. scriptura vacant. Continentur a. fol. 2—123 Aurelii Cassiodorii Senatoris Variarum libri. [VII usque ad ep. 41 verba supra allata] — b. fol. 126 — 203 a. Joannis Bocaccii de Certaldo De casibus virorum illustrium. — c. fol. 228—288 Jo. Bocaccii De mulieribus claris. — d. fol. 289 — 360 Collectarius perpetuarum formarum Johannis de Geylnhusen."* ADRIAN.

Ea hujus codicis pars, quae priores septem libros Cassiodori usque ad locum supra commemoratum continet, e vulgarium codd. genere est saepe interpolatus glossematisque refertus, ad quae interdum in media oratione accedunt variae lectiones, addita nota *vl* i. e. vel, e quo quum non multum critici praesidii sperare liceat, paucas tantum varias lectt. in append. crit. exempli causa attuli sec. edit. optimam Garetii Venet. 1729. fol. P. I. enotatas. Familiam, cui noster codex adscribendus esset, per inopiam apparatus critici editionis Garet. indagare non potui. Subscriptio est: Laus deo, pax vivis, requies defunctis. Jo. Friedeberg.

## X.

## Severi Sulpicii 1) de vita S. Martini libri IV., 2) ejusdem Epistolae III de obitu et adparitione B. Martini 3) Dialogi III de virtutibus Monachorum Orientalium.

Cod. Giss. Nr. DCLXXII.

B. G. XV. 11. fol.

*„Codex chartaceus diversis manibus saec. XV. et XVI. scriptus, male habitus in duas columnas divisus, rubris inscriptionibus, litteris initialibus modo rubris modo caeruleis, fol. num. 407. Continentur: „Sermones et Tractatus Variorum.“ Singula, quae hoc volumine continentur, haec sunt: 1) Ewerici Abb. Sermones IV de nativitate Christi. — 2) S. Ambrosii Expositio super Lucam. Libri 2. — 3) S. Bernardi Sermones de tempore et sanctis. — 4) Severi Sulpicii de vita S. Martini. Libri IV. — 5) Ejusdem Epistolae de obitu B. Martini. [quibus accedunt Dialogi tres de virtutibus Monachorum orientalium et Martini libellus de Trinitate] — 6) Alcuini de vita S. Martini. — 7) Heraldi Odonis Abb. de translatione S. Martini et de adustione ecclesiae S. Martini. — 8) Sermo de S. Martino. — 9) De vita septem dormientium per Gregorium Turonensem fol. 387 b. seqq. [His accedunt, nisi fallor, aliorum Sanctorum vitae a Gregorio Turonensi scriptae, sed nondum, ut videtur, editae.] — Fol. 1 haec adscripta sunt: Liber Gabrielis Byel.“* Adrian.

Sulpicii Severi libelli, qui in hoc codice continentur, olim a Majo F. pristino possessore hujus codicis cum editione Operum Sulpicii Severi ab Jo. Clerico curata notisque Vorstii instructa (Lips. 1709. 8.) sunt collati variaeque lectt. codicis notis criticis et interpretationibus instructae ad marginem edit. Cleric., quae nunc in nostra bibliotheca acad. asservatur, adscriptae. Neque tamen nos hanc collationem hoc loco repetendam duximus propterea, quod quum ipse codicem de integro cum eadem editione conferre coepissem, multa ab Ill. Majo pro critico saeculi sui more praetermissa animadverti, quae minime negligenda erant, praesertim quum hic codex e praeclaro quodam fonte manasse videatur, qui ubique fere cum variis lectt. a Vorstio ex optimo quodam codice Ms. bibl. Elector. Brandenburg., quae Coloniae ad Spream est, non satis diligenter, ut videtur, enotatis, consentiat. Sed quum, ne liber meus nimia mole laboraret, de codicibus, in quibus Sacri scriptores continentur, nihil dicere constituissem, de hoc codice Sulpicii Severi nullam aliam ob causam hoc loco disputandum censui, quam quod oratio hujus scriptoris tam prope ad Sallustianam accedit, ut propter istam ipsam imitationem dignus sit, qui etiam a philologis legatur tracteturque. Hinc exempli causa unius tantum libelli de vita S. Martini varias lectt. codicis Gissensis sec. edit. Clerici enotatas in append. crit. dedi, ut, qui hunc scriptorem perpetuum Sallustii imitatorem critice velint tractare, quod sane ut aliquando fiat, optabile est, ipsi judicare possint, num codex Giss. conferendi honore dignus sit. De singulis autem Severi libellis, qui in cod. Giss. extant, operae pretium facturus mihi videor, si Ill. Maji F. narrationem ipsius verbis repetam, quum eum hac quidem ex parte nullos errores commisisse viderim. Ac primum quidem de ea parte codicis, in quo vita S. Martini continetur, haec tradidit „Titulus seq. libri in cod. Ms., qui Gabrielis Byeli fuit, celebris illius doctoris scholastici, plenius eum ante capita lemmata, praefationi, s. uti in hac editione [i. e. Clerici] numeratur, capiti primo subjecta, est de vita et virtutibus S. Martini [„et sic ipse Severus nominat Dialog. I. p. 431.“ *Mai* in Addend.], tum in calce libri eodem modo. Aliter in Ms. se habet dispositio. Quod hic praefatio vocatur, illud rectius codex epistolam nominat h. m. „Incipit epistola Severi de vita S. Martini episcopi.“ Quod vero caput primum hic

conficit, illud in Ms. rectius audit Praefatio, post quam sequitur capitum index atque sic a cap. 2. historiae fit initium.“ In calce hujus libelli Majus haec scripsit „Explicit liber primus de vita et virtutibus S. Martini Episcopi.“ Ita in Ms., in quo sequuntur tres epistolae, quae hic comparent et dialogus primus, ad cujus calcem haec legas: „Explicit liber secundus,“ sic ut videatur tripartita esse historia vitae S. Martini, cujus primam partem libellus de ejus vita, alteram epistolae et dialogus primus, tertiam dialogi sequentes duo absolvant, quamvis ultimis istis dialogis nulla sit alia subjecta clausula, quam haec: Explicit dialogus Severi secundus vel tertius. Post hos dialogos sequitur Martini libellus de Trinitate et nonnullae epistolae de S. Martino agentes, ad quorum finem haec legas: Explicit liber de vita et virtutibus S. Martini Episcopi. Tamen quaedam amplius de Martino videre illic licet. Epistolae inscriptio haec est: „Incipit epistola Severi ad Eusebium presbyterum, postea Episcopum.“ Haec Maji F.

---

# Exempla MSS. editionum.

Restant duo codd., qui non ex codd., sed ex editionibus antiquis propter raritatem exemplorum sunt descripti. Sunt autem hi:

## XI.

## 1) Julius Frontinus cum Aggenio Urbico.

### Cod. Giss. Nr. LXXXVIII.

B. S. Mss. 499. fol.

*„Codex chartaceus saec. XVI. accurate scriptus, fol. 20, quorum 1 2 b. 19 b. et 20 vacua sunt. Continetur Julius Frontinus cum Aggenio Urbico. — Julius Frontinus explicit fol. 10 a. — Fol. 10 b. incipit Aggeni Urbici in Julium Frontinum Commentarium. — Fol. 2 a. haec adnotata sunt: „Iste libellus (quod equidem sciam) nullibi seorsim excusus est. Describendum igitur curavi ex Codice Theodos., quem Sichardus Basileae 1528 in lucem edidit huicque in calce hunc commentarium subjunxit.“ — Infra haec scripta sunt: „Ex bibliotheca Camerariana accepit C. Arnold.“* Adrian.

Immixtae sunt huic codici multae leges e codice Theodosiano excerptae. Miror autem, quod quum haec editio Basil. persaepe ab editione horum scriptorum ea, quae in Goesii Rei agrariae auctoribus legibusque variis Amstelred. 1674. 4. extat, discrepet sic, ut e cod. Ms. vel e pervetere editione expressa videatur, quam rem quum edit. Basil. mihi non praesto esset, quum hunc codicem perlustrarem, certo cognoscere non potui, Goesius tamen nullam prorsus hujus editionis rationem in notis criticis habuit, nisi quod in indice editionum eam commemoravit. Quum autem lectiones hujus editionis multo meliores esse videantur, quam quae apud Goesium reperiuntur, eos, qui in posterum in edendis emendandisque illis Agrimensoribus versabuntur, v. c. Zeisium, quem ex Annalibus philol. Darmstadinis (Zeitschrift für die Alterthumswissenschaft.) 1840. fascic. 9. Nr. 106 hoc negotium suscepturum cognovimus, monitos velim, ut accuratius in rem a me significatam inquirant, quum exempla illius codicis Theodosiani perrara esse videantur.

---

## XII.

## 2) Notitia dignitatum et administrationum omnium tam civilium, quam militarium in partibus Orientis et Occidentis.

Cod. Giss. Nr. CMXLVI.

B. S. Ms. 190. fol.

*„Codex chartaceus saec. XVI. in Italia, ut mihi videtur, scriptus, foll. 66, quorum 1—3. 42—47 et 54—66 vacua sunt. Contenta hujus codicis haec sunt: a. fol. 4—41 Leges Longobardorum. — b. fol. 48—52 Romani Imperii in partibus occidentis sub Hadriani Aug. principatu dignitatum omnium et administrationum tam civil. quam milit. catalogus ex membran. venerandae vetustatis (manu Antonii Augustini) descriptus. — c. fol. 44—56. Index dignitatum civil. et milit. in oriente ab incerto authore. In fine notatur: „Hic index erat in extremo codicis Haloandrini. 1557. — d. fol. 57—53. [59 ?] Notata critico antiquaria. Insunt haec: Quaedam loca G. Haloander aliter quam edidit legi debere admonuit. 2) Ex libro 2. primae decadis interpret. Basilici, tit. 2 et 3, qua dissentiunt aut conveniunt c. latin. ipsar. legum verba. 3) In quibus dissentiam ab edit. Florent. in primo Pandect. ternione, quem solum tantum vidi. — Haec omnia ex Haloandri scriptis sumpta esse videntur.“* Adrian.

Hoc exemplum Notitiae Dignitatum Orientis et Occidentis, quod cum edit. Boecking. contuli, multorum capitum res ita in unum locum contractas continet, ut hic codex merito epitomatus dici possit. Unde non ex ipso illo venerandae vetustatis exemplo descriptum eum puto, sed ex editione et quidem Basil. 1522 fol., quacum ea quidem ad verbum conveniunt, quae ex ea ap. Boecking. fasc. I. praef. p. VIII. excerpta reperiuntur, nam ipsa editione Basil. nulla mihi utendi copia fuit. Inscriptio autem illa „ex membran. venerandae vetust.“ tralaticia videtur. Haec suspicio etiam praefatione et subscriptione confirmari videtur. Nam in praefat. Not. Dign. Occid. haec verba extant „Alciatus quem refert Panvinius in fine fastorum suorum, impressorum per Jac. Stradam Venet. 1551. ponit sequentem Indicem post tractatum mag. Rom.“ cet. In extremo autem cod. Not. Dign. Orient. haec notata reperiuntur „Hic index erat in extremo codicis Haloandrini,“ et ab alia manu, eadem quidem, quae inscriptionem fecit, haec addita sunt: „Fuit postea impressus a. 1557. post fastos Onuphrii Panvini ejus diligentia per Jacobum Stradam primum dictorum fastorum impressorem; nam in posteriori codice accuratiori impressione hic index omissus fuit. De hisdem divisionibus provinciarum imperii factis sub Augusto et Hadriano et Constantino idem Panvinius in lib. de Comitiis imperii etiam libro 3. Commentariorum reip. Rom. ubi videndum.“ Denique in fronte codicis haec extant: „Ex bibliotheca Antonii Augustini archiepiscopi Tarracensis dono Clementis Gregorii Mayans funtl. Valentini possidet H. B. C. de Senckenberg. Nr. 190. bibl. Senck.“ Index dignitatum Orientis ab alia manu scriptus est, quam Index dign. occid.

---

## β) SCRIPTORES MEDII AEVI PROSAICI.

### a) HISTORICI.

## I.

## Pauli Warnefridi Diaconi de gestis Longobardorum libri VI.

Cod. Giss. Nr. DCLXXXVIII.


B. S. Ms. 135. 4.

*„Codex membranaceus saec. XIII. perspicue scriptus, lineis stilo ductis, inscriptionibus et subscriptionibus singulorum librorum rubris, litteris initialibus modo milto modo*

*atro colore pictis, paucis in margine notatis, ligatura antiqua, foll. 120, quorum 1 a. et 120 b. adeo depravata sunt, ut vix singula verba legi possint. Inter fol. 1 et 2 et inter fol. 74 et 75 duo folia desunt. Continetur: Pauli Warnefridi Diaconi De Gestis Langobardorum libri sex. Titulus deest. Fol. 1. Index capitulorum I—XIX. (. . Rugorum regem) — Fol. 2 incip. (lib. I. cap. VI. 1.) . . . fuerant morientibus ceteris, dum adhuc spirans etc. Explic. fol. 120 a. (lib. VI. c. LVIII.) Baodolinus nomine, qui multis miraculis Christi . . . . Quae sequuntur fol. 120 b. legere non potui. Inter fol. 74 et 75 deest index cap. I—XXI libri V. In libro IV. cap. LIII. omnino desideratur ut in fine hujus libri adnotatum est. — Fol. 120 b. manu recentiore haec adscripta sunt: Liber Sancti Marciani . . . . Hic codex ex bibliotheca Monasterii Weingartensis Viennam migrasse videtur. Cfr. Ph. W. Gercken Reisen I. 142. — Archiv. d. G. f. ä. d. Gesch. III. 227. G. W. Zapf Reisen d. e. Kloest. Schwab. p. 11 seqq. Lit. Reis. p. 6 seqq. — C. F. Staelin, Zur Gesch. etc. p. 93. Long. 8" 4"'. Lat. 5" 6"'.* Adrian.

Quemadmodum in aestimandis codd. scriptorum classicorum non dubitandum putavimus, quin principem locum daremus codici Giss. Justini hist. Phil. Nr. LXXIX., sic in censendis codd. scriptorum Latinorum medii aevi principatus deberi videtur ei codici, in quo Pauli Warnefridi Diaconi libri VI de Gestis Langobardorum continentur. Nam quum e diligentissima accuratissimaque hujus codicis comparatione cum edit. optima Bianci (e rec. Lindenbrogii cum ejusdem varr. lectt. ex ipsius codice enotatis et varr. lectt. duorum codd. Italic. Modoëtiensis et Ambrosiani, adjectis notis historicis in Muratori Scriptor. Rer. Ital. Mediol. 1723. fol. T. I. p. 405—511) instituta, tum inprimis ex iis, quae de codd. Pauli Diac. hist. Lang. diligentissime, copiosissime doctissimeque disputavit Vir Cl. Bethmann in libro, qui inscribitur „Archiv der Gesellschaft für ältere deutsche Geschichtskunde.“ Bd. 7. p. 274. §. 35 — p. 358., intellexisse mihi videor, nostrum Codicem non solum cum optimis illis antiquissimisque codd., quos maxime laudat Bethmann p. 326 seqq. i. e. Vindobon. vid. p. 275 nr. 1., Traject. v. p. 284 nr. 2., Palat. v. p. 289 nr. 3., Palat. 2. v. p. 290 nr. 3., Trevir. v. p. 292 nr. 4., Modoët. v. p. 294 nr. 5., fragm. Cassellan. v. p. 283 nr. 1. * et edit. princ. v. p. 296 A. in gravioribus rebus ubique fere consentire, sed multis locis eos superare multoque saepius in locis perquam corruptis solum veri vestigia servasse. Quare ego hunc codicem e multo antiquiore exemplo ductum esse puto, quam ceteros codd. omnes, e quibus exempla attulit Bethmann. Huc accedit, quod codex ipse multo antiquior mihi esse videtur, quam Cl. Adrianus censuit, qui eum saeculo XIII. exaratum dicit in Catalogo l. c., quum mihi exempla codicum saeculo VIII. et IX. scriptorum ap. Mabillon. Cod. Diplomat. cum nostri codicis scriptura comparanti idem saeculo VIII. vel IX. scriptus esse videatur, sic ut ejus aetas cum Justini codicis aetate conveniat, de quo vid. p. 8 seq. Convenit enim maxime cum Tab. XII. ap. Mabill. nr. 1. p. 367 et Tab. LV. p. 454, Justini autem pars posterior, de quo p. 8 disputavimus, cum Tab. X. nr. 3. p. 363, nisi quod minores literae sunt. Haec autem opinio mea haud scio an confirmetur iis, quae vir quidam doctus de pervetusto quodam codice monasterii Weingartensis tradit in libro, cujus supra fecimus mentionem, Archiv d. G. f. ä. d. Gesch. Bd. III. p. 227, ubi haec verba latine extant: „Codicem pervetustum monasterii pridem Weingartensis, quem ibi viderat, seculoque IX. adscripserat illustr. M. Gerbert. (Iter Alemann. ed. II. 1773. p. 235.) in bibliotheca Regia privata, quemadmodum et alios nonnullos codd. ejusdem monasterii ditissimae collectioni olim proprios frustra quaesivimus,“ quibus verbis adjungenda sunt ea, quae in ejusdem operis volumine II. p. 237. seqq. Germanice tradit Dr. Moser Secret. bibl. reg. Stuttgard.: „Noch füge ich einige Notizen bei, die vielleicht noch neu

sind, dass das ehemalige Weingartner Manuscript der histor. Pauli Diac., von dem Zapf spricht (Reise durch einige Klöster Schwaben's p. 11. und lit. Reise p. 6. ff.), sich wahrscheinlich noch jetzt in der Bibliothek des verstorbenen Senkenberg und diese Bibliothek in der Wohnung des Kanzler's zu Giessen befindet; beides nach einer mir privatim zugekommenen Nachricht, die ich jedoch nicht verbürgen kann. Schon dieses MS. allein, noch mehr aber die Ansehnlichkeit der ehemalichen Senkenbergischen Bibliothek (quae nunc cum academica conjuncta est) überhaupt scheint für den Werth einer Durchsuchung derselben zum Besten der Gesellschaft zu sprechen. Wohingegen die 3 Blätter des gedachten MScrpts., die in Weingarten zurückgeblieben waren, ist mir nicht bekannt, auf der königl. Bibl. befinden sie sich nicht.“ Anonymi verba latina et Moseri narrationem Germanice repetivit Bethmann, l. c. p. 340. in Indice codicum Pauli Diaconi his verbis sic: „Weingarten 28. Handschrift Sec. IX. von dem Abt Gerbert (Iter litterarium per Alamanniam p. 235.) hier noch gesehen. Wo sie jetzt seyn mag ist unbekannt. Nach einer Angabe des Oberbibliothekar Moser (Archiv II, 238.) wäre sie vielleicht in der Bibliothek des verstorbenen Senkenberg in der Wohnung des Kanzlers in Giesen.“ Jam quum nunc certo sciamus, extare pervetustum codicem Pauli Diac. hist. Langob. in bibliotheca Senkenbergiana, quae nunc cum academica est conjuncta, quem ego saeculo VIII. vel IX. scriptum mihi videri supra significavi et aetatis igitur ratio et narratio de defectu aliquot foliorum et migratio ista, quam subisse videtur cod. Giss., in eundem codicem optime quadrent, equidem non dubito, quin hic cod. Gissensis ipse ille Weingartensis sit, qui nescio quo casu e monasterio illo Weingartensi pariter atque codex Justini Gissensis olim ablatus a Viro Ill. Dom. de Senkenberg Viennae emptus tandem in bibliothecam academicam Gissensem migravit. Quamquam nos a viro quodam doctissimo accepimus in eadem illa bibliotheca Senkenbergiana extitisse etiam alium codicem Pauli pervetustum, nitidissime scriptum, forma paene octava, qui nunc in ista bibliotheca non reperitur, furto fortasse ablatus, ut olim de cod. Boethii Cons. philos. Nr. LXXXV. factum est. In nostro cod. fol. CXX b. haec verba reperiuntur, quorum unum non satis commode legere potui. „Liber Sancti Martini in



(num Winningen s., ut nunc vocatur Winnike, quod est oppidulum in Galicia?) Sed damnum foliorum majus est, quam vel trium, quae olim, quum Weingartensis cod. est ablatus, relicta sunt, vel numero eo, quem tradidit V. Cl. Adrianus. Desunt enim minimum octo folia, quorum 1) duobus minimum continebatur olim index capitulorum libri I. a cap. XX. usque ad scriptoris ipsius verba libri I. cap. 6. „fuerant, morientibus ceteris, dum adhuc spirans,“ a quibus incipit historia Pauli Diac. — 2) deest unum folium; quo continebantur verba libri II. cap. 13. „clarissimus extitit“ usque ad cap. 14. verba „Benacus lacus Venetiarum“ continuaturque oratio a verbis „de quo Mentius fluvius egreditur“ 3) periit unum folium libri III. cap. 31. a verbis „sileamus, ne hoc patri tuo fiat cognitum“ usque ad verba „nam certe ad hoc ista,“ sequuntur autem in cod. verba haec „in hanc patriam venit.“ 4) amissum est unum folium libri IV. cap. 53. cum argumentis capitulorum libri V. usque ad cap. XXII., cujus haec verba prima sunt „de Arnfrid filio Luponis.“ 5) deest unum folium libri V. cap. 30. a verbis „Constantius Constantii Augusti filius“ usque ad cap. 33. verba „inquirentis, utrum Bertaridus in eadem nave“ continuaturque oratio a verbis „constitueret. Cui cum responsum esset.“ 6) excidit unum folium libri V. cap. 36. a verbis „maximae populorum factae sunt strages“ usque ad cap. 38. verba „aliis multis ex Langobardis, oblitus“ excipiturque oratio interrupta a verbis „tantorum beneficiorum, quae.“ Denique sine folii defectu deest carmen Pauli Diaconi lib. I. cap. 26. cum cetera parte capitis 26.

Numerus foliorum est CXX., quorum singulae paginae XXII versus continent, literis maximam partem perpulchris semiuncialibus fere, nisi quod in medio codice librarius nonnulla folia negligentius scripsit. Fol. 1 a. et 120 b. nescio qua incuria cum tegumento codicis coriaceo fusco vel badio (braunes Leder) ita arcte olim conglutinata fuisse videntur, ut inde scriptura horum foliorum tota fere deleta sit. Quod damnum cadit in indicem rerum s. capitula, quae in ipso codice vocantur, libri I. cap. I. usque ad cap. IX., cujus capituli haec verba supersunt „longitudine sint appellati;" quae sequuntur usque ad argumentum capituli XIX. optime sunt conservata. Folii 120 b., quo continebatur olim libri VI. caput 58., haec sunt extrema verba „blandolinus nomine, qui multis miraculis christi," quae aegre legi possunt. In margine codicis nonnulla argumenta rerum reperiuntur ac variae lectt. Correctiones a 2 man. factae paucae sunt. Quod ad familiam attinet, cui noster codex adnumerandus esse videatur, maximam partem cum Vindobonensi (1.), quem diligentissime descripsit Bethmann l. c. p. 271. 1., consentit, cum quo tantam habet similitudinem, ut omnia fere, quae de illius codicis optimi vel virtutibus vel vitiis idem V. D. tradidit, in nostrum codicem cadant, quo in genere sunt vel majores vel minores verborum omissiones, correctiones vel a librario ipso vel a 2 recentiore manu factae, tum antiquior orthographia, ut *ecum* pro *aequum* cet., denique antiquissimae verborum sententiarumque corruptiones ex uncialibus primi exempli literis ab librariis profectae. Neque tamen totum idem exemplum eum referre patet eo, quod interdum propius accedit ad antiquissimum fragmentum codicis Cassellani, quod descripsit Bethmann p. 283. 1 *, cum quo quum saepius in orthographia, tum in insigni quadam lectionis varietate lib. IV. cap. 52. (Tit. L. codicis Giss.) convenit, ubi pro *„sexaginta millibus,"* quam lectionem codd. 1. 2. 3. habent, solus cum Cassellano habet *„sexaginta militibus."* Hujus autem fragmenti doleo quod non plures varias lectt. dedit Bethmann, quo facilius de utriusque codicis vel consensu vel dissensu a me judicari posset. Interim satis habeo haec vestigia diligentioris inquisitionis ostendisse. Possunt tamen etiam rationes afferri, quae nostrum codicem singulare codicum genus sequi probent ex multo antiquiore integrioreque exemplo ductum, quam antiquissimos optimosque codd. a Bethmanno descriptos. Nam primum quidem multae lectt. quae in optimis illis quinque codd. Bethmannianis saepe admodum corruptae extant, in editt. autem vel in recentioribus pejoribusve codd. de conjectura, ut videtur, recte emendatae sunt, in pervetusto cod. Giss. prorsus ita se habent, ut in recentioribus tantum illis atque correctis exemplis leguntur, ut lib. I. cap. 6., ubi optimi primae familiae codd. corrupte vel *invaso litora* (cod. 1.) vel *invasore litora* (cod. 3.), vel *invasa ad litora* (2.), vel *ab invaso litore* (4.), vel *invaso litore* (5. A.) habent, solus ex antiquissimis codd. habet genuinam lectionem *invasure litora.* Porro multo rarius in Giss. cod. integri versus vel commata, quae Cicero vocat, excidisse inveniuntur, quae in ceteris codd. propter similes versuum exitus exciderunt, ut lib. III, 12., ubi verba *ecce . . . conculc.* in cod. Vindobon. desunt, quae in Giss. integra extant. Interdum etiam e Giss. codice perspicitur, integros versus non tam propter istas sonorum aequalitates excidisse, quam alia quadam librariorum negligentia, ut lib. II, 10. verba *hoc anno . . . cadere solet* in codd. 1. 3. 4. 5. A. plane desunt, quae in Giss. cod. in margine a librarii manu adjecta sunt, quod ea in media oratione oculorum errore, ut videtur, omisit, quod additamentum, quum in uno cod. a scriba esset neglectum, in ceteris ejusdem familiae codd. omissum est. Denique in iis locis, ubi optimi codd. apud Bethmann. ipsi inter se multum dissentiunt, Gissensis quoque codex prorsus singulares admodumque memorabiles lectt. habet, ut lib. V, 2., ubi, quum vulgata lectio sit: *ad Astensem properant civitatem, in qua Pertaridi amici manebant,* quae in ceteris codd. omnibus exceptis primae familiae codd. extant, hujus autem primae familiae codd. longe

aliam lectionem admodum corruptam praebeant (vel: *Astensem amici domum manebant* (cod. 2.), vel: *astensem amici domum manebant* (1. * 3.), vel: *astensem, ubi amici ejus manebant* (A.), vel: *astensem, ubi amici ejus manebant, pervenerunt* (4.), vel: *astensem civitatem amici domum pervenit* (1.)), codex Giss. hanc singularem lectionem habet: *„ad astensem domum manebat et quia adhuc grimuualdo rebelles extabant,“* quae verba corrupta fortasse sic emendari possunt: *„ad Astensem properant civitatem, in qua Bertaridi amici manebant, qui adhuc Grimuualdo rebelles extabant.“* Cfr. varr. lectt. e cod. Giss. enotatas ad lib. V. c. 7. *Romuald cum Longob.* cet. et ad omnes illos locos, quorum ut suspectorum indicem fecit Bethmann, quos ego singulari studio bis terve cum Giss. codice contuli, ut ne vestigium quidem dubitationis de lectione hujus codicis relinqueretur. Praeterea antiquitatis hujus codicis vestigia cernuntur partim in antiquiore illa orthographia, de qua in describendo codice Giss. Justini disputavi, partim in meliore verborum ordine, quam quae in editis exemplis reperitur, denique in toto orationis habitu, i. e. in rectis justisque sententiis, si cum exemplo Bianciano apud Murat. comparantur; vitia autem codicis, quae vel integrorum versuum omissione constant partim ex aequalitate terminationum orta, partim ab oscitantia librarii profecta, vel perquam corruptis lectionibus, ab antiquissimo exemplo ductis, cum ceteris primae familiae codd. ei sunt communia, nisi quod rariora eorum sunt in eo exempla. Sed nullam plane rationem habet cum decurtato illo ac vehementer interpolato codice Bambergensi, e quo primus Pauli Diaconi Historiam Langobardorum Germanice vertit C. de Spruner „Paul Warnefried Geschichte der Langobarden. Zum erstenmal nach einem Codex der königl. Bibliothek zu Bamberg aus d. X. Jahrh. übersetzt und mit Anm. versehen von K. v. Spruner. Hamburg. 1838. 8., de quo codice vide Bethmann l. c. Jam quum nihil magis sit optandum, quam ut nostri quoque codicis haud scio an omnium praestantissimi reliquiis utatur is, qui Pauli Diac. historiam Langobard. in Monumentis historicis Germaniae ab Viro Cl. G. H. Pertz edi coeptis e codd. emendatum edendum susceperit, nos quoque aliquantulum ad hanc rem feliciter administrandam conferre constituimus integra codicis Giss. lectionis varietate in append. crit. afferenda, locis iis, quos Bethmannus in indicem locorum suspectorum conjectos cruce signavit (†), a nobis quoque cruce notatis pauloque copiosius tractatis. Capitulorum indices s. argumenta singulis libris in cod. Giss. praemissa tantum ab editis exemplis discrepant, ut plane alia esse videantur satis antiqua. Quare ego ea summa fide omnibus codicis vitiis fideliter repetitis ad verbum describendos et in append. critica repetendos censui.

---

## II.

## Roberti Monachi de Christianorum principum in Syriam profectione a MXCVI. instituta et post devictos Saracenos regni Hierosolymitani occupatione libri IX.

### Cod. Giss. Nr. CLVIII.

B. G. (3.) 118 a. 8.

*„Codex membranaceus saec. XIII. finientis [cujus literae conveniunt fere cum iis hujus saeculi exemplis, quae Mabill. e cod. Flori Corbei nr. 1. dedit], inscriptionibus et litteris initialibus rubro pictis, lineis stilo ductis, paucis vocum compendiis, foll. 174, quorum 1 b. et 174. vacua sunt. Inscriptio fol. 1 a. manu saec. XV. haec est: Passagium gotfridi regis iherosolimam [additur anni nota 1077—]. Subscr. explicit liber rothberti. (Haec recentiore manu adscripta sunt.) Quae fol. 6 — 398 a. hujus codicis*

*continentur, in J. Reuberi Vet. Script. p. 308 — 398. typis descripta sunt; cetera nondum impressa esse videntur. Fol. 1 a. haec leguntur: Codex Monasterii Spanhem. Ex bibliotheca Majana. Lg. 6". 2"'. Lt. 3". 10"'."* Adrian.

Ego quum hunc codicem cum exemplo Bongarsiano contulissem, quod extat apud Bongarsium „Gesta Dei per Francos" T. I. P. II. p. 30 — 80. ed. Hanoviens. 1601 fol. eumque multo emendatiorem esse perspexissem, quam exemplum illud Bongarsianum (longe emendatius Reuberiano), quod non solum meliore verborum ordine, sed etiam toto orationis colore, qui medii aevi proprius est, integrius servato praestare videretur, miro gaudio sum affectus, quod eundem codicem in Catal. Adrian. Inedita quaedam continere videri legeram. Nam quum apud Bongarsium praef. Nr. II. legissem, Trittenhemium in libro de Scrptt. Eccles. tradere, vidisse se Roberti Gestorum in Terra sancta per Christianos tempore Urbani Secundi contra infideles historiam insignem lib. X., quorum adhuc *novem* tantum editos scirem, suspicabar, nos in nostra bibliotheca habere codicem, qui X libros integros contineret, inprimis quum etiam ea particula, quae Inedita ista continere dicitur, libri X. nomine in cod. Giss. a recentiore manu stilo, ut videtur, plumbeo inscripta sit. Sed quum apud eundem Bongarsium l. c. praefat. Nr. II. legissem, extare codices Roberti, in quibus XV capita e Fulcherii Carnot. Gest. peregrin. Franc. mediae Roberti orationi inserta reperirentur, alia mihi suspicio nata est, ne noster quoque codex ex illo genere codicum esset. Quamobrem statim locum illum, qui apud Bongars. non in orationem Roberti illatus est, sed in Fulcherii historia a cap. XX. usque ad cap. XXXV. extat, evolvi cum iisque, quae in nostro codice Inedita esse viderentur, contuli, qua in comparatione alteram illam suspicionem unice veram fuisse vehementer dolui, quod jam spes novi libri illius historiae Roberti inveniendi irrita facta est. Quare vereor, ne Trittenhemius quoque abbas monasterii Spanhemiensis in ejusmodi exemplum inciderit, cujusmodi est Gissense, quod mirum et ipsum e bibliotheca illius monasterii nescio quo fato Gissam venit, in quo revera XV ista capita e Fulcherio Roberto admixta reperiuntur, quorum mentionem fecit Bongarsius, cujus hac de re verba quoniam tota in nostri codicis descriptionem quadrant, non alienum puto integra hic repetere. Sunt autem haec: „Scias, lector, olim editum illum nostrum pag. hic 80. lin. 35. ex Fulcherio inserta habere plurima: nempe capita quindecim: a cap. XX. ad XXXV. ita: pridie Idibus Augusti. His peractis (edit. *his gestis*) placuit quibusdam in patriam nationis suae reverti etc., quae leguntur fine capitis XIX. Fulcherii, paucissimis voculis variantibus. Tandem redire ad ea, quibus opus suum claudit Robertus: Quia vero hic historicus sermo etc. Haec eodem omnino modo habentur in MS. libro veteri, quem hac editione absoluta forte inter nostros latentem reperimus," cum quibus verbis confer, quae idem praef. Nr. VI. verbis tradit: Usui etiam fuit (ad Fulcherii edit.) fragmentum olim editum cum Roberto Monacho, de quo accepimus, quae pag. 407. 408. 409. ductâ lineâ ab aliis separata sunt. Extant eadem in veteri MS. (non in Giss.), quem ad Robertum supra diximus respondere olim impressum. In utroque, quae hic fine cap. XXXII. p. 418. lin. ult. (Quoniam quidem, ne cet.) et p. 419. usque ad lin. 11. (mendaciter confundat) habentur, referuntur ad cap. XXXIV. p. 420. lin. 2. auctiora hoc modo: „Talionem sibi duplicaverant. Nec in impetibus, nec in utrorumque percussionibus, quae in bello fieri solent, ulterius immorabor: volo enim artare paginam limite parciori. Sed ne vel scriptorum negligentia vel imperitia sive quod rari erant aut suis impediti curis insudabant, haec gesta etc. mendaciter confundat." Quae verba finem operis redolent, ut appareat, repetitum opus a Fulcherio et certe hic Epitomam Fulcherii finit, qui scripsit gesta Francorum expugnantium Hierusalem." Hactenus Bongarsius, cujus descriptio ordinis, quem in suis codd. reperit, quamquam, ut supra dixi, in nostrum codicem integra transferri

posse videtur, tamen, quoniam mihi quidem paulo obscurius expressa videtur, nos nostri quoque codicis rerum ordinem copiosius exponamus.

Ac primum quidem XV. illa capita Fulcherii, quae ap. Bongars. revera in Fulcherii historia inde a pag. 400. lin. 45. (cap. XX. extr.) a verbis „His gestis (Giss. cod. *his peractis*) placuit quibusdam in patriam nationis suae reverti“ usque ad p. 422. lin. 2. verba „talionem sibi duplicaverant“ extant, reperiuntur in cod. Giss. Roberti historiae interposita a fol. 130. med. usque ad fol. 181. lin. 6. exceptis iis, quae a Bongarsio e fragm. cod. p. 407. 408. 409. ducta linea a ceteris separata interposita sunt, nam haec a cod. Giss. absunt. Ea autem, quae ap. Bong. p. 418. lin. ult. a verbis „*Quoniam quidem*“ usque ad pag. 419. lin. 11. verba „*mendaciter confundat*“ in Giss. codice in alium locum transposita reperiuntur, qui est sec. edit. Bong. p. 402. lin. 2. post verba „*talionem sibi duplicaverant*“ hoc modo: talionem sibi duplicaverant. Nec in impetibus nec in utrorumque percussionibus, quae in bello fieri solent, ulterius immorabor: volo enim artare paginam limite parciori. Sed ne vel scriptorum negligentia vel imperitia, sive quod rari erant aut suis impediti curis insudabant, haec gesta etc. mendaciter confundat ita ut omissis verbis modo allatis extrema praecedentis periodi verba pag. 418. lin. ult. „*remanet pars mortua campo*“ cum verbis p. 420. lin. 11. „*His autem gestis*“ arctissime sine interruptione cohaereant sic: *remanet pars mortua campo.* (p. 419. lin. ult.) *His autem gestis.* (p. 420. lin. 11.) Post verba autem pag. 420. lin. 2. seqq. *talionem sibi duplicaverant. Nec* etc. *mendaciter confundat*“ sequitur in Giss. cod. Epilogus, qui in ed. Bong. p. 80. lin. 35. incipit „*Quia vero historicus sermo*“ usque ad verba p. 81. lin. 7. „*reges eorum ministrabunt tibi,*“ quae verba excipiunt in cod. Giss. haec, quae apud Bong. desunt „et propheta David dicit: lauda Iherusalem dominum, lauda Dominum tuum Sion, quoniam confortavit seras portarum tuarum, benedixit filiis tuis in te, qui posuit fines tuos pacem et adipe frumenti saciat te.“ Sequuntur verba, quae extant ap. Bong. „*Haec et multa alia* cet. *sanat,*“ quibus verbis in cod. Giss. adduntur haec, quae ap. Bong. desunt „*qui in trinitate perfecta vivit et gloriatur deus in omnibus saeculorum saecula Amen.*“ Post haec sequitur in cod. Giss. Epistola, quam neque apud Bong. neque alibi inveni. Incipit autem sic: „Hierosolymitanus patriarcha et episcopi tam Graeci, quam Latini universaque militia domini et ecclesie hierosolymitane occidentali ecclesie consortium caelestis Iherusalem et sui laboris praemiis portionem: Quoniam ecclesie vestre incremento nos gaudere non ignoramus“ cet. — Explicit „Nos autem non confisi multitudine, nec viribus nec praesumptione aliqua, sed clipeo Christi et justitia profecti Georgio et Theodoro et Demetrio beatoque Blasio militibus Christi vere nos committimus. Finis.“ Aliam autem Epistolam praefationi Roberti praemissam ab Alexio Imperatore ad principes Christianos occidentales directam posteaquam pariter frustra et apud Bongarsium et apud Reuberum quaesivi, tandem multis aliis libris pervestigatis, in quibus res bellorum sacrorum tractantur, ab Carol. Ducangio in notis ad lib. VII. Alexiadis Annae Comnenae e cod. quodam Roberti valde mutilatam editam reperi in Corp. Scriptt. Byzant. ed. Venet. 1729. Vol. VIII. p. 72. (sec. ed. Paris. p. 335.) Hae autem lacunae Gissensis codicis ope, qui ab omnibus aetatis vitiis integer mansit, egregie possunt expleri, cujus rei jam exemplum sum allaturus cancellis circumdatis iis, quae cod. Giss. solus habet. Prooemium epistolae hoc est: „Hoc exemplar epistolae quarto anno ante gloriosum iherosolimitanum iter a Constantinopolitano imperatore omnibus occidentalibus ecclesiis directum est, praecipue tamen Flandrensi comiti Roberto. Ipse enim comes jam redierat a sepulchro domini in baculo et pera.“ Epistola ipsa sic incipit: „O inclitissime comes et maxime Christiane fidei consolator, notificare prudentie vestre volo, quantum sanctissimum imperium Christianorum grecorum [angustatur fortiter a pincinnatis]

et turcis cotidie [et depraedatur] et adquiratur (*acquiritur* Ducang.) sine intermissione [et fiunt cedes diverse et inenarrabiles christianorum interfectiones et derisiones]. Sed quia sunt" cet. Explicit: „Agite ergo dum tempus habetis, ne christianorum regnum et, quod magis est, domini perdatis sepulcrum et inde non judicium, sed mercedem habeatis in celum. An. M." Restat, ut nonnulla exempla variarum lectt. ex hoc codice praestantissimo afferamus. „Lib. I. p. 32. lin. 56. ap. Bong. Titulus in cod. est: *de Petro heremita et duce Godefrido.* — lin. 56. eremita] *h*eremita, (et sic postea) — magn*i* aestimabatur] magn*us* aestimabatur? — re*l*igionis] re*ll*igionis — c*i*bis] c*y*bis — *summam abstinentiam* in deliciis quaerebat] *famam abstinentie* in deliciis quaerebat? — p. 33. lin. 2. Ungariam] *h*ungar. (et sic postea) — Teuton.] T*h*euton. (et sic postea) — hic vultu elegans] hic vultu *erat* elegans? — lenis] *mitibus* lenis (fuitne *mitis et lenis*?) — pr*ae*lium] pr*e*lium — *posset*] *poterat*? — incompar.] *et* incomp.? — usque ad Const.] *ad* om.? — nu*n*quam] nu*m*quam — *vocatur*] *appellatur*? — infinitus numerus] num. infin.? — sitieb*ant*] sitieb*at*? — in man*us*] in man*ibus*? — *absentibus* franc. princ.] *absque* franc. pr.? — *dominatur*] *principatur*? — *in deterius labitur et*] haec verba desunt? — *quot*idie] *cott*idie — qui *eorum* dominaretur] qui *eis* dom.? — reprehens.] repr*ae*h. — trans*meare*] trans*navigare*? — Nicomed.] ni*ch*omed. (sic ni*ch*aeam) — re*p*er.] re*pp*er. — sustenta*culum*] susten*tamentum*? — *vero*] *quippe*? — nun*t*iarent] nun*c*. (et sic postea) — *quod* venerant] *quia* ven.? — rapere, non *possidere;* destruere, non *retinere*] rapere, non *retinere;* destruere nón *possidere*? — insidiis posit*is*] *in* insidiis posit*us*? — aquam *eis omnino* abstul.] aquam *omnino nostris* abstul.? — *per aquae penuriam*] *pro aque inedia*? — *Christianos* immis.] *illos* immis.? — *quam venerari debet omnis anima fidelis*] Haec verba desunt? — obsessi *autem*] obs. *itaque*? — *quidam*] *alii*? — *mirabile*] *horribile*? — *nullum erat vitae solatium, nisi sola mors pereuntibus erat subsidium*] *nullum erat vite solacium, ubi sola mors erat subsidium*? — f*oe*dus] f*e*dus — eff*oe*m.] eff*e*m. — procel. rege et regno] procel. *et* rege et regno.

---

### b) CODD. CHRONICORUM.

## I.

## Martini Poloni Chronica pontificum et imperatorum et Historia de quatuor minoribus regnis et Romanae urbis exordio libellus.

### Cod. Giss. Nr. CLX.

B. S. Ms. 37. fol.

*„Codex membranaceus, partim saec. XV. [gothicis literis, quarum quum character fere similis earum, quae ap. Mabill. e codd. saec. XII.—XIII. dedit, XIII. saeculi potius hanc partem codicis puto], partim autem saeculo XVI. [majoribus et minoribus literis latinis cursivis, quas vocant] exaratus, foll. 147, quorum 1 b. 24 b. 133 b. 147 b. vacua sunt. Continentur a. fol. 1—21 a. Joh. de Mandevilla Itinerarius a terra Anglie in partes Hierosol. et in ulteriores transmarinas editus primo in lingua Gallicana ab authore suo milite Anno 1455 [1355] in civitate Leodiens. et paulo post translatus in hanc formam lat. — Accedunt fol. 21 b. Indulgentiae terrae sanctae a summis pontificibus concessae omnibus vere contritis et confessis loca scripta devota et personaliter visitantibus [et sunt septem quadragenae indulgentiae et septem anni]. Hoc itinerarium Jo. de Mandavilla, de quo nunc vid. Grässe Lehrbuch einer allgem. Literärgesch. II. Bd. 2. Abth. 2. Hälfte p. 773. et Dr. Karl Schönborn Bibliograph.*

*Untersuchung über die Reisebeschreibung des Sir Jeaun Maundevile. Breslau, gedr. b. Grass et Comp. 24 S. gr. 4. partic. 1. 1840. Progr. Cfr. Jahn's Jahrb. für Philol. u. Pädag. XXXIII. Bd. 3. Heft p. 324. doleo quod multum circumspicienti mihi multumque quaerenti non contigit, ut nanciscerer, quo cum nostro exemplo magna cura scripto conferrem internumque ejus pretium constituerem, inprimis quum illud exemplum, quod in cod. Giss. extat, cum titulo editionis hujus Itinerarii s. l. et a., quam commemorat Grässe l. c., tam mire consentiat, ut editionem illam ex nostro cod. expressam suspicari liceat. Quo accedit, quod et editio illa et cod. noster Belgicae originis sunt. Quod si mihi contigerit, ut e bibliotheca Guelferbytana, ut spero, editum exemplum hujus libri nanciscar, antequam hoc opus in vulgus edatur, in appendice critica copiosius de eo expositurus sum. Idem liber Germanice versus extat in cod. Giss. Nr. CMXII. lit. d. 54—104. Hans von Mandavilla Reise zu dem heiligen Grab. vid. Adrian.) — b. fol. 22—23. Indulgentiae pap. Eugenii (1433) et Bonifacii. — c. fol. 23 b. Carmen latinum regnante Henrico quarto in Italia scriptum [de quo vid. infr. Codd. latini poetas medii aevi continentes nr. XVIII. et XIX.]. — d. fol. 24. Epistolae II Aeneae Sylvii ad Fridericum III die elect. suae ad pontificem maximum. — e. Ibid. Carmen latinum [de quo vid. infra in Codd. lat. poet. med. aev. nr. XVIII. et XIX.]. — f. fol. 25—90. Delineatio historiae universalis a creatione mundi usque ad Vespasianum (Finis deest). [vide infra lit. c. nr. IX.] — g. fol. 91—133. Cronica de summis pontificibus et imperatoribus et diversis gestis ipsorum per fratrem Martinum [Ordin. praedicator.] domini pape penitentiarum compilata. — Quae sequuntur fol. 124 b. manu recent. scripta sunt et Continuationem Chronicae continent. Notae in margine. — h. fol. 134—147. Martini fratris historia Romana. — Continentur foliis 142. et 143. Indulgentiae Jubilaei Clemente papa datae et admonitiones contra flagellatores. In fronte illius libri possessor nomen suum adscripsit: B. de Crassier."* Adrian.

Eadem pagina paulo inferius haec de aliis possessoribus codicis reperiuntur „Liber iste est Hermanni de Dordrato artium magistri et utriusque Juris licentiatus. — Nunc Petri blanckert de vinninghen in borsalia ex dono CC. consulis dordrateni et heredum ejus. — Pro ecclesia de hoedekinskeczck ex domo petri blanckert de vinningen in borsalia vicarius ambarum ecclesiarum in dordrato ac editui Nove ecclesie ibidem ao. chr. 1539. aetatis meae 72." De Borsalia, quod credo esse Borselen vid. Iselin. Historisch-Geographisches Lexicon. — Post Martini historiam Romanam sequitur cujusdam regis Franciae moribundi, ut videtur, admonitio ad filium de republica bene administranda. In calce denique codicis extat: Copia cedule misse reverendissimo domino kardinali de columpna de regno Neapolitano continens subversionem et dampna causarum ex terre motu anno 1456. die quarta Decembris hora XI. noctis, die dominica advenientis. Describuntur et enotantur civitates, opida et terre regni Neapolitani et aliis inferioribus partibus — ex terre motu dirute et conquassate et penitus destructe. In inferiore denique margine ejus paginae, in quo Martini Chronicon explicit, invenitur „titulus, quo usus est magnus Turcus post victoriam Constantinopolis in epist. ad Nicol. V. a. 1453." In primo folio codicis reperiuntur „Nomina regum Christianitatis et Nomina linguarum totius orbis."

### 1) De Chronico Martini Poloni.

Quum ingens numerus codicum Chronici Martini Poloni, de quo vid. Voss. de Hist. Lat. II. cap. 60., in diversis Europae bibliothecis reperiatur (vid. Archiv f. ält. deutsch. Gesch. in diversis voluminibus), perdifficile dictu est, num qui eorum nativum atque incorruptum ejus exemplum servaverint. In integrorum autem exemplorum numero num

noster codex sit referendus quum nemo dicere possit, nisi qui ceteros codd. omnes diligenter pertractaverit, nos satis habemus Gissensis codicis conditionem describere, quo hujus rei peritiores certius de eo judicium facere possint, quam nobis, quibus duas tantum editiones comparandi copia fuit, licet. Usus sum autem editione Basileensi ap. Oporin. 1559. fol. et exemplo eo, quod extat in „Aeneae Silvii historia rerum Friderici III. Subjuncti alii ad German. historiam pertinentes scriptores. Cum praefat. Culpis. Argentor. 1685. fol.," e quorum exemplorum cum nostro codice comparatione unum hoc intellexisse mihi videor, codicis Gissensis eam partem, quae *literis gothicis* diligentissime pulcherrimeque exarata est, e multo meliore codice esse descriptam, quam unde duae istae editiones expressae sunt ac multum etiam totam operis descriptionem et ambitum (Anordnung und Umfang) ab iisdem editt. differre. Nam quum in illis editt. *Historia pontificum et imperatorum* e regione collocata reperiatur sic, ut, quantum potest, synchronistica ratio rerum ecclesiasticarum ac politicarum, quae vocatur, satis commode perspici possit, in cod. Giss. *Historia pontificum et imperatorum* ita est disjuncta, ut altera pars alteram subsequatur. Deinde in vitis *Pontificum* multa, quae in ed. Basil. extant, in cod. Giss. vel plane desunt, vel, id quod multo saepius factum est, intra versus singulorumque capitum spacia et in margine a multo recentiore manu minutis literis latinis, quas cursivas vocant, iisdem paene verbis, quibus in ed. Basil. in media oratione extant, adscripta reperiuntur, ut quae in ed. Basil. de *Amalrico* clarissimo illo scholastico, qui primus *Pantheismum* acerrime defendit, de quo vid. Grässe Lehrbuch einer allgem. Literärgeschichte II. Bd. 2. Abth. 1. Hälfte p. 189. et Disputat. acad. de genuina Amalrici a Bena ejusque sectatorum ac Davidis de Dinanto doctrina scripsit Jos. Herm. Krönlein Dr. Ph. Giss. 1842., et de *Johanna Papissa*, de qua vid. Gieseler Lehrbuch der Kirchengesch. II, 1. p. 26. §. 5. not. a., et Henke Gesch. der christl. Kirche II, p. 15., traduntur. Ex quo non inepte conjicere posse videor, ea omnia, quae in ipso Martini exemplo *gothicis literis* exarato desunt, sed in margine vel intra versus *cursivis literis* adscripta sunt, in Martini exemplo olim non extitisse, sed ab aliis postea per interpolationem esse addita, quae paulatim in mediam orationem Martini ita immigrarint, ut jam vix genuina ab impositiciis internosci queant. Quod si ita est, non immerito eam partem codicis, quae *gothicis literis* scripta est, in meliorum atque haud scio an optimorum codicum numero habendam esse arbitrer. Multo vero pauciores ejusmodi interpolationes in *Imperatorum vitis* reperisse mihi videor. Incipit autem Historia pontificum in cod. Giss., ut in ed. Basil. a Christi nativitate et pertinet usque ad Papam *Clementem IV.* i. e. usque ad a. 1272 (inclus.). Nam de *Gregorii X.* vita hae tantum reliquiae *gothicis literis* scriptae supersunt: „*Gregorius natione Lombardus de civitate Placentia sedit* . . . . quae ab recentiore manu *cursivis* literis continuata sunt et ad verbum paene cum iis consentiunt, quae de eodem Papa plenius exponuntur in ed. Basil., quae pertinent usque ad *Nicolaum V.* i. e. ad a. 1278. Idem librarius secundus ad *Clementis IV.* vitam haec notavit: „*A Clemente praedicto praesens cronica commutatur. Nam cum a principio per annos domini concurrerit et quilibet pontifex anno introitus sui positus fuerit quidem, plures pontifices uno et eodem anno defuncti fuerunt et in eadem linea poni non potuerunt, praedictus modus servari non potuit, sed distinctionem ponendo statum cujuslibet pontificis declaravit, sicut patet in Clemente et sequentibus.*" De continuatione autem Chronici Pontificum a *Gregorio X.* usque ad *Paulum II.*, i. e. usque ad a. 1464., quae in cod. Giss. non extat, tertia quadam manu, ut videtur, haec in margine ad *Gregor. X.* notata reperiuntur „*De Gregorio papa Xmo cum XXVIII successoribus suis videlicet usque ad Paulum II. vide in libro meo magno, in quo habentur alique comedie therentii.*" Praeterea animadvertendum est illud, in Chronico Martini de

Pontificibus *gothicis literis* exarato nonnullos Papas vel prorsus praetermissos esse, quorum vitae in ed. Basil. extant, vel singulas res gestas eorum omitti, quae ab recentiore manu vel intra versus vel in margine iisdem paene verbis addita sunt, quibus in ed. Basil. extant. Sic v. c. successiones Paparum in codicis Giss. parte *gothicis literis* exarata ab a. 1179. usque ad a. 1272. hae sunt: Lucius III. a. 1179. Urban. III. a. 1182. Gregorius VIII. a. 1183. Clemens III. a. 1184. Coelestinus III. a. 1187. Innocentius III. a. 1192. Alexander IV. a. 1254. (duorum fere versuum spacio vacuo relicto inter Innocentium et Alexandrum) Urbanus IV. a. 1261. Clemens IV. a. 1265. Gregorius X. a. 1272. Continuator autem Chronici et Completor s. recentior ista manus has successiones habet: Lucius III. a. 1179. Urbanus III. a. 1182. Gregorius VIII. a. 1183. Clemens III. a. 1184. Innocentius III. a. 1192. Honorius III. a. 1210. Gregorius IX. a. 1229. Caelestinus IV. a. 1252. (leg. 1242.) Innocentius IV. a. 1243. Alexander IV. a. 1254. Urbanus IV. a. 1261. Clemens IV. a. 1265. Gregorius X. a. 1272. Successionum numeri absunt in codicis parte *gothicis literis* exarata; sed a rec. man. supra nomina ipsa
III. IX.
addita sunt sic: Honorius, Gregorius cet.

Historia Imperatorum incipit in cod. Giss., ut in ed. Basil. ab Octaviano Augusto et terminatur in enarrandis rebus gestis regis Siciliae Caroli 1273. his verbis „*Rex etiam Navarrae, qui infirmus ex Africa recesserat, in Syciliam veniens est defunctus,*“ quae eadem paucis mutatis sunt extrema in ed. Basil. Addita his est subscriptio „*Explicit de Imperatoribus.*“ — Sequitur continuatio prima eadem manu scripta, quae brevem continuationem ac supplementa in vitis pontificum scripsit, quae hos Imperatores habet: Râdulphus a. 1273. Adolphus a. 1292. Albertus a. 1298. Henricus VII. (VI. in ed. Basil.) a. 1308. Ludovicus Bavarus et Fridericus Austriacus a. 1314., ubi a librario notatur „*Defectus hic.*“ In eodem imperatore Ludovico Bavaro terminatur ed. Basil., sed ed. Argentor. in Friderici III. vita i. e. 1211. Ea, quae de Adolpho rege Alemanniae et Henrico VII. s. VI. Continuator narrat, ad verbum fere conveniunt cum iis, quae extant in Continuatione apud Eccard. Corp. Hist. med. aevi T. I. p. 1463. e Theodori de Niem libro Vitae Pontificum Rom. a Nicol. IV. usque ad Urban. V. e codd. duobus, Hanoverano et Guelferbyt. A et B editae „*De Adolpho rege Alemanniae et de Henrico VI.*“ Cfr. p. 1485. et 1486. Cetera aliunde transscripta sunt, quorum fontem ignoro. — Brevi aliquot versuum spacio relicto sequitur altera continuatio de historia imperatorum eadem manu scripta, qua prima, usque ad Fridericum III. perducta i. e. usque ad a. fere 1440., ubi iterum nota additur „*Defectus hic.*“ — Tum sequitur eadem manu scripta *tertia* continuatio, quae res miscellas, inprimis Belgicas in iisque potissimum Leodiensium et Trajectensium sine delectu atque ordine narratas continet. — Post has historias miscellas sequitur vita Karoli IV. usque ad a. 1378. Continuatur autem Chronicon eadem manu *res miscellas* continens similes prioribus usque ad a. 1455., ubi extremo loco haec narratio extat: Episcopus Rodulphus (de quo vid. Gualteri Chronicon Chronicorum Vol. I. p. 1544. nr. LIV. ed. Francof. 1614. 8.) per foramen muri civitatis Trajectensis intravit in nocte beati Blasii a. MCCCCXLIX. Qui Rudolphus episcopus dignissimus princeps clausit diem suum feliciter ultimum anno domini 1455. in profesto annuntiationis beate marie.“ Sequitur subscriptio „Mala mea pelle, bona cuncta posce.“

### 2) Martini Poloni historia Romana et Imperatorum et Pontificum supputationes.

Haec scripta Martini congruunt in codice Gissensi argumento cum ed. Basil. usque ad p. 22. verba „*Ostenso igitur — videlicet Jesu Christo.*“ Tum vero omissis reliquis,

quae in ed. Basil. extant, sequitur Historia Paparum ab *Innocentio V.*, i. e. ab a. 1276. usque ad *Gregor. XI.*, i. e. ad a. 1371., quae ex optimo aliquo copiosissimoque codice descripta videtur, cujus tamen fontem reperire non potui. Nam cum iis quidem, quae apud Eccardum in Corpore Histor. med. aev. T. I. Nr. XX. de iisdem rebus reperiuntur, non conveniunt. Manus autem, qua haec altera pars codicis scripta est, longe diversa est ab ea, quae Chronicon Martini Pontificum et Imperatorum exaravit et ab ea, quae Continuationes ac Supplementa scripsit. Nonnulla folia ita sunt a bibliopega disjecta, ut inter *Johannem XXII.* et *Benedictum XXII.* duo folia reperiantur, quae duas Indulgentias Clementis V. continent, alteram Jubilei cum subscriptione „*Avinione IVto Jul. Pontif. nostri anno III.*, alteram Contra flagellatores fratres cum subscriptione „*Data Avinone XII. Kal. Nov. Pontific. nostri IV.*“ Jam quum circa a. 1272. Martini Chronicon Pontificum terminetur, haec altera pars codicis pro egregia continuatione illius potest haberi, multo meliore, quam illa, quae extat in edit. Basil., quae pertinet ad Nicolaum III. i. e. ad a. 1278. (inclus.)

Is autem, qui *Continuationes* istas ac *Supplementa* Chronici Martini Pontif. et Imperat. descripsit, ipse nomen suum multis locis prodidit, quum ad ea multa de se ipso tradat, quae eandem manum ostendunt atque ea, quae continuationes ac supplementa illa descripsit. Is autem fuit quidam *Gerardus Sucgerode*, qui ad a. 1400. in historia Imperatoris Sigismundi, regis Ungariae, fratris regis Bohemiae Wenzeslai haec de se in marg. codicis tradit: „Nota: Ego Gerardus de ducatu Juliacensi oriundus, canonicus beatae Mariae Trajectensis anno suae (Sigismundi) electionis in regem Romanum fui in anno aetatis meae quarto decimo, uti credo ex multiplici inquisitione“ et sub a. 1396. dicit „Hoc tempore ego Gerardus Sucgerode natus fui.“ In vita Papae Eugenii IV. tradit „Hildegardis — in Pinguia —, de qua Sigismundus Imperator in suis dictis maximam estimationem, ut audivi referri Maguntiae, ubi ego Gerardus Sucgerode librum suum vidi, cum ibidem essem tempore Eugenii Papae IV. residens in praebenda mea, qui liber magnus est et mirabilia continet facta. Et ipsorum amborum Papae et Sigismundi Imperatoris maximam notitiam habui et familiaris fui licet insufficiens, quod erat ab anno domini 1431. usque ad an. 1440.“ In vita papae Stephani III., ubi narratur, hunc omnia a Constantino ordinata deordinasse, dicit „Sic hodie i. e. 1443. faciendum esset Romae.“ In subscriptione Epistolae Aeneae Sylvii s. Pii II. legitur: „quem (Papam Pium II.) ego G. Sucgerode cognovi minus habere in pecuniis me et socium meum in eodem officio; quare quilibet studeat bene vivere.“ Ad ann. denique MCCCXIC., ubi narratur „Illustris princeps dominus Wytoldus dictus Alexander dux Litwaniae in quodam bello contra Tartaros cum magna Rutenorum, Litwanorum, Polonorum et Theutonicorum multitudine pugnat, observat in marg. „Fuit frater regis Poloniae et factus tempore nostro Christianus.“ Videtur autem ea certe pars, quam scripsit Gerardus Sucgerode in *Belgia* scripta esse, primum, quod tam multae res minutae ex ista regione, inprimis Leodicensi et Trajectensi in *continuationibus miscellis* commemorantur, quae vix quisquam scire potuit, nisi is, qui vel ipse in eadem regione vixit, vel etiam rebus interfuit, e quo genere illud est, quod de Episcopo Trajectensi *Rudolpho* supra p. 34. narratum est, ob eamque causam propemodum adducor, ut miscellas istas narrationes Gerardum Sucgerode ipsum de suo addidisse, non aliunde descripsisse existimem; tum quod possessorum codicis nomina omnia codicem olim in *Belgia* fuisse testantur. Vid. p. 32. Accedit, quod hoc nomen etiam alibi in rebus *Belgicis* reperitur. Vide Historiam Episcopatuum foederati Belgii Antwerp. 1755. fol. T. I. Indic. et libros ab Grässe Lehrbuch einer allg. Literärgesch. II. Bd. 1. Abth. 2. Hälfte p. 691. de historia *Belgica* citatos, unde colligi licet illum Gerard. Sucger. ipsum ex una illarum nobilium familiarum ortum esse, quarum

nomina in historia *Belgica* saepe commemorantur. Continuationis autem Chronici Martini non videtur esse particeps. Nam jam ad a. 1322. Continuator Chronici haec de se ipso tradit „Ego, qui praesentes compilavi chronicas et descripsi, fui in festo beati Petri ad vincula, cujus nomen propter hoc mihi fuit in baptismo donatum," et ad a. 1345. narrat idem, se cum Frisone quodam de Wilhelmo, comite Hannoniae et Hollandiae collocutum esse, quid factum esset de isto in Frisia, cum Frisis bellum intulisset, illum autem respondisse excommunicatum mortuum esse, quod contra vetus privilegium Frisis a Karolo IV. datum (de quo vid. paulo post p. 38.) in Frisos bellum gessisset. In qua tota narratione gravis error temporum a Continuatore commissus videtur, quum hanc rem in ann. 1256. incidisse constet, Carolus IV. autem saeculo fere post Imperator factus sit. Sed idem Continuator persaepe mire diversas historias confundit, ut quum haec tradit „Anno domini MCCCCXC. (?) ipso die beati Pauli apostoli conversionis electus est Fridericus dux Austriae in Romanorum regem, qui anno XLII. fuit Aquisgrani coronatus de mense Julii, qui dicitur Fridericus tertius. Deus velit quod aliter eveniat, quod legi de illo tertio Friderico in prophetiis scil. quod tempore Friderici tertii, qui erit VII. rex pessimus contra ecclesiam." At Germani Francofurtum coeuntes Regem designarunt Fridericum Austriacum 2. Febr. a. 1440., qui Augusto anni 1493. mortuus, non electus est. Ille autem, qui *Historiam Paparum* ab *Innocentio V.* usque ad *Gregor. XI.* Martini Historiae Romanae adjunxit, ipse usque ad hoc tempus vixisse videtur, quum res anno MCCCLXXV. gestas, ultra quas ipse non progreditur, sic tradat, ut ipsum iis interfuisse appareat. Sed ut historiae medii aevi perscrutatores perspiciant, quid sibi utilitatis e nostro codice accedere possit, nonnulla ex diversis ejus partibus exempla excerpam adjectis variis lectt. secund. edit. Basil. enotatis.

1) Ac primum quidem e *Martini Poloni Chronica Pontificum* afferam vitam *Clementis IV.* cum continuatione vitae *Gregorii X.* lectionibus ed. Basil. parenthesi inclusis nota (B.).

*IIII.*

§. 1. „*Clemens* (quartus add. B.) natione provincialis de villa Scti egidii, sedit annis tribus. M. IX. D. XXII. (viginti quinque B.) et cessavit annis III. M. II. D. X. (B. „et cessavit pontificatus annis tribus, mensibus duobus, diebus X." quae verba sequuntur post narrationem de Clementis morte) Mortuus est Viterbii et sepultus in ecclesia Scti. Laurentii (supra vers. a recentioris librarii man. est *praedicatorum.* B. habet „Anno domini millesimo ducentesimo sexagesimo octavo mortuus est Viterbii et ibidem sepultus in ecclesia ordinis fratrum praedicatorum."). Hic uxorem et liberos habens prius (primum B.) fuit famosus advocatus et regis Franciae consiliarius. Demum (deinde B.) propter vitam (bonam add. B.) et scientiam laudabilem primo podiensis episcopus et post (postea B.) narbonensis archiepiscopus; tandem sabinensis episcopus (et cardinalis add. B. et sic G. supra vers. a rec. man.) efficitur. Sed quum post (postea B.) in angliam propter pacis reformationem (post ref. B.) a papa IIII. (Urbano quarto B. In G. syllaba *bano* est supra vers. et a m. 3. corr. *urbano*) legatus missus fuisset, absens a cardinalibus perusii in papam electus sic jejuniis vigiliis et orationibus ac aliis bonis operibus intentus fuit, quod (B. in papam est electus, qui sic vig. jejun. et orat. ac aliis bonis int. fuit, quod) multas, quas tunc ecclesia sustinebat tribulationes (multas tribulationes, quae tunc ecclesia sustinebat B.) deus suis meritis extinxisse (deus propter illum creditur extinxisse B. In G. *dicitur* a rec. m. est supra vers.).

§. 2. *Hic* cum Conrad (*inus* supra v. a rec. m. addit. — Hic autem cum Conradinus B.) nepos friderici imperatoris (fred. B.) dominum (regem B. add.) karolum, cui ipse (ipse om. B.) papa regnum syciliae contulerat (concesserat et contulerat B.), debellatus

(corr. supra vers. *debellaturus* ab ead. m., ut habet B.) apuliam intravit (debellaturus intraret B.) et plerique factum domini karoli (dom. regis kar. B.) pro desperato haberent, tum propter conradini exercitus multitudinem et propter regnum sycilie pene tocius rebellionem praedixit publico in sermone (in publ. serm.). Videtur autem in G. legendum *consermone*, est enim scriptum *'sermone*, quamquam hoc voc. ap. Ducang. in Gloss. med. et inf. lat. non extat), factum conradini tamquam fumum transiturum et ipsum tamquam victimam (*ad* supra vers. ab ead. m. add., ut esset *tamquam ad victimam*, B. tamquam ovem ad victimam) apuliam intraturum (intr. ap. B.), quod et rei postmodum probavit eventus. Nam ipse (B. *conradinus* habet pro *ipse*, quod idem a rec. m. in G. est supra vers.) captus fuit decollatus (recte B. et decoll.) et factum suum (ejus B.) pausis (corr. *paucis*, ut habet B.) diebus post tamquam fumus exaruit (evanuit B.).

§. 3. *Hic* et canonizavit (hic etiam papa can. B.) in ecclesia fratrum praedicatorum Viterbii (vit. in eccl. fr. pr. B.) sanctam ewigam (*hade* est supra vers., ut esset *hadewigam* s. *hedwigam*. B. edwergiam) quondam ducissam polonie mire sanctitatis vidu (*am* supr. vers. a rec. m. add., ut esset *viduam*, et sic habet B.), quae inter alias virtutes (inter alia commendabilia B.), cum canonizatio ejus per plures annos protraheretur (differretur B.), ipsa procuratori (*suo* add. a rec. m. supra vers.) in curia (romana super eodem negocio a rec. man. supra vers. add. in G., quae B. in textu habet) propter hec in tristicia existeret (quum esset in tristitia B.), per visum apparuit ac eum de expeditione negocii et die (ac etiam de die B.) expeditionis certificavit." cet. Sequitur *Gregorius X.*

X.

§. *Gregorius* (*decimus* add. h. l. B.) natione lombardus (longobardus B.) de civitate placentina (placentia B.) sedit | (Hactenus prima codicis manus, quae *gothicis literis* scripsit, sequitur *Continuatio* recentiore manu scripta, quae *cursivis literis* utitur. Extat autem haec continuatio partim inter versus, partim in margine, prouti spacium additamenta ista permittit) anno domini MCCLXXII. ab electione sua sedit annis II. IIIIor M. D. X. et cessavit papatus D. X. (annis quatuor, diebus quindecim, et cessavit pontificatus diebus decem B.) [Hic Gregorius cum archiepiscopus esset leodicensis et devocionis causa ultra mare iter arripuisset, ibidem exiens in palatio Viterbiensi in papam a cardinalibus est electus.] (Haec, quae uncinis inclusi, desunt in ed. Basil.) Hic fecit unam ordinationem quinque episcoporum cardinalium quam plurimum laudabilem, quia honestas (et laudabiles add. B.) personas assumpsit. Hic tercio pontificatus (sui add. B.) anno pro utilitate terre sancte, quam personaliter visitaret (visitare B.) intendebat, lugduni (lugdunum B.) sollemne celebravit concilium, in quo grecorum et tartarorum sollemnes nuncii interfuerunt. Greci ad unitatem ecclesie redire promittentes magnum (in signum B.) cujus spiritum sanctum confessi sunt a patre et filio (a patre filioque) procedere symbolum in concilio sollempniter (solenniter in conc. B.) decantando. Nuncii tractati (nuncii vero tartarorum B.) et infra concilium baptizati ad propria redierunt. Numerus autem praelatorum, qui fuerunt in concilio, fuit (sunt B.) quingenti episcopi, LX abbates et alii praelati circa (circiter B.) mille. Hic in concilio multa bona constituit (instituit B.) videlicet pro subsidio terre sancte, pro electione summi pontificis et pro statu universalis ecclesie. Hujus tempore (Hoc tempore B.) rex romanorum et rex francie (francorum A.) cum multis baronibus pro subsidio terre sancte cruce signati fuerunt (sunt B.). Hic papa (*fuit* add. B.) mire experiencia in secularibus, non (nec B.) intendebat pecuniam lucris, sed pauperum elemosinis (eleemosynis B.). Mortuus est aretii et sepultus ibidem." (et ibidem sepultus. B.)

2) E *Chronica* de *Imperatoribus* haec excerpsi: (ed. Basil. p. 223.)

„*Ludovicus* rex francie christianissimus non territus praeteritis laboribus et expensis, quas fecerat olim (quas olim fecerat B.) ultra mare, iterato (iterum B.) cum filiis duobus adjuncto sibi rege navarre et quam plurimis ecclesiam (ecclesiae B.) praelatis et baronibus pro recuperatione terre sancte iter assumpsit. Verum ad hoc, ut facilius terra sancta recuperaretur, incidit ipsius (ipsius om. B.) consilium, ut regnum thunicum (thunicii B.), quod in medio consistens non parvum dabat transfretantibus impedimentum, primitus ib' (hoc compend. i. e. *sub*? om. B.) christianorum subicerent (subjic. B.) potestate (potestati B. Leg. primitus sub chr. sub. potestatem), et quum portum et (ad B.) cartaginem, qui est prope thunicium, potenti manu cepissent, infirmitas, quae illo anno maxime circa confinia maris viguit, in eodem christianorum exercitu nimis invaluit. Et primo quidem de (ex B.) regis francie filium unum, post legatum domini pape (postea dom. pap. leg. B.) dominum (et dom. B.) albanensem cardinalem et demum ipsum regem christianissimum ludovicum cum pluribus (plurimis B.) comitibus et baronibus, nec non et aliis simplicibus de medio sustulit. Quam feliciter autem praedictus rex (rex praed. B) terminavit, rex navarre domino tusculano per literas intimavit (significavit B.) — et cum de morte pii regis christianorum exercitus turbaretur et sarracenorum letaretur (sarraceni letarentur B.), dominus karolus rex sycilie, bellator egregius, pro quo adhuc vivens frater suus rex francie mandaverat (miserat B.), navigio cum magna militia advenit. De cujus adventu christianis (magnum add. B.) gaudium et sarracenis mesticia accrevit (sarracenisque meram mestitiam attulit B.) quod, licet multo plures viderentur sarraceni, quam christiani (et licet m. pl. sarr. quam chr. videbantur B.), nullatenus tamen audebant bello generali (generale B.) cum christianis congredi (aggredi B.), sed per quasdam astutias alias (alias ast. B.) multas eis incommoda inferebant (multa ab eis inc. infer. B.). — Rex etiam (vero B.) navarre, qui infirmus de affrica recesserat (ex aphrica processerat), in siciliam veniens est defunctus.“ (in Siciliam veniens juxta Draponam in domo fratrum Carmelitanorum defunctus est B.)

3) Exempla e *Continuatoris historia Imperatorum.*

a) De *Adulpho* imperatore (variae lectt. sunt e Theodor. de Niemen Chron. in Eccardi Corp. Hist. med. aev. T. I. p. 1463. Cfr. nostram notam p. 34.).

*Adulphus* Comes de Nassowen (supra vers. pro *o* est *v* et alia lect. *Nassaw*) fuit electus in regem Almannie (ap. Ecc. alemanie) et Romanorum anno domini MCCXCII. Hic adulphus rex congregavit exercitum (exercitum aggregavit ap. Eccard.) contra albertum ducem austrie filium quondam memorati radulphi regis alemannie (et fuit filius rudolphi quondam regis alemannie ap. Eccard.) pugnaveruntque simul. — In qua pugna adulphus occiditur et sui in fugam convertuntur anno domini MCCXCVIII. Regnavit autem apud theutonicos (teut. Ecc.) annis sex, benedictionem tamen imperialem non habuit neque coronam (nec coronam imperii Ecc.).

b) De *Karolo IV.*

*Karolus* filius Johannis regis bohemie electus est in regem romanorum mortuo ledovico bavaro supra dicto et confirmatus est per papam clementem sextum in avinione — praedictus vero karolus antequam accepisset coronam suam aquisgrani, venit in auxilium engelberto de marcha episcopus leodicensis, qui guerram habebat contra episcopatum suum. Et quum dictus Engelbertus esset cum dicto karolo et multis principibus et nobilibus in campum juxta villam dictam bocho contra leodicenses satis prope ad bellum congregatos dominus de falcomonte primus cum multis nobilibus irruens in eo primo fronte percussus est et cecidit mortuus ibidem.“ De eodem Karolo quarto rege Bohemiae narratur, privilegium eum dedisse Frisonibus a. 1345., quo omnes eorum libertates impugnantes essent apostolica auctoritate excommunicati, quod saepe eum adversus hostes

tutati essent cfr. p. 36.), quod sic incipit: „Ad oblivionis confusionem evitandam universorum notitiae cupimus declarari, quod cum liodingherus dux Saxonie ducatum suum jure feodali teneret ab imperio, nec hoc recognoscere curaret et tributum de suo ducatu a caesare augusto statutum — exhiberi nobis dare contempneret cet. — Explicit „Hujus facti nos testes sumus: Wencelaus rex Bohemie, Wernhardus dux Bavarie, Bappoldus (leg. Rappoldus) dux Moraviensis, Henricus dux Austriae, Octo (l. Otto) dux Slawoniae, Conradus marchio Misniensis, Herbordus Lantgravius de Thuringia et alii quamplures viri probi et honesti. Actum et datum lateranis anno dominicae incarnationis XIII. indictione X. anno regiminis nostri secundo. Anno autem domini MCCCXLV.

4) Ex *historiis miscellis* (v. p. 34.) excerpsi hanc narratiunculam:

Anno domini MCCCXXI. Adulphus Episcopus Leodiensis (de quo vid. Gualteri Chronicon Chronicorum lib. I. s. Vol. I. p. 1514. nr. XLVI.) infra octavas beati Johannis baptistae obsedit cum potestate villarum suarum villam de Bovinia in comitatu Namurtensi (Bouvignes s. Bovines), unde maxima discordia inter dominum episcopum et comitem exorta est longe durans. Sed praedicta villa non fuit capta. Item sequenti anno illi de Brugis (Brügge) combusserunt villam de Seclusa (Ecluse s. Sluys s. Sluis), quae est domini comitis Namurtensis. Unde Johannes idem comes ira motus cum obviaret dictis Brugensibus armata militia ad ipsos debellandum, mox in pugna ab eis capitur et Brugis in prisone (prison, captivitas) ducitur et ibidem captus per aliquod tempus tenetur. Sed tandem a quodam milite ignorantibus Brugensibus liberatur. De cujus captione et liberatione mirabiles extant versus, qui gallice expositi nullam, theutonice vero optimam habent sententiam et sunt tales:

In petra cera de nominibus monumenta
Ponte, sed inde pulex seseque canis tulit anser.

(i. e. vel vetere Germanorum lingua versum: Im thurm was von namur mal brugges, aber von da floh er und sich hunten trug er ganz, vel recentiore interpretatione: Im Thurm von Brügge war einmal der Graf von Namur, aber von da floh er und trug sich ganz herunter d. i. unversehrt kam er vom Thurme herunter.)

5) Exempla ex *continuata historia Romana* vel potius e *continuatione historiae Pontificum.*

Ostenso igitur quot sunt cardinales — consequenter praecedendum est ad pontifices, quibus deserviunt incipiendo a primo pontifice Jesu Christo. *Innocentius quintus* natus burgundus anno domini MCCLXXVI. sedit mensibus V. Hic a provincia sua in ordinem fratrum praedicatorum exiens doctor in sacra scriptura efficitur eximius. Demum in archiepiscopum lugudinensem et post in episcopum hostiensem, tandem in summum pontificem assumitur. Hic licet multa facere proposuisset, morte praeventus nil nobile fecit. Mortuus est Romae et in ecclesia lateranensi sepelitur.

*Gregorius XIus* defuncto supra dicto Urbano electus est in papam. Qui prius fuit cardinalis, vir simplicis vite mitis et benignus. — Ejus tempore videlicet anno domini MCCCLXXV. mira secta tam virorum, quam mulierum venit aquisgrani de partibus alemanie et ascendit usque hannoniam seu franciam. Vulgus apud leodium dicebat, quod hujusmodi plaga populo contigisset eo, quod populus male baptizatus erat, maxime a presbiteris suas tenentibus concubinas. Et propter hoc proposuerat vulgus insurgere in clerum, eos occidendo et bona eorum diripiendo, nisi deus de remedio providisset per conjurationes praedictas. — De ista autem corizatione seu secta talia existunt rigmata: Oritur in seculo nova quaedam secta, | In gestis aut in speculo visa plus neglecta, | Populus tripudiat nimium saltando, | Sed unus alteri sociat leviter clamando: | Frisch friscis cum gaudio clamat uterque sexus | Cinctus manutergio et baculo connexus (pro

connixus?), | Capite fert pilleum desuper et certum (num *desuper erectum*?), | Cernit Marie filium et celsum (leg. *celum*) apertum, | Deorsum prosternitur, dudum fit ululatus, | Calcato ventre cernitur statim liberatus. | Vagatur loca varia pompose vivendo, | Mendicat necessaria propriis perdendo, | Spernit videre rubra (non intelligo.) et personam flentem | Ad fidei contraria erigit haec gens mentem, | Noctis sub umbraculo iste perpetravit, | Cum naturali baculo subtus se calcavit; | Clerum habet odio, non curat sacramenta. | Post sunt in Leodio remedia inventa, | Hanc nam fraudem qui suggerit, Sathan, est devictus, | Conjuratus evanescit, hinc sit Christus benedictus." Haec rigmata infra in *Exemplis poematum medii aevi* nr. VIII. repetenda duximus, ut quae in nostris codd. medii aevi carminum reliquiae essent, uno loco collectae reperirentur.

---

## III.

## Ottonis Frisingensis Chronica et Gesta Friderici I. (cum Indice.) et Raderici de rebus Friderici I. libri duo.

### Cod. Giss. Nr. CLXXVI.

B. S. Ms. 42. fol.

*„Codex chartaceus saeculo XVI. scriptus, foll. 246., quorum 226 b. 234 b. et 246 b. vacua sunt. Continentur: a. fol. 2—131. Chronica Ottonis Frisingensis. fol. 128 b. —131. habent Excerpta chronologica. [Est incerti auctoris Catalogus Pontificum ab Aaron usque ad Herodem Idumeneum et Catalogus Imperatorum ab Julio Caesare usque ad Conradum II. Denique adduntur Pontifices Romani a Petro usque ad Lucianum et Eugenium.] — b. fol. 132—287 b. Gesta Friderici I. auctore Ottone Frisingensi. — c. fol. 188—233 a. Raderici Eccles. Frising. Canonici De rebus Friderici I. continuatae ad Ottonem historiae libri duo. — d. fol. 233—235. Statuta ad expeditionem romanam facientia c. aliis genealog. et chronologicis [Statuta ista continent Constitutionem Caroli Crassi de expeditione Romana circ. a. 884. a Frehero, Goldasto et aliis publicatam, de qua vid. „Regesta Chronologico-Diplom. ed. Peter Georgisch. Francofurt. 1740. p. 151. nr. 10. Ipsam Constitutionem editam habes ap. Dumont Corps Diplom. T. I. P. II. p. 23. nr. XXXVII. Lunig. Spicil. Eccles. Contin. II. 148. Goldast Constit. Imperat. T. I. p. 207. Lehmann Chron. Spir. l. 2. cap. 42. Nostri exempli nullus usus criticus est. De genealogicis istis et chronologicis vid. infra Nr. VII.]. — e. fol. 236—240. De progenie Soldanorum et primo de filiis Saladini et Calipho etc. Sunt Excerpta ex Chronica Anonymi [e Vincent. Bellovac. hausta. Vid. infra Nr. V.]. — f. fol. 241—246. Index in Chronicon Ottonis Frisingensis."* Adrian.

Omnia, quae lit. a. b. c. f. extant, ab uno librario sunt scripta, qui ipse suum nomen post *Indicem* prodit his verbis *„Anno domini* cqlxx. (num. 1470?) *per Erasmum Sayn de Frisinga;"* quae lit. e. reperiuntur, a multo recentiore manu scripta videntur; quae denique lit. d. leguntur, easdem fere literarum formas habent, quam quae litt. a. b. c. f. extant.

Eam partem codicis, quae scripta *Ottonis Frisingensis* continet, contulimus cum ed. Urstisii, quae inscribitur: Christ. Urstisii Germaniae historicorum illustrium Tomi II. Francofurt. 1670. fol., e qua comparatione intellexisse mihi videor, nostrum codicem e vulgarium codicum genere esse, e quo non multum subsidii critici accessurum sit critico. Quare exempli causa paucas lectionis varietates huic disputationi adjunxi. In *Chronica*

*Ottonis* desunt ea, quae p. 164. ap. Urstis. reperiuntur, cum nota: „*Hucusque Otto Frisingensis catalogum scripsit.*" Appendix Ottonis de S. Blasio ad lib. VII. desideratur. In extremo libro VIII. hoc epigramma de Ottone extat, quod in ed. Urstis. non reperitur:

Hac ex scriptura lector si sit tibi cura,
Presulis Ottonis perpendito vim rationis:
Hic in lege studens domini, vir ad omnia prudens,
Ingenio clarus, cor habebat, ad ocia rarus,
Se moderans eque discebat nocte dieque.
Hinc non paucorum penetrans secreta librorum
Plene profecit, se viro pauca refecit;
Magnus progenie, major virtute sophie,
Hic tantus, talis vir, sanguinis imperialis,
Praesul praefatus a Cesare sepe rogatus
Hoc opus aptavit, Cronicas quod jure vocavit,
Nomina nam regum notat et moderamina legum.

In Gestis Friderici I. Imperatoris Romanorum post Epistolam Friderici Imperatoris ad Ottonem, quae legitur ap. Urstis. p. 403. et 404. sequuntur in cod. Giss. „*Rubrice et Capitula sequentis Cronice per ordinem.*" cum subscriptione „*Cronica Ottonis Frisingensis Episcopi ejusque abbreviatoris* [*de*] *Ramewini.*" Tum sequitur *historia ipsa cum prologo.* Duo scripta Ottonis extant conjuncta cum Raderici continuatione. Sed plura in Chron. desunt. 1) libro III. cap. XXVI. leges Castrenses Friderici Imperatoris desiderantur et notatur a librario: „*Hic est defectus.*" 2) cap. XLI. in Pacis conditionibus Mediolanensibus dictis desunt verba p. 502. *ad honorem imperii elevari . . . . et ecclesiam mediolanensem* spacio dimidiae fere paginae a librario vacuo relicto. 3) lib. IV. cap. 7. p. 509. feudorum jura desunt et notatur a librario „*Hic est defectus.*" 4) *Epilogus* cum *Appendice* deest. In Ottonis historia Friderici I. cod. Giss. maximam partem consentit cum *Vindobonensi* ap. Muratori Scriptt. Rer. Ital. Vol. VI. Cetera autem et Ottonis et Raderici scripta quam rationem habeant cum aliis codd., non habeo dicere, quoniam criticae editt. eorum nondum extant. Cfr. de codd. Ottonis Frising. cum continuatione Raderici „Archiv d. Gesch. II. 296. III. 225." Hirsching, Versuch einer Beschreibung sehenswürdiger Bibliotheken Deutschlands T. IV. p. 248.

Exempla variarum lectt. e cod. Giss. 1) *Chron. Ottonis* cum ed. Urstis. collati haec sunt. Lib. I. cap. VIII. Treverenses tradunt] tradunt trev.? — in valle pulch. Galliae] Voc. *Galliae* deest? — confertissimam] fertilissimam? — caput Galliae] gallie caput? — appellaverit] appellavit? — palatium] pallat. — instar] ad instar? — timeat] metuat? — ex incred.] *in* supra vers. extat a rec. man. — solicitare audet] audet sollic.? — Cap. IX. apud] aput — sicyonios] sicinios — thelxione] telexione — uxore sua] sua uxore? — Loth quoque . . Chanaan] Haec verba desunt. paleas] palleas — a tentatione] desunt? — foet.] fet. — 2) Ex *Ottonis historia Friderici I.* has varr. lectt. notavi. Lib. I. c. I. scissum fuisset] scissum esset — optim.] obtim. — foedar.] fed. — tanquam] tamq. — decernit] decrevit? (Vindob.) — baioariae] bauuarie? — haud] haut — irrogatas] illatas? — intronizati] intronisati — querim.] quaerim. — connubia] conubia — ab eodem pontif.] a summo pont. — his igitur acclam.] cunctis igitur adclam.? (Vind.) — Guibertusque] Gwilbertusque — clemens vocatus] clemens vel potius clemens voc. (Vind. leg. demens) — exufflatur] exsuffl.? — Cap. II. Quomodo imperator Italiam ingressus Gregorium urbe fugavit] Qualiter imp. ital. ingr. papam fugavit? —

post haec] post hoc — ad urbemque] *que* om. — imperat. et aug.] et imp. et aug.? — nomen sortitur] ab eo nomen sort.? (Vind.) — seu] sive? — nortmannorum] normann.?

---

# IV.
# Alberici Monachi Trium Fontium Catalaunensis Dioecesis Chronicon ab anno Christi 960. ad a. 1240.
## Cod. Giss. Nr. CLXXX.
B. S. Ms. 40. fol.

*„Codex chartaceus in Gallia saec. XVIII., ut videtur, ineunte nitidissime exaratus, foll. 225., quorum 1—16. et 189 b.—255. vacua sunt. Titulus minio pictus hic est, Alberici, monachi Trium Fontium Catalaunensis Dioecesis Chronicon ab anno Christi 960. ad a. 1240. — Notat Senkenberg. fol. 1. Unde sit hic liber, adjecta in fronte demonstrat nota. Nimirum ex Collegio Soc. Jesu Parisino, unde emerat illustris Meermannus, Leibnitzio jam memoratum hunc recentiore manu descriptum codicem, cujus dono pervenit ad me. Nondum vero satis curate excusus Albericus, post Leibnitzii curas, qui in Accessionib. Histor. eum primus formam sentire voluit et emendandus tum ex aliis codicibus, lectionibus etiam Menckenianis variis in T. I. Script. German. ac Saxon. [Lips. 1728. T. I. nr. II.] Extant vero plures Alberici Codices tum membranacei, tum alii, Leibnitzio passim memorati, aliis etiam, et mihi noti. (1765.) — Cfr. Hirsching. IV. 248. Archiv d. G. f. ä. d. G. I. 442."* Adrian.

Titulum codicis, qui recentioribus temporibus ex alio cod. descriptus est, haec verba praecedunt: *Collegii Parisiensis societatis Jesu, Paraphé audeoir de larrentdus. Juillet 1763. Hesnit."* Extat autem in cod. Giss. pars tantum posterior hujus Chron. Alberici, cujus notitiam dederunt Leibnitzio Viri Doct. Hardouinus et bibliothecae Claremontanae praefectus Tellienius. V. Leibnitzii Access. Histor. Hannover. 1700. T. II. Praef. p. 1. Videtur autem cod. Giss., quantum e comparatione ejus cum exemplo Leibnitziano instituta adhibitis variis lectt. ap. Mencken. l. c. intelligere potui, e praeclaro codice, *Menckeniano* optimo aequiparando esse descriptus. Sed ut alii quoque codicem cognoscant, aliquot exempla variarum lectt. codicis cum edit. Leibnitz. collati afferam. P. 1. a. DCCCCLX. aut amplientur, aut aedificantur] aut restaurantur, aut ampl. aut aedif.? (sic etiam cod. Mencken.) — Erardus] Eurardus (M. Euradus) — p. 2. querimon.] queremon. — defens.] deffens. — Italiae regni] *regni* om.? — supplices] om.? — luitprandus] luithpr., et sic postea. — Othone] ottone. — auxiliumque expetentes] aux. petentes, *ex* a rec. man. additum significatur in apographo — quae Jesu Christi sunt] *sunt* om. — ad liberandum Italiam] ad liberandam italiam? — Mogunt.] mag.? — luitprandus] luithpr. — p. 3. regiorum] regalium? (M.) — compatriotarum] compatriotorum — vasis infigi jussit] jussit vasis affigi? (affigi M.) — Glambacensis] Gemblacensis, et sic paulo post — religionis] religiosis — Saracen.] sarracen. — et toto pop.] ac toto pop.? — p. 4. suscipit] suscepit? — ingentibus auri] ingentibus gemmarum, auri (M.) — jusjurandum] *non* add. cod. (leg. jusjur. vero) — adalb.] *adelb.* cod. e corr.; fuit *adalb.*, sed postea semper *adelbert.* scribitur. — patriam quantocius] quantocius patr.? — quodammodo] quodamno — voluit] nolunt — ecclipsim] ecclypsim — p. 5. impune illi liceant] illi impune liceat — feretreum] feretratum — mentem qui sancti] mentem quod sancti — duello esse] duello vers (veri M.) — p. 6. Roma] Romam — se nunq.] nunq. se? — filioque ipsius Caesaris] *Caesaris* om.? — quapropter] ea propter? — Radulph.] Rodulph. (M.) —

Adelstat] adeltac (adelrac M.) — p. 7. adminiculator] admiculator — exorsus] adorsus? — occasiones] accusationes? (M.) — deinde] dein? — diaconis] diaconibus? — Tudertiua] turdert. — Vinum diaboli in amorem bibisse] diaboli in amorem vinum bib.? — p. 8. nunq. nos absolvunt] nunq. abs. nos? — Hencus] Henricus (M.)? — Sigulphus] Sigulfus — dissimuletis] dissimulatis? — solvendi] absolvendi? — se ipsum] semet ipsum? — p. 9. eumdem] eundem — Rom. eccles.] eccles. Rom.? — aliquisque, qui] alius quam qui — dicitis] poscitis? (M.) — apostolico] apostata? (M.) — Bavaria] bauuario? (M.) — mancipatum] mancipato? (M.) — a multis et cunctis] a cunctis? — p. 10. Hic Leo] Sic Leo?

---

## V.

## Chronici incerti auctoris reliquiae.

### Cod. Giss. Nr. CLXXVII.

B. S. Ms. 138. fol.

*„Codex partim membranaceus, partim chartaceus saec. XV., in fine mutilus, crebris vocum compendiis et litteris initialibus rubris, foll. num. 240. Continentur: a. fol. 1—224 a. Cronica Ade (Adami) Claremontensis ad Papam Gregorium de gestis sanctorum, flores historiarum vocata. Desinit in anno 1270. (fol. 220 b.) Sequuntur tractatus de Adventu Antichristi, de XV signis ante judicium contingentibus, de resurrectione mortuorum, qualiter dominus judicat, etc. V. J. Echard, De script. Dominic. II. 240. Fabricii Bibl. med. et inf. lat. v. Adamus Claromont. Hi viri doctissimi errare videntur, si credunt, chronicam et flores historiarum diversos esse libros. — b. fol. 224 b.—240. Ex Chronica Anonymi (ad a. 1404.). Fol. 1. haec leguntur: Liber mei Joannis Waldeni [Waldi] Vicarii Ecclesiae SS. [sanctarum] XI. mil. virginum in Colonia anno 1544. (1547.) Long. 10″ 9‴. Lat. 7″ 4‴.“* ADRIAN.

Quum *Chronica Adae Claromontensis* partim *membranis*, partim *charta* scripta sit, hoc modo, ut bina folia membranacea sequantur bina folia chartacea, reliqua pars codicis tota est chartacea, in qua quae reliquiae chronici incerti auctoris reperiuntur, initio et fine carent, quae partes non librarii culpa, sed temporis injuria perierunt, id quod et externa et interna codicis conditio prodit. Est enim extrema codicis pars pessime habita. Incipit autem Chronicon a papa *Innocentio III.* anno domini MCXCIIII. et pertinet usque ad papam *Johannem XXIII.*, i. e. usque ad 1410. et ad *Rupertum (Robertum) I.* ducem Bavariae circa ann. 1404. Consentit autem magnam partem non solum rebus, sed etiam verbis atque ordine cum *Chronico Martini Poloni de summis Pontificibus et Imperatoribus*, et cum *Continuationibus* ejus ac *Supplementis*, sicut in ed. Basil. extant multasque *res miscellas* continent, e quibus colligi licet, vel auctorem vel continuatorem Chronici in regione vel Wormatiensi vel Moguntina vixisse, quoniam tam multae res parvi momenti ac minutae in iis de his regionibus continentur, quae vix possunt sciri nisi ab eo, qui in istis regionibus vixerit, ut quum vini pretia singulorum annorum quanta fuerint Wormatiensi mensura indicat, quo ex genere haec sint exempla. Ad annum 1240. haec notat *„Eodem anno crevit tanta habundantia vini, quod carrata solvit XL denar. Wormatz.,“* et ad a. 1297. tradit *„Item anno domini MCCXCVII. carrata vini* (est autem *carrada* dolii vinarii species, v. Dufresne Glossar. med. et inf. latin. v. *Carrada*) *solvit V. sc. heller in Wormatia.“* Ad ann. 1404. haec profert „Per eosdem duos annos (quibus papa Innocentius VII. sedit) clerus Wormaciensis in magna fuerunt discordia cum civitate Wormaciensi. Totus etiam clerus extra civitatem Wormac. fuerunt ad tres

6*

annos et amplius. Ipsi clero dominus Rupertus rex fortiter assistebat, civitati vero dominus Johannes archiepiscopus Maguntinensis (de quo vide Gualteri Chronicon Chronicorum Vol. I. p. 767. LXV.) cum magna liga principum et civitatum. Sed clerus videns se derelictum ab omnibus vasallis suis cepit pugnare gladio spirituali et cives processibus multipliciter gravare. In tantum etiam proportae civitatum, opidorum et villarum claudebantur ad adventum eorum, nec intromittebantur ad emendum vel vendendum, ita quod cives Wormacienses et praesertim mechanici male steterunt et inceperunt se et sua a civitate alienare." De se ipso auctor Chronici haec tradit ad a. 1241. „Hujus (Manfredi) temporibus in Burgundia imperiali unus maximus mons se dividens ab aliis montibus per plura miliaria cujusdam vallis ad alios montes accessit et circa quinque milia hominum suffocavit. Et ego ibi fui et vidi ita esse et pertransivi eundem locum in Stiria prope Billach." Cfr. de hac re Gualteri Chron. lib. II. p. 275. ad a. 1241. In vita Bonifacii IX. haec habentur: Promovit etiam Conradum de Zoltow ad Verden et Rabanum (de quorum priore vid. Gualteri Chronicon Chronicorum Vol. I. p. 1093. nr. XLVI. et p. 888. nr. LXI.) ad Spirenses ecclesias, qui Rabanus est unus de Helmstat et hodie in eodem episcopatu vivit sc. anno Dom. MCCCCXXIV. in profesto Udalrici scriptum." e quo loco apparet, auctorem Chronici, nisi est continuator antiquioris Chronici, circa a. 1429. Chronicon in regione vel Wormatiensi vel Maguntina scripsisse, unde Chronicon ipsum vel *Wormatiense* vel *Maguntinum* appellari licet. Magna diligentia auctor ejus usus est in tractandis rebus gestis Episcoporum Wormatiensium et Maguntinorum, quare ad historiam Episcopatuum illarum regionum accuratius cognoscendam multum videtur posse conferre. Sed ut suum cujusque sit judicium de auctoritate historica hujus Chronici, duo exempla excerpenda ex eo statui, alterum de rebus papae *Innocentii III.*, quod est initium Chronici Reliquiarum, alterum e vita *Ruperti I.*, in cujus rebus enarrandis Chronicon abrumpitur:

1) De *Innocentio III.*

*Innocentius IIIus* successit anno Dom. MCXCIIII. et sedit annis XVIII. mensibus IIII. et diebus 23. Hic fecit hospitale Sti. Johannis. Renovavit ecclesiam Sancti Petri. Decretales et sermones ac librum de miseria condicionis humane ac multa alia compilavit. Hujus tempore capta est Constantinopolis a Venetis et Francis. Similiter et Miramolimis Sarracenorum cum maxima multitudine veniens contra Hispanos confusus ad suam rediit patriam. Hic etiam Ottonem imperatorem et coronavit et deposuit. Hic libellum abbatis Joachim, quem contra Petrum Lonibardum (leg. *Lombardum*) composuit, dampnavit. Dampnavit etiam quendam Almericum cum sua heresi, de qua in decretis: Dampnamus, qui asserunt ydeas, quae sunt in mente divina, creare et creari. Dixit etiam omnia esse unum et omnia esse deum, et si homo non peccasset, quod in duplicem sexum pertitus non fuisset, sed modo angelorum multiplicati fuissent. Dixit etiam, quod in caritate constitutis nullum peccatum imputaretur et sub illa spe pietatis sequaces ejus omnem turpitudinem committebant. Et iste Almaricus cum suis sequacibus Parisius fuit combustus. Tempore etiam hujus Innocentii Ordo Praedicatorum incepit per Sanctum Dominicum in Tholosanis partibus contra hereticos et exemplo praedicavit a. Dom. MCXCIX. Et sub eodem etiam Ordo Fratrum Minorum per Sanctum Franciscum prope Asisium aput Sanctam Mariam de Portiuncula incepit, videlicet anno Dom. MCCVII. Hic etiam Franciscus prius vocabatur Joannes. Hujus Innocentii anno XVII. in Laterano celebratum fuit concilium MCCXV. praelatorum pro subsidio terre sancte et pro universali statu ecclesie, ubi multa statuta utilia fuerunt promulgata. Quo etiam tempore consecravit ecclesiam Ste. Marie trans Tiberim. His etiam temporibus Livonia est conversa ad fidem Christi pro parte. Demum cum Innocentius propter subsidium terre sancte inter Pisanos, Januenses

et Lombardos pacem facere intenderet, in itinere ad hoc constitutus apud Parisium obiit et ibidem sepultus in ecclesia S. Laurentii in artiris." (leg. *martyris*)

Haec ad verbum paene congruunt cum *Supplementis*, quibus *Martini Chronicon* et in ed. Basil. et in cod. Giss. refertum est, in quorum librorum posteriore tamen haec, quae de *Amalrico* sunt, in marginem rejecta sunt. Vide supra p. 33.

2) De *Ruperto I.* duce Bavariae.

*Rupertus primus* dux Bavarie et comes Palatinus Reni post depositionem Wentzeslai praedicti anno MCCCC Sabbati proxima ante festum Sancti Bartholomei apostoli fuit electus per dominos Johannem Maguntinensem, Fridericum Coloniensem et Wernsherum Treverensem archiepiscopos, aliis electoribus vocatis, sed absentibus, in Rense, et ibi sollempniter ad sedem imperii positus praesentibus quam plurimis principibus. Et regnavit annis IX. mensibus IX. taliter qualiter. Et sequenti anno scil. Anno Dom. MCCCCI. idem Rupertus Italiam intravit cum CL. lanceatis tantum cum domino archiepiscopo Coloniensi et duce Lothringiae filiastro suo et aliquot aliis parvis principibus contra Mediolanensem, sed nihil profecit, sed in brevi rediit et consequenter in Almania in Heidelberg mansit et eo toto tempore dominus archiepiscopus Johannes et Lantgravius Hassiae in magnis fuerunt guerris per tres continuos annos. Et cum nullus eos concordare potuit et multis dampnis utraque parte receptis tandem se mutuo concordarunt. Huic Ruperto regi Bonifacius papa decimam cleri per Almanniam . . . . . Cetera desunt. Multa folia exscissa videntur.

De ipso autem *Fratre Martino* in Martini IV. vita haec in Chron. Wormat. reperiuntur: „*Hujus tempore Martinus ordinis praedicatorum penitentiarius domini papae et capellanus Cronicam Martinianam composuit. Martinianam vocatam nomine proprio Martini papae.*"

---

## VI.

## Excerpta genealogica et chronologica.

Extant in cod. Nr. CLXXVI., quem supra Nr. III. p. 40. descripsimus, *Excerpta* quaedam *Chronici* (fol. 233—235.) incerti auctoris, quae magnam narrandi similitudinem habent cum reliquiis illius Chronici, quod modo cognovimus. Ac primum quidem agitur in his excerptis de *Alberto de Hanbalde* (leg. *Anhalde*) marchione, de marchione *Conrado*, qui genuit *Ottonem* marchionem de *Choburg* et tres alios filios, de *Burchardo* comite de Zolr., de *Friderico* Purcgravio de Nurnberch. Tum sequuntur *Excerpta chronica* ab a. D. MC. usque ad a. MCCCXCVI., ubi haec reperiuntur „*A. MCCCXCVI. in die 8. Wenczeslay Fridericus dux Austriae prope Muldorf succubuit in bello et captus est a duce Ludovico Bavariae, qui Ludovicus adeptus est imperium et regnavit potenter.*"

---

## VII.

## Adae Claremontensis Flores Historiarum ad Gregorium (IX.).

Cod. Giss. Nr. CLXXVII.

B. S. Ms. 38. fol.

In hoc codice, quem supra nr. V. p. 43. Adriani verbis descripsimus, quum multa alia, tum lit. a. fol. 1—224 a. *Adae Claremontensis Flores Historiarum* nondum, quod

sciam, editae continentur, de quorum auctore vid. inprimis Fabric. Bibl. med. et inf. aev. v. *Adamus Claromontanus* et v. *Adamus Barchingensis.* Inscriptio, quam supra posuimus, est ex praefatione hausta, ubi eam Ada ipse tradidit; ea autem, quae in Catalogo Adrian. affertur „*Cronica Ade* (Adami) *Claremontensis ad Papam Gregorium de gestis sanctorum, flores historiarum vocata*" in cod. Giss. a recentiore manu nescio unde addita est. In aliis codd. videtur hoc opus *De Serie sex aetatum* inscribi; vid. Fabric. v. *Adam Claremont.* et Voss. de Hist. Lat. II. cap. 56. Nam recte Adrianum puto judicare in errore versari videri eos, qui hos *Flores historiarum* et *Chronicon de serie sex aetatum* pro diversis libris habeant. Pertinent autem hi *Flores historiarum*, ut ipsa praefatio docet, ad ann. 1270., et maximam partem, id quod ipse auctor in praefatione profitetur, ex *Vincentii Bellovacensis Speculo Historiali* excerpti sunt, sic ut quasi pro compendio illius operis possint haberi ac tota operis descriptio (Anordnung) cum *Vincentii* opere conveniat. *Cronicon* autem *de Gestis Sanctorum* ab eo, qui codicis Giss. inscriptionem fecit, ideo videtur esse dicta, quod *Sanctorum passionibus* exponendis magna pars operis constat, pariter ut cetera e *Vincentio Bellovac.* hausta. Sed ut, quid scriptor ipse in opere suo spectaverit, melius cognoscatur, *praefationem*, quam ipse operi suo praemisit, cum nonnullis *exemplis* huc transscribere constituimus. Sunt autem verba *praefationis* haec: „Sanctissimo in christo patri ac domino Gregorio apostolice sedis summo pontifici Adam clericus Claromontensis episcopi devota pedum oscula beatorum et in ejus oculis gratiam invenire. Quoniam inter causas rationabiles nihil censetur utilius beneficio literarum, quibus memoria reformatur et in novitatem redit, quod oblivio obscuravit, nobis in solatium et recreationem spiritus quedam ex libris doctorum ecclesie, quedam ex cronicis Eusebii, Bede, Sigiberti, Jeronimi, quedam praecipuo ex historiali speculo fratris Vincentii de ordine fratrum praedicatorum parisiensis et quaedam ex gestis Romanorum, Francorum et Britonum a mundi inicio usque ad moderna tempora (1268.) successivis temporibus stilo breviloquio, prout permisit divinum auxilium, enodavi, ut cum fueritis secularium depressus tumultibus seu fessus orationibus vel aliis divinis studiis fatigatus ad hunc librum in solaciis recurratis. Et quoniam fides veritatis verborum adminicula non desiderat et praefationibus coloratis saepe rectus sensus infringitur et veritatis immutatur, volens manum excludere captiones verbis simplicibus vobis scripsi regna s. SScitarum, Argivorum, Cretensium, Egiptiorum, Assiriorum, Sixionorum, Atheniensium, Latinorum, Romanorum, Francorum, Lacedaemoniorum, Corinthiorum, Judeorum, Medorum, Macedonum, Lydorum, Persarum, Asye ac Syrie, quibus temporibus finem et initium habuerunt. Reges quoque eorum quosdam, quantum, qualiter et quomodo eam gubernaverunt. Judeorum etiam omnes judices, reges et quosdam pontifices usque ad tyty tempora, Romanorum reges, consules et imperatores cum Francorum regibus in Gallia regnantibus, quantum et qualiter et quibus temporibus regnaverunt. Qui etiam et quot Romani pontifices quomodo et qualiter et quanto tempore romane ecclesie praefuerunt. Quosdam quoque martires majoris famae et meriti, sub quibus principibus et quibus temporibus palmam martirii subierunt. Quosdam etiam philosophos poetas ac medicos confessores doctoribus ecclesie quibus temporibus et quibus provinciis floruere cum quibusdam temporum evenientibus sub compendio ordinavi. Sane igitur ego historiographorum minimus eorum imitans vestigia praesens opusculum ex diversorum dictorum (nonne *auctorum*) dictis et sententiis conpilavi et antiquorum inherens historiis elegantiores eorum sentencias, quas jam vetustas hominumque neglectus quasi jam mortuas aboleverat, in quodam novitatis essentie suscitavi librum istum, quem *Flores Historiarum* intitulo, vobis in solatium compilando. Qui licet mei titulo se vestris oculis repraesentat censuram expectans potius quam gratiam et in hoc summam sui praecii constituit, si non a vobis reiciatur,

sed tandem, quod ei maximum est, indulgentiam mereatur. (etc.) — Porro praesens opusculum dividitur in tres partes. Prima pars continet Gesta a mundi origine usque ad tempora Julii Caesaris super Romanus primitus imperantis et imperare inchoantis ante incarnationem domini annis XLVII. Secunda continet Gesta omnium imperatorum Romanorum, Regum Francorum, Romanorum pontificum, martirum et confessorum famosorum cum eventibus quibusdam temporum a dicto Julio usque ad tricesimum tertium annum Frederici secundi Lugduni ab Innocentio quarto condempnati. Tertia continet Gesta vacationis imperii a primo anno condempnationis dicti Friderici usque ad annum domini millesimum ducentesimum septuagesimum (1270.). Continet etiam adventum antichristi et signa summi judicii et qualiter christus vivos et mortuos judicabit et in hoc terminabitur liber iste." Ex postremis prologi verbis apparet, tractatus istos *de rebus divinis*, quos Vir D. Adrianus in Catalog. Codd. Nr. CLXXVII. alii scriptori tribuere velle videtur, ejusdem *Adae* esse, qui in hac quoque parte antiquiores cronicas sequutus est. Nam in editione quidem Vincentii Bellovac. Venet. 1591. Tomo IV. Appendix libri XXXI. extat, qui easdem res continet.

Sequitur exemplum de *Anaxagora* philosopho, *Xerxe* et *Esdra* ex his *Floribus Histor.* excerptum, quod conferendum est cum *Vincent. Bellov. Spec. Hist.* lib. III. cap. 33. (de *Anaxagora*), cap. 37. (de *Xerxe*) et cap. 43. (de *Esdra*).

Valerius.] Anaxagoras post longam peregrinationem pro studio sapientie in patriam reversus cum possessiones suas desertas videret, non essem salvus ego, nisi iste periissent. Anno Darii XXII. Valerius Bruti collega adeo pauper mortuus est, ut sumptu publico sepeliretur. Malachias propheta.] Eo tempore Malachias prophetat unus ex XII prophetis. Rex Persarum.] Xerxes filius Darii Persarum quintus cepit regnare anno ab initio mundi IIIILXXVIII. et regnavit annis XX. Hujus tempore Pindarus, Sophocles et Euripides poete clarent. Arthabanus Persarum VI tus regnat mensibus sex. Artaxerxes Persarum VII 9 regnat annis XL. Longimanus cognominabatur. Comestor.] Eo tempore natus est Socrates et lapis habens formam caprinam in Egeum mare de celo cecidit. Comestor.] Esdras propheta sacram bibliothecam reparavit]. Tempore Artaxersis Esdras scriba et propheta de genere Aaron sacram bibliothecam a Caldeis combustam spiritu sancto dictante reparavit et quasdam figuras subtiliores ad schribendum et ad pronunciandum, quam priores, invenit; quare aput regem magnificatus est, et modum schribendi a dextra in sinistram invenit, cum prius ad modum arantium homines scriberent. Plures alios libros scripsit. Hic obtinuit ab Artaxerse rege, ut rediret et in lege domini populum suum instrueret. Mittens autem ad filios Israhel, qui ultra montes Caspios erant, qui sunt inter Medos et Persos, non venerunt. Tandem cum sociis IDCCC undique collectis venit in hierusalem et adjuravit. (cet.) — Esdras sacerdotes principes et levitas, ut proicerent uxores alienigenas et eos, qui de eis nati erant."

Explicit *Chronicon Adae* sic:

„Karolus cruce figitur et eum (Manfridum) defincit. Ex hinc Corradum filium praedicti Corradi cum filio ducis Austrie Henrico quoque filio regis Castelle Gerardo comite Pisano et H. filio cum Conrado de Antiochia contra ecclesiam et dictum karolum insurgentes in campo Leonis convenerat. Conserta pugna et diu agitata victi hostes ecclesie in fugam se verterunt et fugientes per mare apud piscinam capiuntur et Neapoli decollantur. Anno scil. D. MCCLXVIII. in crastino omnium sanctorum exceptis H. filio regis Castelle, quia fugit in ecclesia et Conrado de Antiochia, cui peperit Karolus propter fratres Johannis Gajetani Cardinalis, quos idem Corradus captivos detinebat. Mortuo igitur Conradino sine liberis periit tota progenies Friderici. Karolus quoque de ecclesia Romana in regem coronatus, Campaniam, Apuliam, Tusciam, Calabriam, Siciliam

et magnam partem Ytalie sibi subdit." Sequitur de septima aetate Vincentii, de adventu antichristi etc.

## VIII.
## Compendium Cronicarum incerti auctoris.

Cod. Giss. Nr. CLX.

B. S. Ms. 37. fol.

In eodem codice, quem supra p. 31. nr. I. descripsimus, extat praeter multa alia lit. f. fol. 25. opus, quod in Catal. Adrian. inscriptum est: „*Delineatio historiae universalis a creatione mundi usque ad Vespasianum*," sed in operis ipsius praefatione nominatur: *Compendium Cronicarum*, quod pariter atque *Flores Historiarum Adae Claremontani* maximam partem e *Vincentii Bellovacensis Spec. Histor.* haustum eandem plane descriptionem (Anordnung) habet, nisi quod brevius est. Desunt enim in eo *Gesta Sanctorum*, quae *Adamus* habet. Pertinet autem hoc *Compendium Cronicarum* usque ad a. 1207., ubi res *Henrici VI.* tractantur. Quum autem in posteriore parte codicis folia saepe a bibliopega disjecta sint, qua de re vid. supra p. 35., idem vitium in hac quoque ejus parte ab eo commissum est sic, ut inter vitas Imperatorum *Vespasiani* et *Adriani* Martini Poloni Chronicon interpositum sit. Qui autem medii sunt inter hos imperatores, *Titus*, *Domitianus*, *Nerva*, *Trajanus*, omissi sunt, nisi forte aliquot folia perierunt, quamquam id propterea non est verisimile, quod in inferiore margine ejus folii, in quo vita *Vespasiani* scripta est, ab ipso librario haec nota addita est „*Sequitur post finem de imperatoribus ultimis hic continuandis, ubi Anno Domini CXIC. Helius Adrianus.*" Haec autem nota librarii fugit Virum D. Adrianum, unde factum est, ut in Catalog. Codd. *finem* harum Cronicarum deesse traderet notaretque terminari in verbis „*Sub titulo de Tiberio imperatore*," quae verba in prioris partis Cronicarum fine male per bibliopegam ab altera disjunctae reperiuntur et ad narrationem referenda sunt, quae de testimonio *Josephi* de *Christo* inserta est vitae *Tiberii*, quam illa *nota* comparandam significari voluit librarius. Hujus quoque Compendii Cronicarum *prologum* cum paucis *exemplis* hic repetere visum est, quo alii, quid in hoc opere contineatur, cognoscant. Habet autem sic:

„Sapientis consilium docet in tempore ocii scribere sapientiam curiosamque rerum indagationem potissime, ut ex cognitione mutabilitatis creaturarum, quae in subscripto libro declaratur, crescat in humanis mentibus notitia et amor innumerabilis creatoris ac per hoc profectui proximorum consulatur; hoc, inquam, profecto instinctu cogitationem provocaverunt, me mores apis argumentos ex diversis herbarum floribus mel sibi congregantis. Quedam naturalia rerumque gestarum actus nonnullos et in speculatis colligere ex cronicis doctrine, quae illustrium virorum 6 . . Josephi, Eusebii, Ysidori, Hieronimi, Augustini, Comestoris, Thomae de Aquino, Vincentii (Bellovacensis) fratrisque Martini (Poloni) ac aliorum in unum volumen, cui nomen praeponitur *Compendium Cronicarum*, in quo de mundi spaciositate qualemcunque mensionem feci, ut ex ipsius magnitudine immensitatem creatoris et ex varietate specierum ejusdem similiter ipsius creatoris pulchritudinem nec non ex prolixitate temporum ejus aeternitatem diligens lector possit considerare. Etiamque in eo descripsi de bellis famosis per orbem usquequaque commissis, antequam de sinu patris advenerit rex noster pacificus. (cet.) — Igitur supplico omni (sequitur locus ras.) hunc librum legenti, quatenus, si quid ex eo corrigendum repperit, ignorantiae meae attribuat limaque corrigat caritatis: quod autem correctione

invenerit non indigere, doctorum probitati ymmo domini bonitati, a qua id acceperunt, cum gratiarum actione asscribat."

Sequitur exemplum de *Anaxagora* philosopho et *Xerxe*, rege Persarum et *Esdra* propheta ex hoc *Compendio Cronicarum* excerptum, quocum conf. *Vincent. Bellovac. Spec. Hist.* Lib. III. cap. 33. (de *Anaxagora*), cap. 37. (de *Xerxe*), cap. 43. (de *Esdra*).

Anaxagoras auditor fuit maximus Augustin. de Civ. Dei li. VII. Hic rerum omnium, quas videmus, effectorem divinum animum dixit. Aristotiles in metaphysica lib. X. Anaxagoras dicebat, quod homo est mensura omnium rerum. Valerius li. VII. Anaxagoras interroganti cuidam, quisnam esset beatus, nemo, inquit, ex his, quos tu felices existimas, sed eum in illo numero reperies, qui miser a te esse creditur. Idem libro VIII. Anaxagoras post longam peregrinationem pro studio philosophiae in patriam reversus cum possessiones suas desertas videret: Non essem ego, inquit, salvus, nisi iste divicie perissent. Symacus in epistolis ait, Cum Anaxagoras disputaret et mors sibi nunciaretur, se a disputationibus non retraxit, sed ait, nichil novi michi nuncias; ego enim istum ex me natum sciebam esse mortalem. Boetius libro primo de consolacione prosa tercia. Quodsi non legisti Anaxagore et Socratis venenum, zenonis quoque tormenta etc. Ex quibus patet, quod veneno Athenis mortuus est Anaxagoras. Ait Aug. XVIII. libro de Civ. dei: Datum est ei venenum tanquam reo mortis, quia solem dixit lapidem ardentem, quoniam solem Athenienses deum esse credebant. Hic, sicut dicit Aug., successorem habuit Archelaum, qui fuit magister Socratis, qui natus est tempore Xerses quinti regis Persarum anno mundi IIIMCCCCLXXVIII. Hic Xerses adeo luxuriosus erat, ut magnum promitteret praemium ei, qui novum genus voluptatis et luxurie inveniret. Qui adversus Greciam bellum per quinquennium instruxit, habens in exercitu suo VIIC milia de auxiliatoribus rostratasque naves mille et ducentes et naves provisiones portantes IIIM. Adversus tantum exercitum Leonida rex Spartanorum cum IIIIor tantum milibus armorum obstitit et pugnatum est per tres dies. Quarta die Leonida jussit suos pausare et ipse cum VI C tantum viris irrupit in castra persarum contra VI M hominum. Et bellando ipsi per se adjuvant Spartanos et mutis cedibus suis et pugnatum est a principio noctis usque in majorem partem diei sequentis. Postremo Spartani mortui in mortuos ceciderunt, quibus ante bellum Leonida rex dixerat, prandete hic, inquit, cito apud inferos cenaturi. Eo tempore Esdras legem succensam a Caldeis reparavit, numeros quoque ac literarum apices excogitavit, qui faciliores ad scribendum fierent et ad pronunciandum et propterea velox scriba dictus est. Tytulos psalmorum composuit et plura, quae leguntur in pentatheuco."

Explicit *Compendium Cronicarum* sic:

„Henricus Sextus (praecedunt nonnulla de Gregorio Nazianzeno et Friderico I.) usque ad a. 1207. ab Innocentio papa cum legato duodecim abbates Cisterciensis ordinis in terram abigentium ad praedicandam fidem hereticis mittuntur. Quibus de Hispania dicatus Oxoniensis episcopus habens secum fratrem Dominicum in comitatu pro hereticis convertendis adjungitur. Qui Dominicus post ordinem praedicatoris incepit. Sequitur Otto quartus ducis Saxonie filius a domino Innocentio papa . . . ." (Cetera desunt.)

## IX.

## Gesta regum Francorum ab origine regni usque ad ann. IↃCCCXXIX. ex cod. membran. D. Gerardi Meermann. Syndic. Roterod.

Cod. Giss. Nr. CCLIV a.

(E Bibl. Senkenberg.)

Hic codex quum confecto demum catalogo Adrianeo in bibliotheca acad. Gissensi inter codd. Senkenbergianos inventus esset, Vir Cl. Adrianus eum in *Actis diurnis Darmstadinis* (*Grossherzogl. Hess. Zeitung.* Darmstadt 1841. St. 1. 1. Jan. Spalt. 2. S. 3.) *Germanico sermone* descripsit, quam nos descriptionem hic *Latine* reddamus.

*„Codex est chartaceus saec. XVII. exeunte diligenter scriptus, foll. 113. [quorum ego quatuor extrema, quum codicem perlustrarem, deesse animadverti, quae, dum codex a viro Cl. Adriano describitur, etiam extitisse oportet, neque tamen, quo pervenissent postea, percontando investigare potui], quorum 1. 2 b. 3 b. 111 b.—113. vacant. Inscriptio haec est: Gesta regum Francorum ab origine regni usque ad ann. IↃCCCXXIX. Incipit: Principium regum Francorum [eorumque originem vel gentium illarum ac gesta proferamus. Est autem in Asia oppidum Trojanorum, ubi est civitas, quae Ilium dicitur, ubi regnavit Aeneas. Gens illa fortis et valida, viri bellatores atque rebelles, nimis inquieta, certamina objurgantes, per gyrum finitima debellantes. Surrexerunt autem reges grecorum adversus eneam cum multo exercitu pugnaveruntque contra eum cede magna. — Cap. II. incipit: Eo itidem tempore gens alanorum prava ac pessima rebellaverunt contra Valentinianum imperatorem romanorum ac gentium.]. Explicit: cum magna letitia et exultatione celebravit. [Quum autem in exemplo Giss. quatuor folia, ut modo commemoravi, desint, explicit a. DCCCXXIX. „Post exactam hiemem in ipso sancto quadragesimali jejunio paucis ante sancta pascha diebus aquisgrani terrae motus noctu factus ventusque tam vehemens coortus, ut non solum humiliores domus, verum etiam ipsam sanctam dei genetricis basilicam, quam cagrellam vocant, tegulis plumbeis tectam non modica denudaret parte. Imperator vero in diversis occupationibus etc. — — ubi varia esse comperit, quae de nordmannis fama disperserat, sicut prius dispositum habebat, medio mense augusto wormaciam venit. Ibique habito“ . . . . . Cetera desunt.] Titulus est a manu V. Cl. H. C. a Senkenberg. Quod sequitur folium continet ejusdem viri docti notas, quorum infra faciemus mentionem. Foll. 4—49 a. (Principium subsistit) typis expressa extant apud Bouquet Script. rer. Gall. et Fr. [D. M. Bouquet. Recueil des historiens des Gaules et de la France, accomp. de sommaires, de tables et de notes (contin. p. Ch. Handiquier, J. Précieux, Fr. Clement, Poirier, M. Brial, Daunou et Naudet). Paris 1738—1832. XIX Voll. fol.] Vol. II. p. 542—572. cap. I—LIII. — Foll. 49 a.—53 b. (Deinde . . martyris) sumpta sunt ex Fredegarii Scholast. Chron. Contin. ibid. p. 454—458. — Foll. 54—55 a. (Carlus . . . missus) ex Ademarii Chron. ibid. p. 576—577. — Foll. 55 b.—92 b. (Pipinus . . . coepit) ex Annal. Francic. ibid. Vol. V. p. 32—62. — Foll. 92—111. (Domnus . . . celebravit) ex Annal. Eginhardi de Gestis Ludovici Pii. Fol. 3 a. Dominus a Senkenberg notavit, Meermannum codicem, e quo nostrum exemplum descriptum est, e bonis defuncti Baronis de Crassier Lovanii (Löben) emisse, e cujus collectione codicum plures praeclari codd. in nostram bibliothecam academicam pervenerunt [Cfr. Comment. Crit. p. 31. seq. I.]. Fuit autem codex ille membran., unde noster codex est de-*

*scriptus, saeculi X., foll. 119. fol. min. vel 4 maj. et videtur olim Viri Cl. J. J. Chifletii fuisse. In margine nostri codicis Senkenbergius multas perutiles notas adjecit [quas tamen non de suo addidit, sed e margine codicis membranacei transscriptae sunt, cui eas adjectas fuisse ipse testatur eo loco, quem mox afferemus]. Bouquet in conficiendo opere suo clarissimo illo codice Baronis de Crassier usus est uberrimosque inde fructus historiae suae in secundo volumine [et V.?] percepit. In conficiendis autem posterioribus voluminibus codex non amplius Parisiis fuisse videtur, ut porro inde profici posset. Quare multum etiam nunc ex nostro codice ad historiam Francorum plenius cognoscendam videtur posse redundare. Inserendus est hic codex in Catalogo codicum inter Nr. CCLIII. et Nr. CCLIV. nota: Nr. CCLIV a."* Adrian.

Vir Ill. Senkenbergius ipse fol. 3 a. haec de suo codice retulit: *„Emit hunc librum Vir Illustris Gerardus Meermann ex Bibliotheca Baronis de Crassier Leodiensis, cum illa venum exponeretur. Est vero codex scripturae saeculi, ut videtur, X. foliorum CXIX. pergamenorum, parvi folii aut formae, quam quartam vocant, excellentioris, quem ego olim puto fuisse Johannis Jacobi Chiffletii: — Usui fuit Benedictinis in nova Scriptorum rerum Gallicarum editione per Boucquetum facta. — Allinuntur in capite libri ut et alibi in margine Supplementi loco, aliqua ex Speculo Vinc. Bellov. Hist., unde etiam est historia illa de serpente, cujus et codicis meminit Montfaucon Bibl. Ms. p. 604. Haec exscribere nos supervacuum judicavimus. In calce adscriptum est nihil, quod ad aetatem pertineat, sed parte I. cap. 54. videtur innui istam minimum partem scriptam esse anno 887. Diversorum vero autorum est opus, qui per vices historiam continuarunt."* Folio 48. leguntur haec: *Franci vero theodericum cala monasterio enutritum filium dagoberti junioris regem super se statuunt, qui nunc anno sexto in regno subsistit.* — Fol. 50. notatur annus 735. — Fol. 52. cap. LV., ubi haec reperiuntur: *Eo anno Pippinus dux — cum avunculo suo childebrande duce et multitudine primatum et agminum satellitum plurimorum burgundiam dirigunt fines — Carlus princeps Parisius basilicam sancti Dionisii martyris multa munera ditavit. — Transiit XI kal. nov. et sepultus est in basilica sancti Dionysii martyris,"* notantur haec: *„Hic sequitur epistola Alexandri M. ad Aristotelem de preliis suis alias de situ Indiae dicta, sed commenticia, uti id eruditis satis est notum. Nec non fragmenta Eutropii. Id quod indicio est, laborem primi continuatoris morte Caroli Martelli fuisse finitum. Memorandum etiam simul id, manu saec. XV. ex Vincentio Bellovac. historiam aut fabulam anilem de serpente in sepulcro Caroli Martelli post aliquot annos invento, corpore illius non reperto, Codici antiquo Meermanniano esse adscriptam. Sed noluimus lectori hoc insipido additamento graves esse. Sunt capitula 55."* — Fol. 53. sequitur *nova continuatio* ab a. DCCXLI. *„Carlus major domus defunctus est."* Cap. I. *„Hic incipit Continuatio secunda, ut id etiam ex stylo et ipsa codicis antiqui forma apparet."* — Ad marginem capitis X. ad a. DCCL. de creatione *Pippini* — *„Hildericus vero, qui false rex vocabatur, tonsoratus est et in monasterium missus,"* haec notantur: *„Alia recentiore manu adjecta sunt ea, quae hic in codice nostro desunt, nimirum cap. XI. et XII.* Incipit autem XI. *„Iste Pippinus, ut dictum est, ex regalis aule prefecto in regnum promotus"* — et pertinet ad ann. DCCLIII. — Fol. 98. desunt nonnulla ad a. DCCCXIX. *„Slaomir abodritorum rex — per prefectos saxonici limitis et legatos imperatoris — aquisgrani adductus est. Quem cum primores populi sui, qui simul missi, vene . . ."* Cetera desunt. — Fol. 98 b. pergitur: *„ad gregus pluribus interfectis et avertit et de illa provincia fugavit. Borna vero dux Dalma . . ."* Cetera desunt. Pariter ad a. DCCCXXII., ubi haec reperiuntur: *„In regione thuringorum quodam in loco juxta fluvium cespis longitudine pedum quinquagenum, latitudine quatuor denum, altitudine sesquipedali de*

7*

*terra sine manibus et praecisus et sublatus est. Et ab eo loco — —, viginti quinque pedum spatio distans inventus est. Item in parte orientali Saxoniae,"* notatur: *„Desunt folia."* Incipit denuo: — — *„cum quo uuahalum monachum propinquum suum fratrem videlicet adelhardi abbatis et gerungum hostiariorum magistrum una direxit."* — Fol. denique 106 b. post verba: *„Cedragus abodritorum princeps pollicitationibus suis adhibens fidem cum quibusdam primoribus populi sui compendium venit dilatique per tot annos adventus sui admirationem coram imperatore non improbabiliter reddidit. Qui aizonis haud dubiam sibi victoriam pollicebatur,"* notatur: *„Deest hic integer quaternio."* Ex his lacunis intelligitur, *codicem* illum *membranaceum* non satis integrum fuisse. Et notandas istas censui lacunas, ut si quis in aliis terris hujus historiae Francicae codex reperiatur, perspici possit, quam rationem noster codex cum aliis habeat.

---

## X.

## Ivonis Carnutensis Episcopi Epistolae (88.).

### Cod. Giss. Nr. CX.

B. S. Ms. 163. 4.

*„Codex membranaceus saec. XIV. exeunte eleganter exaratus, lineis stilo ductis, crebris vocum compendiis, rubris inscriptionibus, litteris initialibus milto pictis, paucis in margine notatis, foll. 93., quorum 1. 2. 92. et 93. chartacea sunt. Inter fol. 18. et 19. scida membranacea agglutinata est, quae in pag. aversa scriptura vacat. Fol. 1. 26. 91. 92. et 93. vacua sunt. Continentur autem hoc volumine: Ivonis Carnutensis episcopi epistolae. Incip. fol. 3 a. SCI SPS ADSIT NOB GRA. (Haec rubro picta sunt) — Notat Senkenberg. fol. 2 a.: Ivonis Carn. Episc. Epistolae manu saeculi XII. Ivoni aequali exaratae, cujus codicis et ordo differt et meo non editae insunt. 1764. Comp. in sectione Amstelod. — Long. 7" 7'". Lat. 4" 11'".* Adrian.

Quum hic codex, quem cum optima edit. Opp. Ivonis Parisina 1647. Partes II. fol. (Ivonis Carnotensis Episcopi Opp. omnia partes duae. P. I. Decr. P. II. Epist. cum notis Jureti et Souchet.) diligentissime contuli, ex optimo aliquo codice exscriptus videatur, quod et verborum ordine et toto orationis colore multum exemplo Parisino praestat, maxime dolendum est, quod spem, quam de epistolis nostri codicis ope augendis olim Senkenbergius et nuper hujus viri cl. auctoritate ductus Friedlaender V. D. in censura Catalog. Adrian., quae extat in *„Jahrbücher f. wissensch. Kritik."* Berlin 1840. St. 79. nr. XLIX., (ubi vid. Friedl. p. 630.) historicis fecisse videntur, irritam esse certo confirmare possum. Extant enim in hoc codice secundum edit. Parisinam non solum nullae epistolae ineditae, sed ne tantus quidem numerus earum, quantus in ed. Paris. reperitur, quae 287 Epistolas habet, quum cod. Giss. tantum 88 Epistolas complectatur, sed longe *diverso ordine* collocatas atque in ed. illa Paris. Videtur autem librarius certum quoddam consilium in eligendis illis ac describendis 88 epistolis secutus esse, quod et quae ad unum aliquem datae sunt epistolae in unum locum collatae sunt et quod maximam partem sunt ejusmodi, quae ad *jus ecclesiasticum* spectent. Est autem ordo epistolarum in cod. Giss. cum ed. Paris. comparatus hic:

| Cod. Giss. | Ed. Par. | Cod. Giss. | Ed. Par. |
|---|---|---|---|
| Ep. I | Ep. II | Ep. XLIV | Ep. LXXVII |
| „ II | „ CLVI | „ XLV | „ LXXVIII |
| „ III | „ XVI | „ XLVI | „ LXXX |
| „ IV | „ CLXI | „ XLVII | „ LXXXII |
| „ V | „ I | „ XLVIII | „ LXXXIII |
| „ VI | „ XII | „ XLIX | „ LXXXV |
| „ VII | „ XXV | „ L | „ XC |
| „ VIII | „ XLIII | „ LI | „ XCVI |
| „ IX | „ XLVI | „ LII | „ XCIX |
| „ X | „ XLVIII | „ LIII | „ CI |
| „ XI | „ LXV | „ LIV | „ CII |
| „ XII | „ LXVII | „ LV | „ CVI |
| „ XIII | „ CIII | „ LVI | „ CXI |
| „ XIV | „ CIV | „ LVII | „ XL |
| „ XV | „ CV | „ LVIII | „ X |
| „ XVI | „ CVIII | „ LIX | „ XXIV |
| „ XVII | „ CX | „ LX | „ CXXXVI |
| „ XVIII | „ LXXXI | „ LXI | „ CCLXXXVII |
| „ XIX | „ LXXXVIII | „ LXII | „ CXLVIII |
| „ XX | „ LXXXIX | „ LXIII | „ CLXII |
| „ XXI | „ XCII | „ LXIV | „ CLV |
| „ XXII | „ XCIV | „ LXV | „ XLVII |
| „ XXIII | „ XCV | „ LXVI | „ XIII |
| „ XXIV | „ CXVII | „ LXVII | „ XV |
| „ XXV | „ CXXXV | „ LXVIII | „ VIII |
| „ XXVI | „ CXXIV | „ LXIX | „ XVI |
| „ XXVII | „ LXXXIV | „ LXX | „ XXVII |
| „ XXVIII | „ LXXXVII | „ LXXI | „ XXXV |
| „ XXIX | „ XCIII | „ LXXII | „ XXXVI |
| „ XXX | „ CXXXIII | „ LXXIII | „ CXXII |
| „ XXXI | „ LIV | „ LXXIV | „ CXXV |
| „ XXXII | „ LV | „ LXXV | „ XXVI |
| „ XXXIII | „ LIX | „ LXXVI | „ XXXIV |
| „ XXXIV | „ LX | „ LXXVII | „ XIX |
| „ XXXV | „ LXI | „ LXXVIII | „ LXVIII |
| „ XXXVI | „ LXIII | „ LXXIX | „ CXXIII |
| „ XXXVII | „ LXVI | „ LXXX | „ CXXXIV |
| „ XXXVIII | „ LIX | „ LXXXI | „ XXII |
| „ XXXIX | „ LXX | „ LXXXII | „ III |
| „ XL | „ LXXI | „ LXXXIII | „ VII |
| „ XLI | „ LXXII | „ LXXXIV | „ XVII |
| „ XLII | „ LXXIII | „ LXXXV | „ LXXIV |
| „ XLIII | „ LXXIV | „ LXXXVIII | „ XXXII. |

Sequitur lectionis varietas e codicis Giss. Ep. II. cum editionis Paris. ep. CLVI. p. 66. exempli causa enotata.

Argumentum epistolae in cod. Giss. sic se habet „*Quod non debemus aliquem secreto sua peccata confitentem corporaliter separare.*“

Olrico] Cod. *o* — a presbytero] a presbitero — nihil] nichil — presbytero ejus excomm.] *presbytero* om. cod.? et habet *excomm. ejus*? — cum — ingrediatur] cum — ingreditur? — sibi repugn. vid.] sibi *invicem* rep. vid.? — solerti] sollerti — cum reddi potest, non redditur] reddi potest *et* non redditur, omissa conjunct. *cum*? — canon. sent.] sent. canon. — cibum] cybum — non permittunt] *nos* non perm.? — quandiu] quamdiu — nihil] nil? — pertinacior] pertinatior — communioni] communi — nihil] nichil — excipi non praecipitur] *excipi* om. — non excommunicetur] *ex* eras. — vincentium] vincencium — vel ab innoc.] *vel* om. — contra quos] *eos* supra vers. additum ab al. man. — annuntiab.] annunciab. — ne istae ergo sententiae] ne enim istae sent.? — judiciario] juditiario — unde etiam] unde et? — idem in sermone] unde idem in sermone? — corde semper disjung.] *corde* om. — exite] et exite? — immund.] inmund. — contactu] *cum tactu* e corr. — quod quis] quod quisque? — immund.] inmund. — ex iis] ex his — contactu] corr. *cum tactu* — damnatos] dampnat. — praedicebat] praedicabat? — sequestr.] sequaestr. — igitur] ergo? — Vale] deest.

Sequitur varietas lectionis Epistolae III. codicis Giss., quae est in ed. Paris. Ep. XVI. humilis Carnotensium episcopus] Ivo d. gr. carnotensis ecclesie episcopus? — pellicem] pelicem — vobis videtur] videtur vobis? — apud vos hactenus] hactenus apud vos? — nunc vero dicitis hoc ipsum] nunc sic hoc ipsum dicitis venire in dubium? — hanc consuet.] esse hanc consuet. — vobis respond.] *hoc* vobis resp. — aliquis] alius? — vel licet licebit] licet vel licebit? — Cabilon.] cabillon. — raptas sibi] sibi raptas? — jure vendic.] *jure* om.? — habemus etiam] habemus et? — esse illam mulierem] illam esse mul.? — solemniter] sollempniter — violaverint (bis)] violaverunt? (bis) — ergo] igitur? — foedam] fedam — coercere] coherc. — quod vero] qui vero (leg. *quia* vero) — imbecill.] inbec. — inter se habent] habent inter se? — judicium] juditium — misericordia] comp. *mĩa* (i. e. *miseria*?) — quotiens] quociens — in unum negotium conveniunt] *negotium* om.? — opportunitate] oport. — indulgentiam] indulgentia — huic patrono] *huic* om. — nec dicto, nec facto] nec facto, nec dicto? — commune consilium et judicium] commune judicium et consilium? — comprovinc.] conprov. — expetatis] deest cum lacunae signo et rasura — longanimiter] lonquanimiter — hoc attendendo] hoc attendo — hujus temporis] temporis hujus? — Valete] deest.

---

### c) CODD. ITINERARIORUM.

## I.

# Jacobi de Vitriaco Episcopi Acconensis Historia Hierosolymitana.

### Cod. Giss. Nr. MCCXLVI.

B. S. Ms. 420. fol.

„*Codex chartaceus diversis manibus saec. XV. in Italia, ut videtur, scriptus, inscriptionibus minio pictis, litteris initialibus modo rubris, modo omnino omissis, vocum compendiis usitatis, argumentis passim in margine adscriptis, ligatura antiqua, foll. 226., quorum 171 b. et 226 b. vacua sunt. Continentur autem haec: a. fol. 1—107. Jacobi de Theramo Processus inter Jesum et Belial. — b. fol. 108—157. Aegidii de Foscariis, Doctoris et Civis Bononiensis Praxis libri secundi Decretalium. — c. fol. 158*

—*171 a. Anonymi Ars Notariatus.* — *d. fol. 172 — 177. Designatio Beneficiorum Dioeceseos Coloniensis* — *a. millezxliiiior (num. 1444.).* — *e. fol. 178—182. Fretelli Archidiaconi Antiochiae Descriptio Terrae Sanctae.* — *f. fol. 183 a. Episcoporum Hierosolimitanorum Series.* — *g. fol. 183 b.—226. Historia Hierosolimitana Jacobi de Vitriaco Episcopi Acconensis.* — *Haec duabus columnis scripta sunt.*" Adrian.

Quum *tres* sint *libri Histor. Hierosol. Jacobi de Vitriaco*, nos *primum* tantum *librum* in nostro cod. l. c. habemus, cujus inscriptio haec est: „*Prologus M. Jacobi de Vitriato Canonici regularis, Episcopi Acconensis* (de quo vid. Voss. Hist. Lat. II. cap. 57.) *super historiam iherosolimitanam. Qui postea factus fuit Episcopus Tusculanus et cardinalis ecclesie Romane elevatus homo.*" Hunc librum, quem cum exemplo, quod est apud Bongarsium „*Gesta Dei per Francos*" T. I. P. II. p. 1047., contuli, e meliore codice descriptum cognovi, quam unde Bongarsianum exemplum expressum est. Nam et verborum ordine meliore praestat et rarioribus medii aevi vocabulis, quae in pejoribus codd. plerumque cum usitatioribus sunt commutata. Quare nonnulla exempla variarum lectionum e cod. Giss. sec. edit. Bongarsii enotata hic repetere nobis placuit, quo judicium nostrum confirmaretur.

Cap. XVII. „*De peregrinatione crucis signatorum et de his, quae sustinent sustinuerunt in via.* (sic cod.)" — Eremita] heremita — copiosam] capiosam — regnum transiens] regnum pertransiens? — Hungar.] ung. — passus incommoda de exercitu suo fere decem millia amisit] passus *est* de exercit. (leg. passus *est et* de exerc.) milia cet. — currus etiam] currus autem — supellectilia] superlectilia — subsequuti] subsecuti — Alexio] Allexio — habebant] habuerunt? — antiochenam] anthioch. — Saracen.] sarrac. — Cap. XVIII. „*De obsidione et captione anthiochie*" — hyem.] hiem. — imbrib.] ympr. — aegrit.] egrit. — mortis generibus] mortis temporibus generibus — afflictionem] afflixionem — Boamundum] boadmundum — dante dom.] dom. dante? — possederunt] receperunt? — Cap. XIX. „*De pugna christianorum contra carbagat et eorum victoria*" — pauca admodum in civitate vict.] pauca admod. vict. in civ.? — princeps enim pers.] princ. autem pers. — militiae suae] *suae* om.? — carbagath] carbagat. — in auxilium miserat] *axiam et suorum* addit G.? — intra] infra — premens] praem. — adeo quod valebat] adeo quod valeret? — inedia perurgente] inedia peroriente — intolerabili] intollerabili — necess.] neccess. — ab urbe egressis] egressis ab urbe? — domino confid.] in domino conf.? — de supernis] de superius? — animos] optimos — exhilarans] exilar. — robore suscepto] robore accepto? — aggred.] egred. — praesidio] presid. — gloriose] gloriose se — suprema] sompnia — laboraverant] laboraverunt? — hostium] ostium — vict. inven. cop.] victual. cop. inven.? — abund.] hab. — hymnis] ympnis — ut gratias referrent] ut gratias retulerunt? — boamundo] boadm. — hieros.] ieros. — Cap. XX. „*De obsidione et captione sancte civitatis iherusalem*" — regionum] regiones — hierosolymor.] ierosolim. — ante sanct. civ.] ante civ. sanct.? — erectis autem petrar.] erectis namque petr. — quibusdam sauciatis] quidam sauciatis — imbre] ymbre — molar. immiss.] immiss. molar.? — igne succ.] igni succ. — ab his] ab hiis — martyres] martires — dies est crucif.] est dies crucifix.? — strenui] strennui — per sagittas et spic.] et sagitt. et spic.? — per lapides] *per* om.? — et ingent. saxa] *et* om. — supra muros] supra murum — sarac.] sarrac. — reperer.] repper. — Suriani] zuriani — intoler.] intoller. — lacrym.] lacrim. — erem.] herem. — preces] praeces — deo et sancto viro] *ejus* add. G.? — cereis] seriis — hymnis] ympnis — et alia loca visit.] et ad alia loca vis.? — Buillon.] bollon. — strenuum] strennuum — administr.] amministr.

## II.

## Fretelli Archidiaconi Antiochiae descriptio Terrae Sanctae.

**Cod. Giss. Nr. MCCXLVI.**

B. S. Ms. 420. fol.

In eodem codice, quem modo descripsimus, extat lit. e. fol. 178—182. *Fretelli archidiaconi Antiochiae descriptio Terrae Sanctae.* Habet haec descriptio eandem rerum tractatarum narrandique rationem, quam Jacobi de Vitriaco liber Imus. Haec autem descriptio Terrae Sanctae quamquam multis olim nota fuisse videtur (vid. Fabricii Bibl. med. et inf. lat. v. *Fretellus* et Voss. de Hist. Lat. III. P. II. p. 704., Bongarsius Gesta Dei per Francos T. I. P. II. praef. §. VI.) et *Christianus Adrichomius* Delphus in *Theatro Terrae Sanctae* (Colon. Agripp. 1653. fol.) in Catalogo auctorum (post pag. 286.), ea se usum esse testatur his verbis: „*Jac. de Vitriacó Ecclesiae in terra sancta legati, postea Episcopi Aconensis et tandem Cardinalis Rom. liber de terra sancta et de mirabilibus, quae ibidem vidit. Floruit a. Dom. 1231., cujus manuscriptum exemplar una cum descriptione terrae sanctae authore Fretello Archidiacono Antiocheno ex insigni Crucigerorum Colonensium bibliotheca usui meo exhibuit M. Tilmannus Vosmerus Delphus ejusdem coenobii lector dignissimus,*" tamen nondum, quod sciam edita extat. Mihi autem *Adrichomii* verba legenti suspicio orta est, nostrum codicem eundem esse, quo olim Adrichomius usus sit, quod mirus est eorum, quae in utroque codice et *Gissensi* et *Coloniensi* continentur, consensus, quum in *Colon.* quoque codice liber *primus* tantum *Jacobi de Vitriaco,* qui *descriptionem terrae sanctae* continet, extitisse videatur, quo solo ad suam rem usus est *Adrichomius,* et *Fretelli descriptio terrae sanctae* et *designatio diligentissima beneficiorum Dioeceseos Coloniensis a. 1444. scripta,* quam nemo facile tam diligenter facere potuerit, nisi qui in eadem regione vixerit, unde ego suspicor, nostrum codicem olim *Coloniensem* illum fuisse. Sed ut tota hujus libelli ratio in omnium notitiam veniat, et *prologum* integrum hic repetamus et *exemplum* afferamus, quod cum *Adrichomii descriptione terrae sanctae* comparari licet, quo, et quantum ille Vir D. *Fretello* debeat et quomodo eo usus sit, perspiciatur.

Est autem *prologus* cum *exemplo,* quod cfr. cum Adrichomio nr. 145., hic:

„Descriptio terre sancte. Archidiaconus Antiocheus Domino suo venerabili et fratri in domino H. Dei gratia Toletano Comiti N. Fretellus eadem gratia Archidiaconus anthiochie sub spiritu fortitudinis et consilii deo militare. Cum ad orientalem ecclesiam delendorum causa tuorum peccatorum confugisti et in terra promissionis patria videlicet salvatoris nostri Jesu christi peregrinaris, ex qua scil! dominus israel parthos ejecit et arabes sollerter, considera sanctam Jerusalem, contemplare et ipsam Syon, que celestem paradisum nobis allegorice figurat et in qua modo fortiores ex israel novi machabei s. veri salomonis inl cūlum (sic cod. cum lac.) excubant expugnantes inde philisteum et amalech. P. (sic cod.) vero sacra loca regni david, quae divina catholicis informant, quae sint. At ubi et quid significent tibi diligenter intitulare non pigriteris, ne quandoque revertens ad egiptum fauces incurras babilonis. — Modo autem reverende domine quoniam a parvitate nostra sacrorum locorum terram promissionis regionis videlicet israhelitice notitiam quaerere dignatus es, prout sanius potero, sublimitati tue vigilanter elucidare non dedignabor. Explicit prologus. Vertamus eya stilum nostra sumentes initia ab Ebron, que et Hebron. Hebron olim metropolis philistinorum et habitaculum gygantum in tribu Juda, civitas sacerdotalis et fugitivorum. Hebron sita fuit in agro illo, in quo summus dispositor patrem nostrum Adam plasmavit et inspiravit spiraculum vite. Hebron cariatharbe dicitur, quod carracenice sonat civitates quatuor, eo quod ibi quatuor reverendi patres

in spelunca duplici consepulti fuere, summus scilicet Adam, Abraham, Isaac et Jacob et eorum uxores quatuor Eva, mater nostra, sacra Rebecca, Lya. Est autem Hebron juxta vasum lacrimarum et dicta eo, quod centum annis in ea luxit Adam filium suum Abel, in qua et postea monitus ab angelo cognovit Evam uxorem suam, ex qua genuit filium suum Seth. De cujus tribu Christus erat oriundus. Secundo miliario ab Hebron sepultura Loth nepotis abrahe. In Ebron habetur quidam ager, cujus gleba rubea est, quae ab incolis effoditur et comeditur et per egiptum venalis asportatur et quasi pro specie carissime emitur. Praedictus ager in quantum late et profunde effossus fuerit, in tantum Dei dispositione anno finito redintegratus reperitur. Juxta Hebron mons Mambre, ad radicem cujus terebintus illa, quae dirps vocatur, id est ilex aut quercus. — Explicit opus sic: „*Scripto completo Consul rodice valeto genuit quem pontica tellus archidiaconus antiochenus vorgero fretellus.*" Ex alio autem exemplo descriptus videtur fuisse codex is, quem inspexisse tradit Bongarsius l. c., quod initium ejus a Giss. differt. Habet autem sic: „*Reverendissimo patri et domino H. dei gratia Olomacensium antistiti R. fratellus, stola jucunditatis indui*" etc. Quae sequuntur, non excerpsisse se fatetur Bongars.

---

## III.

## Guilielmi Bolen-Celei, equitis aurati Hierosolymitani De partibus ultramarinis et de Terra Sancta.

### Cod. Giss. Nr. CLIX.

B. G. (3.) 12 a. fol.

„*Codex chartaceus saec. XV., in duas columnas divisus, litteris initialibus rubris, fol. numerat. 142., quorum 1. et 139—142. vacua sunt scriptura. Continentur: a. fol. 2—12. Guilielmi Bolen-Celei, Equitis aurati Hierosolymitani, de partibus ultramarinis et de Terra Sancta. — Haec in H. Canisii Thes. Monum. ed. Basnage T. IV. p. 331—357. typis descripta sunt sub titulo: Guil. de Baldensee, Hodoep. ad Terram Sanctam A. 1336. ab ipso scriptum. Deest Epist. dedicat. ad Petrum Abb. Aulae Regiae Cist. Ord. Dioc. Pragensis. — b. fol. 13—136. Thomae Cantipratensis Bonum universale de Apibus [de bono universali s. de apibus mysticis vulgo hoc opus appellari dicit V. D. Friedländer in censura Catal. Adrian., qui tamen non recte negare videtur, extare editionem antiquiorem (Daventr. 1470.) editione Duacensi 1597. 8., quum in bibliotheca magni ducis Hassiae aulica Darmstadina Nr. 285. multo antiquior sine loco et anno extet fol., quae haud scio an ea sit, quam s. l. et a. Coloniae 1475. vel Argentor. 1472. excusam prodisse tradit Grässe Lehrb. einer allg. Literärgesch. II. Bd. 2. Abth. 2. Hälfte p. 583. n. 8., qua edit. bibliothecae Darmstad. ad conferendum hunc librum usus multo codicem Giss. hac quidem editione integriorem melioremque reperi. Sed quod nihil ad nostram rem hic scriptor pertinet, nulla nos hoc loco exempla danda censuimus]. — c. fol. 436 b.—438. Expositiones quarundam figurarum in Apocalypsin. — Fol. 141 b. haec leguntur: Liber Conventus fratrum minorum de observantia in Antwerpia.*" Adrian.

Eam partem codicis, quae continet *Guilielmi Bolen-Celei descriptionem de partibus ultramarinis et de terra sancta*, de qua nunc vid. Grässe Lehrbuch einer allg. Litgsch. II. Bd. 2. Abth. 2. Hälfte p. 769. nr. 70., contuli cum exemplo, quod e *cod. Matthiae Eberspergeri eccles. collegii ad SS. Jacobi et Tiburtii Straubingae Dec.* editum est in *Henr. Canisii Lectt. Antiq. s. Thesaurus Monum. et Eccles. et Hist. ed. Basnage*

Amstelod. 1725. T. IV. p. 337. seqq., e quo cum nostro codice comparato intellexisse mihi videor, codicem Giss. et verborum ordine et orationis habitu medii aevi et integritate operis ipsa multum illi exemplo *Eberspergensi* praestare. Quare exempla pauca variarum lectionum judicii publici causa sec. ed. *Basnag.* enotata hic afferre non alienum duxi. Sunt autem haec:

Cap. III. p. 341. ed. Basnag. 1. De *Elephanto* — disciplinabile] *valde* discipl.? — instrumenti musici] *musici* om.? — chorizat] corrizat — proboscidem longam ad modum vaccae rotundam] promuscidam longam ad modum sacci rotondi? — peracutam] praeacutam? — subtus os mittit] subtus *in* os mittit? — et non laedit] *non* om. — se elevat] se levat — verum enim non est] unde verum non est? — ad perceptum magistri] ad praecept. mag.? — terram quoque osculando] terramque oscul.? — quod] quin? — honorandi hospites] *hospites* om.? — hominibus] om.? — consuetus] assuetus? — 2. De *Jeraffa (Giraffa)* — animal in Cairo] in Cairo animal? — Jerafam] Jeraffam — multum elevatum in anteriori parte, longissimum collum habens] in anteriore parte multum longissimum habens collum? — ut de tecto domus cujusvis altitudinis possit comedere] ut de tecto hominis altissimus domus posset comedere (num leg. *omnis altissimae domus*?) — retro est ita depressum] retro ita demissum est? — manu] manu hominis? — 3. *baburin, mammones, psittaci* — baburnos, coctos] balbuinos, cattos? (et sic legendum h. l. censuit olim Dufresne in Glossar. v. *Baburnus,* ubi hunc locum affert) — psittacos] psitacos (et sic paulo post) — gestibus suis homines mirabiliter ad deductionem provocantes] gestibus suis homines multipliciter ad delectationem provocantes? — in his] in hiis — solatia requirentes] solatiare quaerentes. — 4. de *Smaragdo* — aegypti] egipti (et sic paulo post) — una smaragdina] vena smaragdina? — in meliori forma quam habentur] in meliori forma habentur, quam? — aliqua] alia? — Insigniter corruptus locus ed. Basnag. Cap. VIII. p. 349. Giss. codicis ope egregie sic restituitur: *„Caelestes cives illic sunt infideles credentes fideles dulci alloquio consolatos"*] Cod. *„Coelestes cives illic visi sunt infideles terrentes, fideles dulci alloquio consolantes."* Basnag. emendari voluit *„Caelestes cives illuc illuxerunt vel illucescunt, infideles terrentes, fideles dulci alloquio consolantes (visi* voluit *Canis.).* Et paulo post haec in edit. Basnag. reperiuntur: *„Hic locus est omni devotione merito reverendus, ubi corpus Christi sacratissimum inter iniquos est crudeliter deputatum, anima reassumpta immortalitatis primitiis gloriam . . . . . Saepe dicte domunculae parte sinistra contra sepulcrum eminet extra ceteros lapides lapis quidam albi coloris"*] Cod.: *Hic locus est omni devotione merito venerandus, ubi corpus Christi sacratissimum inter mortuos inique et crudeliter deputatum; anima reassumpta immortalitatis primitiis gloriatur. In saepe dicte domuncule parte sinistra extra sepulcrum eminet extra ceteros lapides lapis quidam etc.* Denique exemplum afferre liceat cap. 11. *De Monumentis ultra Babylonem et fluvium Paradisi,* ubi Inscriptio affertur digna sane emendatione, quae in ed. Basn. valde corrupta extat. Sunt autem variae lectiones hujus capitis hae: ultra babilon. et fluv.] ultra babiloniam ad fluvium paradisi? — aphric.] affric. — pyram.] piram. — duo] om. — et potitis] desunt haec verba? — idiom.] ydyom. — petris insculptos] petris inscriptos?

Inscriptio sic se in editione habet:

Vidi pyramidas sine te dulcissime frater,
Et tibi, quod potui, lachrymas hic incesta profudi,
Et memorem nostri luctus, hanc sculpo, querelam,
Sic nomen decimi anni pyramide alta
Pontificis comitisque tuis Trajane triumphis
Lustris sex intra censoris, consulis esse.

Hos versus cod. Giss. sic praebet:

Vidi pyramidas sine te dulcissime frater,
Et tibi quo potui *lacrimas* hic *mesta* profudi
*Sit* nomen *deci* anni pyramide alta
Pontificis comitisque tuis tyranne (*Trayne* cod. ap. Basnag.) triumph*as*
*Lustra* sex intra censoris consulis esse

tenebit] tenebat? — nec ad imponendum nec ad servandum anonam] nec ad imponendum *nec extrahendum*, nec ad conservandum annonam? — bene unitis] bene junctis? — et via stricta] et vita stricta — verum quod] verum quia? — sint] sunt? — scripti] praescripti — ipsas] om.?

## IV.
## Itinerarius Johannis de Hese.
### Cod. Giss. Nr. DCCXVIII.
#### B. G. XVI. 56. 4.

„*Cod. chartaceus saec. XV., foll.* **160.**, *quorum* **155. 156. 157** *b.*—**160.** *vacua sunt. Continentur:*

*a. fol.* **2—64.** *Raymundi de Penna Forti Summula. — b. fol.* **65—89.** *Varia.* **1.** *Pharetra contra Judaeos.* **2.** *Contra pestilentiam.* **3.** *S. Bernardi Ep. ad Raymundum de cura et modo rei familiaris.* **4.** *Copia Bullae de Anno Jubilaei* **1473.** — *c. fol.* **90** *b.*—**140.** *Historia Romanorum mystice designata. [Hic tractatus idem esse videtur, de quo disputavit Carol. Frid. Hermann. in Catal. codd. bibl. acad. Marburg. Part. poster. Marburg.* **1838.** *Cl. IV. libr. theol. D.* **20.** *p.* **37.** *et Dronke in Program. scholast. gymnasii Fuldensis ab a.* **1842.** *Incip. autem in Giss. cod. Thorotheus imperator Rome regnavit.] — d. fol.* **141—145.** *Notata quaedam ex historia naturali. Incip. A. D.* **1489.** *Johannes de hese presbiter etc. Explic. Est notum. — e. fol.* **146—154.** *Expositio Missae.*" Adrian.

Recte suspicatus est Vir Cl. Friedlaenderus in Censura Catalogi Adrianei esse eam partem codicis, quae lit. d. fol. 141—145. *Notata quaedam ex historia naturali* continere incipereque dicitur: *A. D. 1489. Johannes de Hese presbiter* etc., *Itinerarium Johannis de Hese*, (de quo vid. Grässe Lehrb. ein. allg. Litgesch. II. Bd. 2. Abth. 2. Hälfte p. 769. 1.) cujus exemplum s. l. et a. editum (de quo vid. Grässe l. c.) nos in nostra bibliotheca academica (Liber bibl. Giss. vet. Repos. III. N. 4.) habere quaerenti mihi perhumaniter significavit V. D. *Klein* Prof. honor., bibliothecae acad. praefectus secundarius. E quo exemplo cum codice nostro comparato quum intellexisse mihi visus essem, multo praestantiores eum lectiones, quam editum illud exemplum, quo uno uti licuit, habere, *exempla* pauca *variarum lectt.* hic adjicere non inutile duxi. Sed desunt in hoc codice *tractatus de decem nationibus Christianorum. Epistola Johannis Soldani ad Pium papam scd'z Cum epistola responsoria ejusdem Pii ad Soldanum*, quae in edit. extant. Variae lectt. sunt hae:

dictam] vocatam? — in mari namque rubro] et in mari rubro? — volantes] *super aquas* add. G.? — ad tantum spatium] ad spatium tantum? — quantum balista posset sagittare] quantum cum balista potest sagittari? — rubei] rubii — et habent rotunda] et habentes rotunda? — catti] cattus? — rostra autem velut aquila] et habentes rostra velut aquila? — praedictus] *de hese* add. G.? — eos] ipsos? — bulliri] bullire? — ibidem] om.? — plura animalia rara] plura animalia *alia* rara? — mari] *rubro* add.? — quae

sunt] et sunt? — crescente] crescens? — choral] thoral? — quae crescit] crescens? — in ripa stantes] stantes in ripa? — in civ. hermopoli praed.] in praed. civ. hermopolensi? — beata virgo] *virgo maria* omisso voc. *beata*? — sua lavit necess.] lavit sua nec.? — ceci accipientes de ea recipiant visum, infirmi sanentur] quod ceci vident ipsis accipientibus et inf. sanantur? — et leprosi mundentur] et leprosi mundantur? — bals. cresc.] cresc. bals.? — fugiens in egiptum] in egiptum fugiendo? — fugerunt] fugierunt? — de illa vero civ. hermopoli] et de illa civ. hermopolensi? — vocatam amram] *vocatam om.*? — super mare] supra mare? — ubi iterum] et ibidem iterum? — directe per mare rubrum] per directum per mare rubrum? — et tantum semel] et nisi semel? — tredecim numero] tredecim in numero? — Explicit codex in verbis (fol. 7. lit. a. ed.): *Et ulterius navigando ad portam Orientalem per multas insulas bene per quartale unius anni venimus usque iherusalem, unde exivimus. Et qualiter ibi sit dispositum pluribus est notum. Finis h' deo gratiarum.*

---

## V.

## Excerpta de Terra Sancta ex Vincentii Bellovacensis Speculo Historiarum.

Cod. Giss. Nr. CLXXXVI.

B. S. Ms. 42. fol.

In eodem codice, quem supra lit. β. b. Nr. III. p. 40. descripsimus, fol. 236—240. alia manu, quam quae cetera hujus codicis scripta exaravit, tractatum contineri diximus, qui in *Catal. Adrian.* inscriberetur: *De Progenie Soldanorum et primo de filiis Saladini et de Calipho, Excerpta e Chronica Anonymi,* quae quidem e *Vincentio Bellovacensi* hausta esse eodem loco significavimus. Sunt autem haec XIII capita *de Situ terrarum ac civitatum Soldanorum* e *Vincentii Bellovac. Specul. Histor.* Lib. XXXI. cap. 54—66. (incl.) integra ad verbum descripta, nisi quod paucae variae lectt. nullius pretii critici vitiis scripturae refertae in Excerptis illis reperiuntur, quae cum edit. Vincent. Bellovac. Venet. 1591. fol. contuli. Incipiunt autem a cap. 54. his verbis: „*Quidam Innocentius Papa hujus nominis tercius scire volens, quae apud illos sint nomina satraparnm, contra quos ad bellum parabatur exercitus Christianorum.*“ Explicit cap. 66. „*Haec de illo libello patriarchae ad papam ad praesens sufficiant.*“

---

### d) HISTORIA NATURALIS TROPICE EXPOSITA.

## Incerti auctoris Tractatus De Naturis Animantium distinctus per XX libros, quorum duo tantum in cod. Giss. extant.

Cod. Giss. Nr. DCCLXXVII.

B. S. 126. 4 maj.

„*Codex membranaceus saec. XII. et XIII. diversis manibus scriptus, in duas columnas divisus, lineis stilo ductis, inscriptionibns rubris, litteris initialibus modo milto modo caeruleo modo viridi colore pictis, ligatura antiqua, foll. 152., quorum 7 b. 19 b. 95 a. et 152 b. vacua sunt scriptura. Codex ab initio majoribus quam sub finem litteris scriptus est. Continentur: a. fol. 1—5. Evangelium secundum Johannem in die cene. — b. fol. 8—19 a. Legenda sti Udalrici. — c. fol. 20—51. De nativitate etc. Mariae, de infantia Salvatoris et de ejus passione. (Hic folia plura deesse videntur.),*

— *d. fol. 52—61 a. Miracula beate Virginis Marie. — e. fol. 61 a.—92. Legendae sanctorum. (sti matthaei, stae Catharine, sti Oswaldi, sti Maximiliani et sti lamberti) — f. fol. 92 b.—94 a. Duae orationes. — g. fol. 95 b.—96 b. De gratiarum actione. — h. fol. 96 b. col. 2—111. Evangelium Nicodemi. — i. fol. 112—120. Legenda de X mil. martyr. — k. fol. 121—135. Visio Tundali. — l. fol. 136 b.—138. Excusatio predictorum. De loco non valde bonorum. Excusatio illius, quod dixit de rege Comarcho. Gregorius in Dialogo lib. IIII. Versus, in quibus tanguntur pene predicte. — Hae sunt inscriptiones singulorum capitum appendicem, ut ita dicam, illius, quod sub lit. k. recensitum est, continentium. — m. fol. 139—149 b. Tractatus de naturis animalium distinctus per viginti libros. — Habemus in codice nostro duos modo libros (de quadrup. et de avib.) hujus tractatus. — n. fol. 149 b.—152 a. De sancto Tholomano legenda. — Haec scriptura seculi XIV. vel XV. esse videtur. Tabula contentorum, quae fol. 152 a. col. 2. sequitur, recentiore manu (saec. XV.) exarata est. — Senkenbergius in priori libri operculo haec adnotavit: Codex . . . . scriptus satis eleganter seculo, ut videtur, partim XII. partim XIII. comparatus Viennae ex bibliotheca Archiepiscopali 1758. Long. 9" 3'''. Lat. 6" 7'''."* ADRIAN.

Tractatus ille *de Naturis animantium*, cujus nos priores duos tantum libros in nostro codice lit. *m.* fol. 139—149 b. habemus, est ex numero eorum, qui medio aevo *Physiologi* dicebantur, in quibus historia naturalis simul allegoricam s. mysticam expositionem ad doctrinam Christianam moresque adcommodatam complectebatur, de cujusmodi libris vid. Grässe Lehrb. einer allg. Ltgesch. II. Bd. 1. Abth. 2. Hälfte p. 537. seqq. et II, 2, 2 p. 578. seqq. et Vir. Cl. Dr. *H. Hoffmann* Fundgruben für Gesch. deutscher Sprache und Literatur. Breslau 1837. p. 16—37. Convenit autem nostri codicis particula ea, quae sola in eo extat „*de animalibus quadrupedibus et volatilibus*" maximam partem quum cum iis, quae ex ejusmodi Physiologis antiquioribus et apud *Bartholomeum de proprietatibus rerum* (v. Grässe II, 1, 2 p. 585. nr. 10.) et apud *Vincent. Bellovac. Specul. Natur.* (v. Grässe II, 2, 2 p. 589. nr. 5.) reperiuntur, tum inprimis cum iis reliquiis Physiologi cujusdam, quas edidit *Ang. Mai* in *Class. Auct.* e Vatic. codd. editis T. VII. p. 589. seqq. et cum iis, quae *Germanice* e duobus codd. Vindobon. versa altero philol. CCXIV. altero theol. DCLIII., quorum posterior maximam similitudinem cum nostro cod. habet, edidit *Hoffmann* l. c. p. 16—37. Quae quidem tam multorum ejusmodi opusculorum similitudo inde ducenda videtur, quod antiquissimus aliquis Physiologus pro fonte ceterorum omnium videtur esse habendus. Sed ut *Gissensis* codicis ratio accuratius cognoscatur, *prologum* cum nonnullis *exemplis* hic afferamus. In fronte tractatus *Index* eorum, quae in toto tractatu, qualis in eo exemplo extitit, unde nostri codicis particula descripta est, ponitur, hoc initio „*Tractatus de naturis animalium distinctus per XX libros, qui liber per ordinem alphabeti, ubi hoc commode potuit observari, secundum materiam librorum. Incipit liber primus.*" Cap. I. de quadrupedibus. Cap. II. de avibus (hucusque cod. Giss.). Cap. III. de monstris marinis. Cap. IV. de piscibus. Cap. V. de serpentibus. Cap. VI. de vermibus. Cap. VII. de arboribus. Cap. VIII. de arboribus aromaticis. Cap. IX. de herbis. Cap. X. de lapidibus. Cap. XI. de septem metallis. Cap. XII. de septem regionibus aëris et eorum humoribus. Cap. XIII. de spera et motu ejus. Cap. XIV. de planetis et eorum motu et passionibus aëris. Cap. XV. de quatuor elementis. Cap. XVI. Quaedam notabilia hinc inde collecta. Cap. XVII. de partibus et diversis membris humani corporis per totum. Cap. XVIII. de hominibus monstruosis. Cap. XIX. de vitro et vivo argento. Cap. XX. de diversis curis liber ultimus. Sequitur prologus: In hoc opere laboravit frater quidam de ordine praedicatorum XV. annis extrahendo illud de naturis animalium secutus auctores famosos, Aristotelem,

Plinum (leg. Plinium), Solinum, Ambrosium, Magnum Jacobum de Viatico (leg. „de Vitriaco“), qui et librum de quibusdam animalibus ultramarinis composuit, quem Orientalem hystoriam appellavit. Secutus est etiam librum rerum, Galyenum physiologum, Adelinum phylosophum et librum, qui veterum narratio dicitur, librum etiam cujusdam Judei phylosophi nomine Chetel in descriptione lapidum est secutus. Haec autem omnia de facili ad edificationem fidelium adaptantur. Haec sunt nomina XXIV phylosophorum, de quorum dictis hoc opusculum est extractum utile nimis bonum. Ubicunque invenies *ph'* vel *phs'* intellige *phylosophus* vel *physiologus*. AR, Aristoteles, Rabanus, Ymago mundi. Avenroys. Gundibaldus. Albumasar. Alfragandus. Alexander. Historia Hierosolymitana. Avicenna. Thebyt. Plinius. Isidorus Quando *naturalia*. Ysaac Quando *medicinalia*. Mychael Scotus. Matth. Platearius. Luxuvivii (num *Lexoviensis*?). Septuaginta. Galienus. Alvredius (*Alfredus* an *Alfricus, Albericus?*). Ypocras (*Hippocrates*). Euclydes. Diascorides medicus.“ Praeterea laudat auctor Glosas super libros Veteris Test. et Johannem physiologum. Caput primum continet 64 animalia *quadrupedia;* caput II. de avibus continet 68 titulos.

Sequitur exemplum de *Panthera,* quod comparetur cum exemplo latino ap. *Majum* l. c. et *Vincent. Bellovac.* Spec. Nat. lib. XIX. cap. 99. et 100. et Germanico apud Hoffmann l. c. Sunt verba haec:

*Panthera,* ut dicit *Solinus,* animal est colore varium, nimis speciosum, minutis orbiculis superpictum, ita ut oculus ex fulvo circulis reluceat et in caeruleum vel album varietas distinguatur. Est autem hoc animal mansuetum valde, inimicum autem solum habet draconem. Dum comederit saciatumque fuerit diversis cibis, condit se, ut dicit physiologus, in spelunca sua et dormit. Inde post triduum resurgens a sompno emittit rugitum. Ceterae vero bestie cum sonitus suum audierint, congregantur et secuntur ejus suavitatem, qui egreditur de ore ipsius, sed capitis sui torvitate terrentur, quamobrem occultato eo reliqua dulcedine corripit invitatos. Hec bestia, ut dicit *Isidorus,* nisi semel parit. Nam fetus debiti temporis horum non expectantes matrem unguibus laniant. Unde matrem quasi seniscentem reddunt inutilem. Nam, ut dicit *Plinius,* animalia cum acutis unguibus sepe non possunt parere, viciantur enim intrinsecus se moventibus catulis.“

2. De *Unicorni* (cfr. *Physiolog. ap. Hoffmann.* l. c. et *Vinc. Bellov.* Spec. Nat. l. XIX. c. 104.).

*Unicornis* est animal parvum, quod, ut dicit *Ysidorus,* secundum foetitudinem corporis brevia habet crura; secundum magnitudinem suam acerrimum nimis, ita quod a nullo venatore vi valeat conprehendi, sed secundum *lac̄ et ysid.* sic capitur: puella virgo in silva ponitur, solaque relinquitur, qui adveniens omni ferocitate deposita casti corporis pudiciciam in virgine veneratur caputque suum in sinum puellae aperientis imponit, sicque soporatus in heremiis depraehenditur, a venatoribus occiditur vel in regali palatio ad spectaculum exhibetur. Hoc animal primo, ut dicit *Plin.,* magnus Pompejus ad spectaculum rome exhibuit. Hoc crudele animal signat Christum, qui ante incarnationem seviebat in celo puniendo angelos propter superbiam, in terra homines propter inobedientiam, sicut adam; propter luxuriam, sicut sodomitas; propter crapulam, sicut filios israhel. Huic nullo contradicere audente clamat *ysa.* Sion est, inquit, qui consurgat et tenet te. Haec ubi in deserto mundi quasi cepit, dum gloriose virginis marie incomparabili pulchritudine castitatis illectus dei filius quasi sinum ejus uterum introivit atque per eam humanatus corpus accepit, in quo a judeis quasi crudelissimis venatoribus comprehensus occiditur indeque resurgens ad celos ascendens in celestis regni palatium ad dexteram patris conspiciendus collocatur.“

e) GRAMMATICI ET GLOSSARIA.

## I.
## Aelii Donati artis grammaticae fragmentum.

In antiquo quodam volumine bibliothecae acad. Giss. Lit. C. Nr. 382/400., in quo *diversi libelli grammatici* primis inventae artis typographicae temporibus typis expressi extant, reperitur etiam *fragmentum Donati artis grammaticae MS.* saec. XV. vel XVI. scriptum „*Aelii Donati Viri Clarissimi de octo partibus orationis editio secunda,*" quae in cod. incipit a lib. II. Segm. 1. §. 1. (Corp. Grammat. Latin. Vet. ed. Lindemann Vol. I. p. 9. ap. Putsch p. 1743.) „*Partes orationis sunt octo*" et pertinet usque ad Segm. 4. de *Generibus* §. 1. „*alia sono feminina, intellectu neutra, ut poema, schema.*" Sed quum, quantum e comparatione hujus fragmenti cum exemplo *Lindemanniano* instituta intellexerim, nullam prorsus utilitatem criticam habeat, non dignum habui, cujus sordes variarum lectt. enotarem. Consentit plerumque *cod.* cum ed. *Putsch.*

---

## II.
## Flavii Sosipatri Charisii Instit. Grammat. Excerpta.

Quum in codicibus mss. bibliothecae nostrae perlustrandis versarer, incidi in cod. MS. Nr. DCCCVIII., in cujus involucro interiore a bibliopega compacto *fragmentum epitomae Institutionum Grammat. Charisii de declinatione pronominum person. et possess. et de conjugatione verbi regularis* inveni, quod quamvis maximam partem *Charisii* verbis constet, nihil tamen criticae utilitatis habet. Quare plura de eo dicere nolo. Notandam tamen rem propterea putavi, ut inde cognosceretur, *Charisii* quoque libros, sicut *Donati,* medio aevo in epitomam scholarum causa esse redactos.

---

## M. Johannis Heldensis Fratris Minoritae Speculum grammaticalium dictionum.

Cod. Giss. Nr. DCCC.

B. G. (3.) 41 b. fol.

„*Codex chartaceus saec. XV. exeuntis, in duas columnas scissus, litteris initialibus aut rubris aut atris aut plane omissis, foll. 216., quorum 1. 46. 147. et 217—219. vacua sunt. Continentur: a. fol. 2—45. Postilla vetus. — b. fol. 47—146. Commentarius in Raimundi Summulam metricam. — c. fol. 148—149. Regimen et status mundi. [Carmen Latinum, de quo vid. infra in Poet. med. aev. lit. β. Nr. XVIII. et XIX.] — d. fol. 149—216. M. Johannis Heldensis, Fratris Minoritae, Speculum grammaticalium dictionum. — Quae sequuntur aliena continent. [Sunt ejusdem grammatici interpretationes et explicationes nominum propriorum biblicorum.] — Fol. 218 b. leguntur verba: Liber fratrum domus Rivileonis in Marpurg.*" ADRIAN.

Eorum scriptorum, quae in hoc codice continentur, praestantissimum est illud, quod *Speculi grammaticalis* nomine inscribitur, de cujus auctore *M.* quodam *Johanne Heldensi* in extrema praefatione a librario, ut videtur, haec verba scripta reperiuntur: *Explicit prohemium magistri Johannis de Helden in speculum grammaticalium dictionum, correctoris egregii ordinis Fratrum Minorum de provincia Coloniensi, quod speculum*

*complevit ultimo vite sue anno scilicet anno domini millesimo ducentesimo nonagesimo secundo* (1292.). *Laboraverat enim in hoc fere annis triginta, sumens tam de grecis, quam latinis. Scivit enim grecum et multa de hebraeis, ut patet in processu. Incipit autem sic*" cet. De subsidiis autem grammaticis ac de tota operis ratione, quam secutus est auctor, ipse in prooemio haec scribit:

„Inevitabilis necessitatis videtur casus, ut errent frequenter et tamen nesciant, ubi corruant, qui de dictionibus ebreis et grecis tractare presumunt, linguarum ipsarum prius aliquali saltem noticia non accepta. Unde *Papias*, tum *Huguicio*, *Ebrardus*, qui *Grecismum* edidit, et alii quidam tractatores in suis, ut aperte constat, operibus propter ignorantiam originis eorum, de quibus agebant, graviter erraverunt, ita ut non solum sustinendi non sint, sed pocius corrigendi, non meo, ut spero, temeritatis ausu, sed magis veritatis confidentia, quam a meis doctoribus labore diutino diligentique cura mutuatus sum, qui sciverunt veraciter et poterant infallibiliter de hujusmodi judicare. Ad factam mihi instantiam subii hunc laborem, apponens de meo calamum, atramentum et cartam et manus articulos scribentes hoc quidem exaratum est. Quod quia tangit aliquos et ob id forsan emulationis aliquit incurret, rogo fratres, qui non statim conspuendum putaverint, juxta verbum doctoris beatissimi Geronimi, 'ut privata lectione contenti fastidiosis et ingratis non ingerant verbum; nauseent, quod appetitus eorum abhorreat, quod languens stomachus eorum mox reiciat indigestum. Si tamen caritatis instinctus, qui bonum quidem non commutat, reputat amissum, hec cuiquam profectus causa censeat non celanda, operarii subdoli nomen taceat et personam, quia, ut ait quidam, minus est praeciosus et absque pondere sermo gravis, quem non gravis edidit auctor. Quodsi prodar alienae sententiae repetitor, sum absque cypho alicujus Joseph nesciens augurari; sicubi vero videbor duri forsan oris et asperi, legentis magis excitationem, quam arrogantiam intendo propriam vel depressionem alienam. Sciendum praeterea, in hoc tractatu pauca principaliter poni, in quibus pectaverit contra quem intendimus, sive non habendo quod promisit in suo prologo, satisfactionem scilicet vocabulorum difficilium biblie, cum restent adhuc difficiliora, quamque posuit, sive in hiis, que posuit, non satis acrem examinando vel in accentu, vel orthographia, vel dictionum compositione vel alio quoque modo, nec oportet mihi opponere, quod *Huguicionem* plerumque vel alium quemlibet sit secutus, quia errorem concipiens et errorem ultro vel negligenter suscipiens et eum ad alios temere transfundens ejusdem sunt novae participes et pene paris redargucionis digni." Explicit prohemium (sequuntur cetera, quae supra posuimus). Ad hoc prooemium complendum ipse auctor in extremis libri sui verbis haec addit: „*Quidquid autem hic vel alibi dixerim vel dicam, me semper subicio judicio saniori, cui si quid vel scienter forte vel quoquo modo probabiliter me dicere putavero, libenter offero et reverenter suppono. Ita finit speculum grammaticalium dictionum magistri Johannis Heldensis Deo gratias.*"

Hae leges criticae, quas ipse sibi auctor scripsit, quum per se satis magnam grammaticarum rerum doctrinam magnamque ejus ingenii sagacitatem prodant, tum eo majorem auctoritatem auctori ipsi addunt, quod et summa religione et egregia doctrina judicandique subtilitate in ipso opere conficiendo usus esse reperitur. Continet enim hoc *Speculum grammaticalium dictionum* egregium thesaurum rerum grammaticalium, quae quum ad verborum origines potestatesque formarumque doctrinam explicandam spectant, tum inprimis ad Grammaticos latinos veteres, ut Priscianum, Servium, emendandos ac vel complendos Bibliorumque Vulgatae Interpretationis historiam criticam accuratius cognoscendam et ad fontes Vocabulariorum medii aevi investigandos ipsaque complenda multum utilitatis afferunt. Ingens enim numerus locorum ex eo genere librorum, quos modo indicavimus, in hoc opere affertur criticeque interpretationibus saepe additis e vetustissimorum

librorum MSS. auctoritate pertractatur. Haec tota autem doctissimi illius grammatici grammaticae tractandae ratio quo melius ab iis, qui res grammaticas tractant, cognoscatur, quum hic liber, quod sciam, nondum usquam editum sit, pauca exempla ex eo excerpta hic afferre placuit. Parcum enim esse magnitudo voluminis cogit, quod mihi quidem valde optabile videtur, ut aliquando integrum edatur.

# Exempla.

## 1) De verbo *jacio* cum praepositionibus composito.

*Adjicio, abjicio, objicio, injicio, dejicio, projicio, rejicio, subjicio, trajicio. Huguicio* affirmat esse composita a talibus praepositionibus et hoc verbo *jacio, jacis* et scribenda per duplex *ii,* quorum primum consonans et aliud vocale et utrumque proferendum, nisi causa metri unum aliquociens subtrahatur, ut antesedens praepositio brevietur. Iterum dicit haec non esse composita ab *icio, icis,* ut volebant quidam ipso teste probans id per ipsorum praeteritum et supinum hujus verbi *ico* et per quantitatem prime sillabe ejus, quam produxerunt aliqui, sicut *Lucrecius,* quamquam *Priscianus* libro decimo eam censeat breviandam. *Petrus* autem *Helie* de compositione et scriptione ipsorum verborum incedere dubius videtur. Sic enim dicit, ubi exponit rara in tractatu tertie conjugationis inventa: „*Abjicio altera consonante debet dici, si sit compositum a jacio; si vero ab icio, quod est percutio, tunc per i vocalem debet dici ab icio, idemque de similibus est dicendum*" etc. Huc *Petrus Helie* ante hec verba dicens *icio* verbum, de quo nihil dicit *Huguitio,* idem esse, quod *ico,* trahens hoc a textu *Prisciani* libro decimo. (p. 877. P.) *Abicio quoque abjeci facit, conicio, conjeci, inicio, injeci, proicio, projeci. Invenitur tamen etiam simplex icio, icis, unde Virgilius duodecimo Enegidum „Ictum jam fedus et omnes Composite leges.*" Haec *Priscianus.* Modus hic loquendi videtur supponere, quae praedicta sint ab *icio Priscianum* sencisse et hoc etiam commentator suus satis innuit *Petrus Helie* in verbis jam praedictis et secundum hoc per unum *i* forent scribenda, sicut et scripta inveniuntur communiter ab antiquo. Sic enim ea scribi tradit *Servius* commentator *Virgilii* super *quarti libri Eneidum primum versum* (549. P.): *His germana malis oneras atque obicis hosti* ita dicens: „*Ob corripitur naturaliter, sicut rejicio re et adicio, sed producuntur plerumque hac ratione, quia i vocalis, quem habent frequentem per declinationem praeter in consonantis formam transversum, ut objeci, rejeci; ergo etiam antequam transeat, interdum fungitur officio consonantis et precedentem longam facit.*" Usque huc *Servius,* contestans se in hoc ipso auctoritatem *Jubae* et cujusdam alterius, quem ipse nominat (leg. *non* nominat) secutum (Nullam prorsus auctoritatem in nostris editt. *Servii* allatam animadvertimus; quare auctorem nostrum pleniore Servii exemplo, quale olim illud fuit, quod *Danielis* dicitur, usum apparet) et ita ex unius ore tres unam sententiam inveniuntur amplecti. Qui de compositione nihil tangentes indistincte censent praedictam per simplex *i* scribenda. Quae si veraciter a *jacio* componuntur, ut rationabiliter affirmat *Huguitio,* per ipsorum praeteritum et supinum, videtur secundum *Servium* subtractum unum auctoritate veterum euphania (leg. euphonia) causa in multis locis. Firmum autem aliquid et fixum de compositione praedictorum et jam ipse exprimit *Priscianus,* dum libro *decimo quarto* (p. 995. P.) scripturam debitam hujus verbi *ejicio* ponit, ita dicens „*e in appositione et conpositione invenitur ante b. d. g. l. m. n. r. et ante v. et in loco consonantium positus, ut ebibo, ebulio, edo, educo, egero, elimo, eludo, emineo, emico, enarro, enervo, enodo, eripio, eremo, eveho, evoco, ejicio.*" Usque huc *Priscianus.* Haec pro tanto maxime dicta sunt, ut sciatur vetus scriptura, quae invenitur per i simplex, in verbis praemissis auctoribus

non penitus caruisse, de quibus ad praesens nil amplius nisi *conicio* invenitur subtracto *n coicio* et pro *proicio r* addito *proricio*, de quo *Virgilius* (Aen. V, 237.) *Extaque proriciam in fluctum et vina liquentia fundam.*

### 2) De conjunctione *Alioquin.*

„*Alioquin* secundum *Donatum* et *Remigium* commentatorem suum conjunctio est causalis vel collectiva, etiam secundum *Papiam* et secundum *Remigium* idem est quod *si non*, vel *aliter*, et hac ultima significatione a *Geronimo* (i. e. *Hieronymo*) et etiam ab aliis accipitur satis sepe. *Papias* circa significationes ejus verba multiplicat sic: „*Dic* (eras.) *alioquin* (eras. *n*) *quod si minus, quodsi non, vel aliter, quod si alio modo feceris.*“ De accentu conjunctionis hujus quod quidam variant, credo simpliciter cum magistro zꝭene (sic) de hoc tractante, quod, sicut *alio* nomen, a quo componitur *alioquin*, ultimam producit, ita et producta manebit in *alioquin*, Sicut etiam *Oratius primo libro Sermonum Egloga quinta* (Sat. I, 4, 3.) in fine versus posuit sic: „*Sicarius aut alioquin*“ et ita accentum debet habere in penultima. Quod *Huguitio in opusculo suo* de dubio accentu dicat huic sane contrarium vel usquam sentire se innuat, non credatur. Recitat quidem opinionem quorundam volentium *alioquin* componi ab *alio* adverbialiter posito et sic habere accentum duplicem vel in antepenultima vel in penultima, juxta quod hujusmodi *o* finale producunt vel corripiunt, sed ante et post accentum fixum ponit in penultima. Nec mirum, si opinionem hanc estimet frivolam, cum, etsi oporteret componi a tali adverbio, adhuc magis connaturalis esset accentus penultime causatus a productione, quam generaliter omnis dativus et ablativus secunde declinationis habet, quam antepenultime causatus a correptione accidentaliter proveniente.

### 3) De verbo *Mussare* et *Mutire.*

*Mutire* est ad modum mutorum, ut dicit *Huguitio*, murmurare vel loqui et non audere, a quo venit *musso*, *mussas* et *minuro*, vel dubito, secundum illud „*Mussat qui dubitat, mussat qui minurat idem.*“ Quod hoc verbum duplex *s* habeat, dicit *Brito*, quamvis de hoc nemo soleat dubitare. De *musito* vero, quod *Exodi decimo sexto* et *Ysaie vicesimo nono* ponitur, et cujus participium *2di Regum duodecimo* invenitur cujusque verbale *musitatores Isaie vicesimo nono* ponitur, quod frequentativum esse constat jam praemissi verbi *musso*, an duplex *s* habeat, sicut primitivum vel ob rationem aliquam uno tantum scribendum sit, nec *Papias*, nec *Huguitio*, nec aliquis, quem vidisse me sciam, tangit. Sed certe de hoc quaestio vult moveri, cum ex eo, quod tam diligenter suo verbo perfecto duplex *s* assignat et relinquere videatur, quod modo simili *s* duplex habere debeat frequentativum, quod usus non recipit et communis scriptura librorum novorum et veterum, quae dicit. Ad quod credimus posse dici, quod, quamvis requirat regularis formatio, ut per duplex *s* dicatur *mussito*, sicut *musso*, tamen euphonie causa per antiquos et modernos per simplex s, ut testantur libri, scribitur et profertur. Divinus sine dubio *Juvencus* eliminans primam ejus sillabam brevem posuit, ita dicens: „*Hec inter se musitanti voce volutant.*“ Fit simile aliquotiens metri causa, ut scilicet subtracta litera lo' a p'g (sic cod.) sillaba breviter, sicut *libro secundo* (l. I. ed. *Ingolstad.* fol. VI b.) *Allexandreidos: Dum s' ma datis* (ed. *sibi mandatas*) *legatio mutua partes Exequitur patere tactus suplicantis amore (patrie suplicantis amore* ed.) *Rex fedus renovat.* Ecce unum *p* de hac dictione *suplicantis* subtractum est, ut metrum stare posset. *Supplico* quippe componitur a *sub* et *plico.* Sicut autem hiis propter dictas causas subtrahuntur littere, ita quoque aliis, ut sunt hec: *rettulit*, *rennuit*, *relligio*, *relliquiae* et, sicut vult *Brito*, etiam usus tenet *comesso*, *as* et sua verbalia multociens apponuntur.

Tamen, ut *Huguitio* dicit, quod *comesso* et invenire, a s assumunt, sicut *Brito* recitat, asserere non auderem opere suo oppositum continente. *Nota super hoc muso quin s ducet sibi musso, sed tamen in musito simplex tantummodo pono.*

4) De vocabulo *Compes.*

*Compes* secundum *Priscianum* et breviter omnes tractatores grammaticae et poetas femininum est. Unde *Juvenalis* (Sat. XI, 80.): *Equalibet in magna* (*squalidas* editt.) *fastidit compede fossor.* Unde non credere possum satis, quod *Hieronimus Trenorum tertio* posuerit *masculine,* maxime cum libri veteres ibi discordent, quibusdam „*conpedem meum*" (v. 7.) habentibus et quibusdam „*compedem meam.*" De hoc sic *Doctrinale:* „*Es brevis hoc ponit seges et teges hec sociabit Et compes, triplicat pes cetera quae tibi format, praeter apes vel apis utrumque quidem bene dicis.*" Cum hoc, quod dicit *triplicat pes ceteraque tibi formant,* non videtur *Huguitio,* qui *antepes, antipedis* et *circumpes, dis* composita a *pes* vult esse, ut videtur, *masculina* tantum, de quorum significatione secundum librum meum nescio quid *Britonis* codex habuerit. Sic *Huguitio* dicit: *Antepedes sunt obsequia amicorum vel ipsi antiqui* (leg. *amici*) *obsequentes; circumpedes obsequia servorum vel ipsi servi obsequentes. Papias* idem sentit, sic dicens: *Antepedes obsequia amicorum, circumpedes servorum.* Vides, quomodo uterque inter dictiones has distinguit et quid significent, luculenter ostendit, nullam de *sandaliis,* quae *Brito* de *glosa interlineari Ecclesiastici quadrigesimo 7mo* assumenda credidit, faciens mentionem. Et quidem recte. Nam neque *circumpedes* sunt unquam *sandalia,* neque ipsa dans, nisi fallor, nimium, usque est in *Biblia* et *Interlinearis* praemissa notatur duplici falsitate, quae tria ne videri possint frivola vel temeraria discurrenda. De primo, quod scilicet *circumpedes* aliud sit, quam *sandalia* supra satis ostensum est; secundum, scilicet, quod *circumpedes* non sit de textu, prodit similiter sensus superius ei datus, de quo nec intendit, nec loquitur scriptura *Ecclesiastici quadragesimo 7mo,* aliquo loco tantummodo eis est praesumcio, qui nomen ipsum novis bibliis imposuerunt. Loquitur autem ibi scriptura de sacris vestimentis pontificum et sacerdotum Hebreorum, quale est de *circumpedibus,* de quo plenius statim dicitur, pro cujus plurali moderni *circumpedes* posuerunt. De falsitate *Interlinearis,* quod tertium est, patet, quoad hoc, quod dicit *circumpedes* esse *sandalia,* cum illud tibi supra sit expositum et insuper, quoad hoc superponit falsum, quod usus sandaliorum divitibus (leg. *Levitibus* ?) et sacerdotibus Judaicis fuerit ab antiquo, qui potius exemplum Moisi, ut Judei dicunt, ingressi templum terram illam sanctam nudo pedis vestigio contigerunt et ideo inter indumenta ipsorum, quae beatus *Hieronimus ad Fabiolam, magister in historiis, Isidorus ethimologiarum decimo nono* recitant, *calciamenta* minime memorantur. Pontifices autem evangelici sandaliorum usum creduntur ab apostolis accepisse. *Circumpedilis* igitur mihi videtur fuisse illa subucula vel camisia, quae Hebraice *chroneth* i. e. grece *poderis* appellatur, de qua sic *Isidorus ethimologiarum decimo nono* (cap. 21.) „*Poderis est vestis linea sacerdotalis corpori astricta et usque ad pedes descendens, unde et nuncupatum est, quam vulgo camisiam vocant.*" *Chroneth* sub duabus, ut Judei proferunt, posui sillabis, quod quidam nostrum *choreneth* sub tribus sillabis posuerunt. Si quis forte contendere voluerit, circumpedile posse dici tunicam talarem totam iacintinam, cum talus pars pedis sit, in quo *circumpedilis* nominatur, quam tunicam Hebrei *mahil* vocant, semper a quolibet discere paratus sum, maxime cum rabinus commentator *Ecclesiastici* dicens, quod vestis sacerdotalis sit, non exprimat, *quae* vel *qualis; poderis,* quod praetactum est, grecum est, derivatum a Greco *podos,* cujus rectus et secundum sonum scripturarum est *pus* per *oy* diptongon scriptum, non *pes,* ut Latini dicunt, et est idem, quod *pes;* secundum grecum producit

mediam, quam tamen corripit noster usus et similiter sic de frenensis (?). Pro ea, quae jam dixi, patet *Isidori* intentio de nominis hujus *podoris* inpositione; conpositio communis hujus *circumpedilis* ex ipso sono patet et habere vult in penultima accentum Ecce *compes*, *circumpes*, *antepedes*, *circumpedilis* et *poderis* prolixe satis et laboriose tacta sunt; sed utinam satis bene!

---

## IV.
## Glossaria Latina.

### a) Codices Giss. Nr. XLIII. XLIV. et XLV. quum inter se, tum cum *Vocabulario Guarini Veronensis* ed. Basil. 1480. collati.

Horum trium codicum is, qui in *Catal. Adrian.* Nr. XLIV. est:

#### α) Cod. Giss. Nr. XLIV.
B. G. XV. 14 a. fol.

hoc modo describitur:

*„Codex chartaceus saec. XV. finientis, in duas columnas divisus, litteris initialibus miniatis, foll. 330., quorum 1. et 328—330. scriptura vacant. Titulus: Lexicon latinum. — Pertingit nonnisi ad primam partem litterae I et a Guarini vocabulario multis in locis discrepat. Fuit olim Capituli eccl. S. Marci in Butzbach.“*

sic cum *Guarini Vocabulario* (ed. Basil. 1480. fol.) consentit, ut equidem non dubitem, quin utrumque vocabularium ex eodem fonte haustum sit unoque hoc utrumque differat, quod Gissense exemplum plenius est, quam Guarini Vocabularium. Quare maxime dolendum est, quod nescio quo casu non integrum illud vocabularium in cod. Giss. extat, sed tantum usque ad literae *I* vocabulum *Inanthea* pertinet. Non minus cum Guarini vocabulario consentit cod. Giss. Nr. XLIII., quem Adrian. in Catal. his verbis descripsit:

#### β) Cod. Giss. Nr. XLIII.
B. G. (3.) 36. fol.

*„Codex chartaceus a. 1460. scriptus, literis initialibus aut vario colore pictis aut plane omissis, ligatura antiqua ornamentis ex auri chalco factis munita, foll. 360., quorum 1. 300 b. et 358 b.—360. scriptura vacant. Continetur Glossarium latinum. Titulus non apparet. — Explicit Amen CCCCLX. Fol. 2 a. in marg. H. C. de Senkenberg haec adscripsit: Eductum hoc opus est potissimume spissis voluminibus Papiae, Britonis, Alani.“*

Hujus codicis Nr. XLIII. fratrem natu majorem ex eodem plane fonte iisdem verbis descriptum perspexi codicem Giss. Nr. XLII., quem Adrianus sic descripsit:

#### γ) Cod. Giss. Nr. XLII.
B. G. XVI. 67. 4.

*„Codex chartaceus a. 1435. negligenter exaratus, in duas columnas scissus, crebris vocum compendiis, foll. 325., quorum 1. et 323 a. vacua sunt. Continetur Glossarium Latinum. — Explicit: Amen. Subscr. Finito a. d. MCCCCXXXV. domin. jud. post laetare. Explicit hoc totum infunde da mihi potum. — F. 1 b.: Liber s. marci in Butzbach.“*

Est tamen uterque codex et XLIII. et XLII. multo brevior, quam codex XLIV., unde etiam propius ad *Guarini Vocabularium* accedit.

Communis autem horum trium codd., quorum XLIII. codicis XLII. potest haberi apographum, cum *Guarini Vocabulario* fons eo quoque probari potest, quod in iisdem fere subsidiis grammaticis nituntur. Sunt autem scriptores, quibus auctor Glossarii Giss. Nr. XLIV. usus est, hi: *Isidorus, Huguicio, Papyas;* codicis Giss. Nr. XLIII. *Isidorus, Papias, Brito, Alanus; Guarini Veronensis* fontes sunt *Isidorus, Papias, Brito, Alanus,* de quibus grammaticis vid. *Praefat. in Dufresne* Glossar. med. et inf. latin. In cod. Giss. Nr. XLIV. Latina vocabula interdum *Germanice* vertuntur, eo sermone, qui est saec. XV mi. Incipit codex XLIV. „*A secundum Isydorum in omnibus linguis prior est, quia ipsa nascentium oratio aperit,*" *de quo dicitur in historiis masculus* cet., ut apud *Guarin.* Explicit: *Inanthea est adverbium in vorbass.*

Sed ut utriusque codicis et XLIV. et XLIII. ratio, quae cum *Guarini Vocabulario* invenitur, accuratius cognoscatur, exempla nonnulla per comparationem ex utroque codice afferamus. Sunt autem secundum ordinem codicis XLIV. haec:

Cod. XLIV. *Alnus* f. s. est nomen arboris, *eyn yrle,* dicitur ab *alo, is,* quia alitur, i. e. nutritur. Inde *alnetum,* et est locus, ubi crescit *alnus.* Inde etiam *almnus* proprie *yrlen.*

Cod. XLIII. *Alnus* est nomen cujusdam arboris. Inde *alnetum* et est locus, ubi crescunt alni.

Cod. XLIII. *Alloquor,* eris, i. e. ad aliquem loqui. Inde *alloquium* i. e. *allocutio.* (Deest ap. *Guarin.* et in cod. Giss. XLIV.)

Cod. XLIV. *Alo,* ui, itum vel *altum* a. t. i. e. nutrio, *neren,* add' *foten.* Inde *alitus,* a, um et *altus* et *alitor* vel *altor* et *altilis* et *ala, alimentum* et *alumpnus, ales* et multa alia. Unde illa sunt synonyma (*Johann de Garland.* Synon. v. 142. ap. Leyser hist. poet. et poem. med. aev. p. 318.): *Nutrit, fomentat, reficit, fovet et vocillat, Pascit, alit servus his omnibus conbenit idem.* Item *educat et faciat escis ventrem bene replet, Hinc alimentum deducitur ac nutrimentum Fomentumque comes fomam sed alimentum.* Sed *alo, avi, atum* a. p. significat brachia extendere ad modum alarum causa pigritie vel pravitatis, ut quando aliquis surgit a sumpno et extendit brachia sua ad sumpni inercercitiam removendam. Versus: *Oscitat ore citans alas quoque cum factis alas.* Etiam *alare* dicitur spiritum emittere. Inde *exalare,* et ambo sunt neutra. Etiam idem est, quod redolere. Inde venit *alatus, ui,* i. e. odor.

Cod. XLIII. *Alo,* is i. e. nutrire. (Apud *Guarin.* deest hic articulus.)

Cod. XLIV. *Aloa,* e. f. g. est arbor odoris suavissimi, secundum *Papyam,* quae in India nascitur et ligna ejus vice thymeamatis in altaribus adolentur. Unde et nomen trahisset creditur. Item secundum *Papyam* et *Ysidorum aloes* est herba suavissimi succi et constringitur succus ille ad modum picis et fere est hiusdem caloris et est valde medicinalis et potest declinare *hec aloe, hujus aloes* vel *hec aloa,* ut dicit *Brito;* secundum autem *Huguicionem aloes* sumitur pro quodam unguento amarissimo facto ab alaa.

Cod. XLIII. *Alloa,* e. f. g. est arbor odoris suavissimi, secundum *Papiam,* quae in India nascitur et lignum ejus loco thymeamatis vel in altaribus adoletur, unde et nomen traxisse creditur. *Alloe* secundum aliquos est herba amarissimi succi et constringitur succus ille ad modum piscis et ejusdem coloris cum pisce et est valde medicinalis et secundum aliquos iste succus vel unguentum potest etiam dici *cosce penthecostes* vel *aloes, aloe,* ut *anchises, e.*

Cod. XLIV. *Alobastrites,* tis m. t. dicitur lapis candidus, intinctus variis coloribus. (Convenit Cod. XLIII., sed deest articulus ap. *Guarin.*)

Cod. XLIV. *Alobastrum,* n. s. dicitur vas unguentarium. Inde factum alio nomine *alabastrum.*" (Deest articulus ap. *Guarin.*)

In eod. cod. s. v. *Alabastrum* haec glossa extat:

*Alabastrum* n. s. dicitur unguentum piscis de alabastro et sd. dicitur in hystoria. Item est genus marmorei candidum et lucidum variis coloribus intermixtum, quo incorrupta servantur unguenta. Unde secundum *magistrum* in *hystoria* similis modus loquendi est, cum dicitur alabastrum unguenti, sed cum dicitur ciphus vini, ciphus lactis. Item alabastrum unguentum nardi i. e. pixis de alabastro plena unguento nardi, de quo dicitur infra ubi *nardus*.

Cod. XLIII. *Alabastrum* dicitur lapis praeciosus et est genus marmory, candidum et lucidum, variis coloribus intermixtum. Et quandoque dicitur pixis de hujusmodi lapide praecioso, in quo servantur unguenta incorrupta.

(De eodem vocabulo *M. Johannes Heldensis* in *Speculo grammaticalium dictionum* haec habet:

*Alabastrum* sine dyptongo debet semper scribi et dici et non sic: *alabaustrum.* Super quo nullum omnino dubium est habendum, cum libri veteres communiter id ostendant et genus hoc marmoris Rome notissimum sit et nomen ejus ibi publico sermone teratur.)

Cod. XLIV. *Alabaster* m. s. est lapis, *eyn mermelsteyn.*

Cod. XLIII. *Alabaster* vel *alabastes*, tis in eodem sensu dicitur lapis praeciosus, qui et *alabastrum* dicitur.

Cod. XLIV. *Alonge* est ad ī quod a rc̄otis vō verre (haec compendia non intelligo. In cod. XLIII. et ap. *Guarin.* deest hic articulus.).

Cod. XLIV. *Alopacia,* cie f. p. al. grece *alapace, cis,* idem est quod *aliena passio, quae ab alio nutritur.* (Deest articulus in cod. XLIII. et ap. *Guarin.*)

Cod. XLIV. *Alopus* m. s. est qui propter mercedem patitur alapas. (Deest in cod. XLIII. et ap. *Guarin.*)

Cod. XLIV. *Alpago,* as, are a. p. idem quod scalpo vel effodio. Inde *alpagus* m. s. i. e. scalpens, *eyn crawet.* (Deest articulus apud *Guarin.* et in cod. XLIII.)

### b) Glossarium Essendiense.

#### Cod. Giss. Nr. XLV.

B. S. Ms. 146 a. fol. min.

*„Codex membranaceus saec. XIV., lineis stilo ductis, cum notis inter lineas et in margine adscriptis, foll. 28., quorum 27. et 28. vacua sunt; praeter haec ab initio libri folia 5., et in fine 35., quae chartacea sunt, scriptura vacant. Continetur: „Glossarium Latino-Germanicum vulgo Essendiense ex Carthusia Erffordiensi.“ Ita titulus manu Senkenbergii scriptus. — Fol. 28. haec adscripta sunt: Carthus. Erfford. Senkenbergius hunc librum ex bibliotheca Kraftiana Ulmensi a. 1742. 10 florenis comparavit, ut ipse fol. 2 a. adnotat. Long. 8" 11"'. Lat. 6" 3"'.* Adrian.

Est hoc Glossarium, quod unde *vulgo Essendiense* vocatum dixerit Vir Cl. *Senkenberg,* ignorare me fateor, copiosissimum ac nondum, quod sciam, editum, tribus partibus constans, quarum prima maximam partem codicis complectitur, altera *herbarium* continet, tertia *breve glossariolum,* non ultra literam *A* pertinens et desinens in voce *Agellarius.* In *prima* et *secunda parte* plerumque *interpretatio Germanica* idiomate *inferioris Germaniae* scripta (*Niederdeutsche Mundart*) additur, quod ubi non factum est, *latina interpretatio* vocabulorum reperitur, id quod tum factum videtur, cum auctori, ut fit in Glossariis, *Germanica* vox non in promptu esset. Permulta autem hoc Glossarium partim ex *antiquioribus glossariis,* ut *Festi* et *Placidi* haustum, partim e *medii aevi* scriptoribus, ad augendam copiam verborum Latinorum, inprimis *medii aevi* confert,

quum permagnus numerus vocabulorum in eo extet, quae neque apud *Dufrenium* in *Glossar. med. et infim. lat.*, neque alibi me legere meminerim. Dolendum est autem, quod in tanta rerum ubertate multis interpolationibus praeditum videtur; permulta enim vocabula a *sec. man.* erasa sunt in eorumque locum alia substituta, multa etiam vel *supra versus* vel *intra* eos a *rec. man.* addita sic, ut interdum valde sit difficile *genuina* ab *spuriis* s. *interposititiis* discernere. Sed ut suum sit cujusque de interno hujus Glossarii pretio judicium, nos literarum *H* et *T* vocabula integra hic repetamus:

Habena, cathena, ham.
habitus, ghewade vel wesen.
habilis, hebbelich.
habitudo, hebbelichkeyt.
habitare, wonen.
habitaculum, wōnīghe.
hactenus, hereto.
hamus, angel.
hamare, angelen.
hasta, sper; hastile idem.
haurire, pucten.
haustus, ut drūckinge.
hastillus (leg. haustillus) idem.
hostorium, pucke.
hebes, stum.
hebescere vel hebitare idem.
hebere, plumpen.
hebitudo, stumhet.
hebanus (leg. hebenus), eyn bom.
herba, crut, herbosus idem, cruelich.
herbidus, cruelich.
heres, erfmane.
hereditare, eruen.
hereditatio, eruīghe.
hereditas, erue.
herus, here; hera, wiwe.
herilia, herscap.
herilis, herlido.
herere, anhanghen.
hernus, helle, herebus idem.

(A recentiore manu col. 1. extrema pagina haec addita sunt:

*hastiludium*, torney, *heredium*, predium; *hemisperium* d' idīn spere; *halitus* est flatus, *alitus*, nutritus, herz.

Sequebantur olim plura, quae erasa sunt; initio col. 2. duo vocabula extant, quae non amplius legi possunt.)

hesitare, twinele.
heremus, westenye.
hermita, heremite.
hermicula (num heremicola?) idem.
heresis est divisio ab unitate fidei.
hereticus, keckere.
heremonium (legere non potui voc. German.)
heredius, valke.
heres, edelkint.
herva, vede.
herbarium, cruthof.
herbare, cruden.
heu, leder.
hesternus dies vel cibus ab heri servatus.
hesperus, avent steree.
hircus, bock, hircosus fecunditas,
hyare, ho ienen.
hyatus, yanīcghē, hiberus, riner.
hyemps, winter.
hyemare, wintern.
hyemalis, winterlich.
hybernia, eyn lant.
hylarare, vorbliden.
hylarescere, idem.
hylaris, blide.
hylaritas, blidscap.
hyrudo, yle.
hyrundo, swale.
hyrtos, busch.
hirtinus, buskich.
himare (leg. himnare) loven.
himnus, lof.
hinnire, neggen.
hinnitus, clamor equorum.
hinnulus, re.
hypomores, vemin.
hyronia, herscap.
hyrsutus rw.
hispidus, asper, hirsutus, fecosus.
hyruta (leg. hyrnita), worst.
hylum, pit vā weden.
hystoriographus, hystorienmaker.

histrio, boue.
hodierdus, winharden.
holfacere, ruken.
holfactus, rocke.
holocaustum, offerhande.
homicidium, dotslach.
homicida, mordere.
homo vel homunculus, mensche.
honor, ere, honestus, erich.
honorare, honorificare, honestare, eren.
horologium, horleyge.
horrere, eysen, horescere idem.
horror, eysinghe.
horridus, eynselich.
hora, stunde vel landscap vel vertelheyt.
horula, stundeken.
horacium, cleyderzom.
hortari, trosten vel toharden vel vormanen.
hortacio vel hortamen, trost vel rob'dige.
hospes, gast vel wert.
hospita, werdinne.
hospitare, herberghen.
horstire (leg. hostire), ghelicken.
hostamentum (leg. hostim.), ghelickenisse.
hostis, viant, hostilis, viantlick.
hosticia, vient clagher.
hostia, offerhande.
hostium vel hostitium (leg. hostiolum), dor.
hostiarius vel hostiator, dorwechter.
hospitarius, herbergher.
hosporium, schepel streh.
humus, terra, vel humescere (haec linea deleta sunt) humare, grauen.
humere vel humescere, wohlrighen.
humidare vel humectare idem.
humidus vel humosus, humectus wchcrh.
humiliare, demodeghen.
humilitas vel humiliacio, demodichheyt.
humerillus, quod extremitati axis infligetur.
humanitas, menscheyt.
humanare, menschlic wesen.
humerus, assele.
humulus, hoppen vel vr, ignis.
humus, terra humida et caret pluralitate.

## Litera *T*.

Tabellio, publicus notarius.
tabore, wulen.
tabescere, idem.
tabes, wl.
tabidus, idem.
tabescere, untreynen.
tabernaculum, rente vel tinne.
tabor, berch.
taberne, tauerne.
tabernarius, tauerner.
tabernio idem, tabella, tafle.
tacitare, swighen.
tacitus, stille.
taciturnitas, stilheyt.
taciturnum, idem.
tafidus, ghelouich.
thalamus, bette, camer.
thalamista, carmerlinc.
talus, enkel vel dobelsten.
talentum, ghewechte.
talio, recht, lon.

Infra lineam i. e. in extrema pagina haec a rec. man. addita sunt:

---

talaris vestis, quod ad talos descendat.
talassum i. e. mare.
talio, ejusdem rei recompensacio.
taminare, adversari.
tantillus vel tantulus ambodimi modicus.
tardare, morare, differre.
taxillus ꝑmus rasus.

---

talpa, mol vel wendeworp.
tamillus, cleyne.
taminare, adversare.
tanendera, alleyne.
tantisper, eyn enclich.
thanatos, mortalis.
tapetum, tapit.
tarsis civitas, de qua natus est paulus.
thartarus, helle.
thartareus, helligh.
tarea, eyn cleyt.
taratantara, eyn sone.
tarmes, made.
tarmosus, madich.
tanrea, gille.
taxus, danne vel eghil.
taxatus, licitum, impositus.
taxare, wdeghin vel dn̄ghen.

taxatio, prouinge.
teatrum, spilhus.
tedet, et vordretet.
tedium, vordret.
tediosus, vordretich.
tectorius, bedeckich.
tegere, decken.
tegmen, dac.
tegimen, idem; *tegerium* vel *tugurium*, parva domus pro pluvio.
tegumentum, hemelichkeyt.
tegnus, wekerekenen.
tegustus vel teguosus idem.
tegna, ne, fraus, deceptio.
telum, scot.
tela, sbale.
telo ossis, sorhake.
telare, longare, differre.
teolonium, tol.
teolonarius, tolner.
telarium, weverhus.
telum, dolor, lacerus.
thema, materie.
temerare, dwasen.
temerarius, dwas vel fictor.
temere, dumlike.

Infra lineam in extrema pag. a rec. man.

*temeraritas*, vormetenheyt.
*tegula*, sacte.
*tellus*, luris, terra.
*temerare*, loghethaftighen, supra lineam.

temeraritas, dwasheyt.
temo, wagendistel vlstr roder.
tempnere, vorsman.
temetum, vinum optimum.
temolentus, drunken.
tempestivus, tidich, tempestus, idem.
tempestas, unweder.
tempestuosus, unwederlich.
temporare, menghen.
temperantia, mericher (hoc voc. est in loc. ras.).
temptare, betoren.
temptacio, betoringhe.
temptamentum, idem.
templarius, templere.
temulentia, drunkenheyt.

Exempla alterius vocabularii ejusdem codicis.

Abactus tantum i. e. fugatus, seperitus.
abamita, soror avi.
abatos, secret vel mensurator.
abduco, cis, i. e. separo vel distraho.
abesus, ubique comesus.
abgregare, dissociare.
abietarius, carpentarius.
abiges, fur pecoris.
abigeus, i. e. abactor.
abigo, separare ab intestato i. e. sine testacione.
abicio, nis, recessio.
abjuro, i. e. abnego.
ablactacio n. lacte removeo in. ablacto.
abligurio i. e. devastare vel lambo.
ablucracio, lucis alienacio.
abluces, ium i. e. loca, aqua plena.

Pertinet usque ad *agellarius*.

## c) Fragmentum Glossarii Heyeriani.

Nuper quum in disponendis iis versabar, quae ad hoc opusculum pertinerent, attulit ad me discipulus quidam meus, cujus mentem animumque non frustra ad antiquitatis studia advertissem, *Heyerus*, filius Professoris rerum forestium in nostra academia, adolescens optimae spei secundo gymnasii Gissensis ordini adscriptus *reliquias quasdam glossarii latini*, quas involucro libri cujusdam agglutinatas repererat, quas, ne quid periret, quod ad plenissimum *Medii aevi Glossarium* aliquando conficiendum aliquid conferre posse videretur, hoc loco colligendas putavi.

Execramur. detestamur. abhominamur.
Execratur. detestatur. horret.
Execratus. abhominatus. injuriis affectus.

Inter autem execrationem et jurationem hoc est, quod execratio in malo: juratio vero in bono pronunciatur, ut si

dicamus cum execratione: Si hoc fecisti, sic male tibi eveniat: cum juratione sic: Sicut ego bona intentione hoc feci, sic me adjuvet deus.
Executor. causarum prosecutor.
Executor. ab exequendo dicitur.
Exactores. vel effractores vocantur.
Expugnatores causarum claustralium.
Exesus. macer. macilentus.
Exedra. vehiculum. basterna.
Exedra. vel absida. subselliorum locus.
Exegit. extraxit. extorsit. ademit.
Exegit. exturbavit. exposuit.
Exegit. privavit. exspoliavit.
Exegit. orbavit. abstulit. eripuit.
Exegit. expraessit. expugnavit.
Exegit. consumpsit. alienavit.
Exemplabile est, quod alicujus exempli....
Exicium. labor. infelicitas.
Exicium. casus adversus.
Exicium. pestilentia. lues.
Exicium. contagio. morbus.
Exiit. evasit. effugit. abiit.
Exiit. evolavit. elapsus est.
Exiit. emersit. ereptus est.
Exiit. exilivit. emissus est.
Exiit. egressus est. profectus est.
Exiit. perrexit. discessit.
Exiit. iter intendit. cessit.
Exit. egreditur. proficiscitur.
Exit. iter facit. gressum dirigit.
Exlaudat. extra debitum laudat.
Exmanat. emanat. procedit.
Exobliquo. excontrario. exadverso.
Exoptatio. ardens desiderium.
Exoptato. ex voluntate. ex sententia.
Exoleseens. affluens. habundans.
Exolevit. a memoria cessavit.
Exolevit. evanuit. deletum est.
Exoletus. turpis. infamis.
Exoletus. vanus. dissolutus.
Exolevit. corruptus est. interiit.

## b) POETAE.

### α) CLASSICI.

### I.
### Quinti Sereni liber medicinalis.

Cod. Giss. Nr. LXXI.

B. G. (3.) 26. 4.

„*Codex chartaceus saec. XVI., foll. 20., quorum 1. et 20. scriptura vacant. Continetur: Quinti Sereni liber medicinalis. Ita titulus. Incip. (M) embrorum series recto deducta tenore Ut stet; consimilis medicine defluat ordo. Explic. Apponisque super pellit medicina dolorem. Subscr. Liber medicinalis quinti sereni finit. — Cfr. St. Endlicher [l. c. i. e. Catal. codd. philol. bibl. Vindobon.] p. 185.*" Adrian.

Hunc codicem, quem cum edit. Q. Sereni Ackermanniana (Lips. 1786. 8.) contuli, ita cum ed. Lipsiensi a. 1515. et Venet. 1588., quantum e tenuissimo editionis Ackermannianae apparatu critico perspicere potui, consentit, ut, si integram harum editionum, quae mihi non praesto fuerunt, comparationem instituere potuissem, facile effici potuisse putarem, codieem Gissensem totum cum illis editt. convenire, sic, ut ex eadem familia codicum esse videatur, unde istae duae editt. sunt expressae. Nam non solum toto orationis habitu, sed etiam versuum ordine, in diversis editt. valde discrepante, plerumque cum iis convenit. Quae in editione Ackermann. ad calcem libri e cod. *Aldino* afferuntur, in cod. *Giss.* non extant. Haec quum ita sint, pauca ego tantum exempla variarum

lectt. ex hoc cod. in appendice critica attuli, ut, quibus illarum editionum inspiciendi facultas esset, haberent, quo certum judicium vel similitudinis vel dissimilitudinis facerent. Quam rationem noster cod. cum cod. quodam Turicensi saeculi IX. vel X. habeat, quem cum *ed. princ.* contulit *Reuss Lectt. Samonicarum* P. I. 22. S. gr. 4. Progr. Würzburg 1837. nescio, quum hujus libelli famam tantum acceperim, non usum.

---

## II.
## Codices Virgiliani.

### 1) P. Virgilii Maronis Bucolica, Georgicorum libri IV et Aeneidos libri XII.

Cod. Giss. Nr. LXIII.

B. G. (3.) 22. fol. min.

*„Codex membranaceus pulcherrimae membranae saec. XV. ineunte elegantissime in Italia exaratus et optime conservatus, inscriptionibus rubris, literis singulorum librorum initialibus inauratis et variis coloribus, inprimis praeciosissimo illo caeruleo, pictis, margine fol. 2 a. et 48 a. vario colore ornata, lineis subtili atramento ductis. Constat fol. 196. eorumque octona semper juncta, et custodes in fine ultimae cujusque quaternionis paginae adscripti sunt. Fol. 1. vacuum est. Continentur: a. fol. 2—14. P. Virgilii Maronis Bucolica. Inscr. P. Virgilii Maronis Bucolicon incipit feliciter. Melibeus. Ecloga prima. — Ecl. I. v. 18. deest. — b. fol. 14 b. — 47. P. Virgilii Georgicon libri IV. Inscr. Incipit liber Georgicorum Virgilii Maronis. Singulis libris praemittuntur illa tetrasticha „Ovidii versus" dicta, quae habes in Burmanni Anthol. II. p. 374. seqq. — c. fol. 48—196. P. Virgilii Maronis Aeneidos libri XII. Inscr. nulla. Libris II—XII. praemittuntur decasticha scholastica ap. Burman. II. p. 377. Subscr. fol. 105 b.: Explicit liber Virgilii eneidos. Deo gratias amen. — Fol. 196 a. adscripti sunt „De Aeneide, veteris scholasticae poetae versus, sub nomine Augusti Caesaris," quos habes apud Burmann. II. p. 357. seqq. — Fol. 196 b. quatuor illi priores versus: Ille ego, qui quondam etc. adjecti sunt et notatum, quod in principio Aeneidos poni soleant. — Cfr. Bibl. Uffenbach. MS. P. IV. p. 222. et A. Boehm Diss. de libris quibusdam rarioribus Bibl. Giss. 1771. 4. p. 7—11. Long. 9". Lat. 7" 3"'. — Fuit hic codex in bibliotheca Danielis Maini, postea pertinuit ad Uffenbachium, denique ad J. H. Majum fil., a quo eum accepit Academia Gissensis."* ADRIAN.

In summa externi hujus codicis habitus praestantia dolendum est, quod nullis plane virtutibus internis nitere videtur, quam meam sententiam ut testimoniis confirmarem, exempli loco singulorum Virgilii carminum, quae in hoc codice extant, paucas varias lectt. ad edit. Joh. Christ. Jahn Lips. ap. B. G. Teubner 1825. 8. enotatas in append. crit. dedi, ut ex ungue, ut ajunt, leonem! Multis enim interpolationibus et glossematis et inutilibus emendationibus praeditus est. Codicum familiam, cui noster esset adnumerandus, ne per Heynianam quidem editionem indagare potui, quippe quae non integrum singulorum codd. apparatum criticum, sed selectas tantum varietates lectionis habeat.

### 2) P. Virgilii Maronis Eclogae et Catalecta Virgiliana.

Cod. Giss. Nr. LXIV.

B. S. Ms. 230. fol.

*„Codex chartaceus saec. XVII., rubris plerumque initialibus et inscriptionibus, crebris vocum compendiis, cum glossis interlinearibus et multis [a recentissima quadam manu]*

*in margine notatis. Numerus foliorum est 148., quorum 16 b. 17—21. 60 a. 126 b. 127—129 a. et 148 b. vacua sunt. Continentur: a. fol. 1—16 a. P. Virgilii Maronis Eclogae. Incip. (Eclog. 1. v. 51.) Nec mala vicini pecoris contagia laedent. Explic. (Eclog. 10. v. 77.) Ite domum sature, venit hesperus ite capelle. P. Virgilii Maronis Bucolic. fin. — b. fol. 22—53 a. Horatii Epistolarum libri II. — Habet hic codex annum 1602. — c. fol. 53 b.—59. Catalecta Virgiliana. Hortulus. Carmen de se ipso et Homero. Carmen de vino et Venere. De viro bono et sapienti, cetera. Catal. ed. Ald. 1517. fol. 68. seqq. — d. fol. 60—126. D. Junii Juvenalis Satirae. — Explic. (Sat. XIV. v. 77.) Vultur cet. — Fol. 60 b. Notata de metris. — Fol. 61 a. Argumenta Satyrar. Incip. Carmine praestanti construxit opus Juvenalis. — e. fol. 130—137 a. Bernhardus de contemptu mundi amoris. Incip. Martula [potius Cartula] nostra tibi mandet dilecte salutem etc. Explic. Hoc tibi det munus qui regnat trinus et unus. — Cfr. P. Leyseri Historia poet. et poem. med. aevi Hal. 1721. p. 421. seqq. [In fine carminis Bernhardi extat haec subscriptio: zcflxxxvi lipczk i. e., opinor, 1486 Lipsiae.] — f. fol. 137 b.—138. Carmen quarundam nobilium quaestionum. Incip. Quis regit, rex est. Explic. Sive virendo [vid. infra β. Nr. XIII. et XIV.]. — g. fol. 139—148 a. Horatii F. de arte poetica. Incip. Humano capiti etc. Explic. v. 476. Non misura cutem nisi plena cruoris hirudo. Sequuntur notae variae de vita etc. Horatii. In fine annus 1661. adscriptus est. Inter fol. 59. et 60. inserta sunt haec typis descripta: Juvenalis Anto. Manci. Domicius. Geor. Val. Argumenta Satyr. Juvenalis per Antonium Mancinellum. Prima docet Satyrae causas formamque libelli etc. In fine: Nurnberge impressum est hoc Juvenalis opus cum tribus Commentis per Antonium Koberger. MCCCCXCVII. die vero VI. decembris. V. Panzer, Annal. typ. II. 224. — Satyr. I—VI. adscripsit vir quidam eruditus notas et emendationes."* ADRIAN.

Maxime dolendum est, quod ea pars codicis, quae Virgilii Eclogas ab I, 51. *Nec mala vicini* cet. usque ad X, 77. *Ite domum satirae* cum *Catalectis Virgilianis* 1) *Hortulus*, 2) carmen *de se ipso et Homero*, 3) *de vino et Venere*, 4) carmen *de viro bono et sapiente*, 5) *de Est et Non est*, 6) *de Orpheo* continet, quibus duo alia carmina satirica medii aevi addita sunt, de quibus vid. β. nr. XIII. et XIV., nihil plane habet, quod ad haec carmina emendanda aliquid conferat. Scatet enim variis vitiis, quarum sordium pauca exempla in append. crit. non tam utendi, quam deterrendi causa attulimus. *Catalecta Virgiliana* integra reperiuntur in edit. Virgil. *Basil.* 1613. fol. ed. *Lucius* et apud *Scaliger. Catal. poet.* Carmen de *Est* et *Non est* extat in editt. *Ausonii* Idyll. XVII. Cfr. *Endlicher* Catal. codd. philol. bibl. Vindobon. Nr. CXXXI. VI. et VII.

---

## III.

## Horatii Epistolarum libri II. (ab lib. I. init. usque ad l. II, 2. 116.) et Horatii Flacci de arte poetica.

### Cod. Giss. Nr. LXIV.

B. S. Ms. 230. fol.

Idem judicium, quod modo de exemplis Mss. *Virgilii* tulimus, cadit etiam in ejusdem codicis partem eam, quae duo ista *Horatii* opera continet, quae modo nominavimus, in quibus nihil prorsus est, quod ullam utilitatem criticam afferat. Prior pars *Epistolarum Horatii*, quae extat fol. 22—53 a. ab init. libri I. usque ad lib. II. ep. 2. v. 216., subscriptionem habet anni 1602., altera, quae *Artem poeticam* complectitur a fol. 139—148 a.

anni 1661. Ad calcem *Epistolarum* reperitur *carmen latinum*, quod praefixum habet nomen Graecis literis scriptum *Λαυρενζηος Βραυκζ*. Habet autem carmen sic:

*„Jam censura gravis hic castigavit ad unguem*
*Crispantes nasos, tutus adire queo;*
*Nam si me vicio quisquam labefecerat ullo,*
*Id mihi jam censor sedulus eripuit.*
*Omnipotens, pro quo deus olim praemia donet*
*Extremis faciat vivere temporibus."*

Post hoc carmen sequitur *fragmentum epistolae cujusdam Joannis Honorii Crispi Cubitensis ad Mattheum Lupinum*, cujus etiam sunt notae ad Horatium et in margine et supra versus adscriptae. Habet autem epistola sic:

Johannes Honorius Crispus Cubitensis Mattheo Lupino S. S. P. D.

*„Superioribus diebus quibusdam adolescentibus studiosis rogatus, ut epistolas Horatii lectione quottidiana interpraetarer, ne desiderium eorum frustrarer, promisi me facturum, quod vellent. Quapropter quum id opus in plerisque locis ita depravatum esse viderem, ut, nisi ferveat lector aure vaporata, ut ait Persius, nihil ex falsa lectione colligi possit, confestim conveni impressorem et adhortatus sum, ut iterum illud inprimeret ea correctione, quam ad quendam . . . . ."*

Ex hac ego epistola suspicor, esse hoc exemplar epistolarum Horatii ab eodem illo viro docto *Joh. Honor. Crispo Cubitensi* correctum, quod prelo alicubi vel submissum est, vel submitteretur. Est autem idem exemplum, quod cum ed. Jahn. Lips. ap. Teubner 1824. contuli, tam depravatum, ut vix dignum videatur, cujus variae lectt. afferantur. Dedi tamen pauca exempla in append. crit., ut critici Horatiani ipsi facultatem judicandi haberent.

---

## IV.
## Codices Ovidiani.

### 1) P. Ovidii Nasonis Metamorphoseon fragmenta.

Cod. Giss. Nr. LXV.

B. G. (3). 61. fol. min.

*„Codex membranaceus saec. XII. exeunte eleganter exaratus, mutilus, litteris initialibus singulorum librorum et articulorum rubro pictis, illa autem libri II. auro et vario colore distincta, inscriptionibus rubris, foll. 36. Continentur: P. Ovidii Nasonis Metamorphoseon fragmenta. — Collecta sunt in hac cistula duorum codicum Metamorphoseon fragmenta, quae tegendis aliis libris serviebant. — Ceterum in hoc codice lectiones interdum memorabiles sunt."* Adrian.

Sunt hae Reliquiae duorum codd. membranaceorum saeculo XII. exeunte scriptorum, qui olim ab imperito bibliopega ad conglutinandos alios libros adhibiti sunt. Servantur autem hae reliquiae ab involucris librorum solutae in cistula quadam papyracea pressa charta purpurea obducta. (*Pappekästchen mit gepresstem rothen Papiere überzogen.*) Unius codicis reliquiae *nigriore* atramento scriptae sunt, quam alterius, cujus multa folia vel singulae paginae praeterea sic vetustate consumptae sunt, ut vix commode legi queant. In quo illud optimum est, quod non magnum damnum factum videtur, quoniam uterque codex valde interpolatus videtur, quum ubique fere *insolentiora* verba vel structurae cum *usitatioribus* commutatae reperiantur. Quod vitium quo melius cognoscatur, pauca ex utroque codice exempla separatim in append. crit. sec. edit. Burmann. enotata afferamus. Nam non recte Vir Cl. Adrianus in Catalog. singulos locos vel particulas,

quae in illis utriusque codicis reliquiis extant, singulorum librorum ordine enotatas inter se commiscuit. Quare nobis liceat accurate notare, *quae particulae* in *altero utro* codice extent.

Sunt autem codicis *nigriore atramento* scripti reliquiae hae:

l. III, 201 fol. a. 272—324 b. 463—504 a. 521—569 b. 591—683 b. 704. — l. IV, 1—3 a. l. IV, 25—60 b. 79—117 a. 137—174 b. 638—695 a. — l. V, 81—122 a. 140—180 b. 239—289 a. — l. IX, 125—174 a. 189—231 b. 357—405 a. 414—460 b. 764. — l. X, 1—13 a. 21—65 b. 186—242 a. 243—296 b. — l. XI, 490—547 a. 548—606 b. 665—721 b. 733—751 a. 793. — l. XII, 1—43 b. 44—96 a. 102—154 b. 160—213 a. 218—270 b. 286—331 a. 342—389 b. 390—451 a. 452—506 b. 507—561 a. 562—619 b.,

alterius *pallidiore atramento* scripti hae: l. I, 404—456 a. 457—507 b. 509—560 a. 561—612 b. 714—767 a. 768. — l. II, 1—24 b. — l. III, 497—548 a. 549—601 b. 602—654 a. 655—707 b. — l. IV, 482—533 a. 534—584 b. 585—636 a. 637—688 b. — l. V, 192—241 a. 242—292 b. 293—345 a. 346—398 b. 399—449 a. 450—501 b. — l. VI, 126—177 a. 178—230 b. 439—491 a. 492—544 b. 545—597 a. 598—650 b. — l. VII, 44—72 a. 75—125 b. 237—285 a. 290—335 b. 547—599 a. 600—652 b. — l. VIII, 609—657 a. 660—709. Codicum familiam neque per ed. *Burmann.*, nec per *Heinsianum apparatum criticum* indagare potui, cui noster codex adnumerandus esset.

## 2) P. Ovidii Nasonis Heroides.

### Cod. Giss. Nr. LXVI.

B. S. Ms. 133. 4.

*„Codex membranaceus saec. XIV. vergente litteris minutissimis non ineleganter exaratus, crebris vocum compendiis, litteris initialibus epistolarum et singulorum versuum rubro pictis, cum notis marginalibus et multis inter lineas eadem manu adscriptis. Folia, quae possessor libri numeris LVII. consignavit, sunt 58., cum fol. 20. numerare omitteret. Fol. primum et ultimum, a bibliopega adsuta, chartacea sunt et scriptura vacant. Continentur: P. Ovidii Nasonis Heroides. Incipitur: Hanc tua Penelope lento tibi mittit Ulixi etc. Explic. (Lib. XXI. v. 12.) „Quos vereor paucos ne velit esse mihi.“ Tum sequuntur haec quatuor disticha:*

*Si tamen, ut perhibes fugerem perjuria vite*
*Victis adhuc dubie perceret (parceret?) illa mihi;*
*At dea nec precibus poterit nec vulnere flecti*
*Ut que medear est mihi sola salus.*
*Nec etiam victe inest (interest?) curandoque negant (quandoque vegrande?)*
*Ut vivere imperium imponere ventis honus (onus?)*
*. . . . . et et queri deque sui conjuge tacens*
*. . . . et quali sim de te jure vigilis opem.*

*Membrana tam male habita est, ut ultima disticha non nisi difficillime legi queant. Dr. F. W. Otto, Seminarii philologici collaborator et Gymnasii Gissensis collega, de hoc codice rogatus, variantes lectiones primae epistolae speciminis causa humanissime mihi communicavit.*

| *Ed. Burmann.* | *Cod. MS.* | *Ed. Burmann.* | *Cod. MS.* |
|---|---|---|---|
| v. 29. *trepidae* | *timidaeque* | v. 36. *hic lacer* | *hic alacer* |
| „ 32. *atque* | *jamque* | *admissos* | *missos* |
| „ 33. *hic* | *hac* | „ 38. *ille* | *ipse* |

| Ed. Burmann. | Cod. MS. | Ed. Burmann. | Cod. MS. |
|---|---|---|---|
| v. 39. *Rhesumque* | *Rhesum* | v. 85. *ipse* | *ille* |
| „ 44. *cautus* | *captus* | „ 103. *hoc jubeant* | *haec faciant (supra v. jubeant)* |
| „ 45. *micuere* | *metuere* | | |
| „ 51. *diruta* | *obruta* | „ 105. *armis* | *Cod. supra vers. vel annis* |
| *uni* | *soli* | | |
| „ 66. *abes* | *eras (supra vers. vel abes)* | „ 106. *valet* | *potest* |
| | | „ 110. *ara tuis* | *avia michi (supra v. vel tuis)* |
| „ 77. *tibi* | *mihi* | | |
| „ 79. *vanescat* | *manescat* | „ 113. *condas* | *claudas (supra v. vel condas) venias.* |
| „ 85. *frangitur* | *flectitur* | | |

*Deest Epistola XV. (ed. Burm.) Sapphus ad Phaonem et Ep. XXI. Cydippes ad Accontium, cujus nonnisi priora sex disticha habentur, ut supra notatum est. In inferiore margine fol. 1 a. a recentiore manu haec leguntur: Ex bibliotheca Menteliana MSS. Cod. Ovidii Epistolae Heroidum. — Cfr. Ovidii Nasonis op. ed. Burmann I. 306. — Neumann Catalog. libr. MS. etc. Cod. XLVII. p. 16 b. — St. Endlicher Cat. Cod. MS. etc. Cod. CLIII. p. 76. — Long. 6″ 10‴. Lat. 4″ 8‴.“*
ADRIAN.

Fortasse hic codex Giss. idem est, qui olim in *Bibliotheca Uffenbachiana univers.* Sect. IV. Nr. CLXV. *forma quadrata minori* venalis fuit, in quo *Ovidii Epistolas Heroidum* pariter *notis uberioribus* instructas extitisse notatur. Quum autem ea exempla variarum lectt., quas nos olim in Catal. Adrian. publici juris fecimus hicque repetivimus, satis ostendere videantur, hunc quoque codicem Ovidianum ex interpolatorum numero esse, cujus tamen codicis familiam, pariter ut ceterorum, neque e *Burmanniana* editione, nec ex *Heinsii apparatu critico* invenire potui, nolui plura exempla variarum lectt. testimonii causa hic colligere. Versus autem illos, qui in nostro cod. reperiuntur, alibi a me non repertos suspicor a nescio quo Ovidii imitatore, eo fortasse, qui Sabini Epistolas, quae vocantur, composuit, de quibus vide *Gläser* in Mus. Rhen. nov. (Rhein. Mus. für Philol. 3. Heft 1842. p. 437.) epistolae XXI. esse assutos, quod non integram eam esse videret. Cfr. Heinsii notam in Commentariis criticis ad Ep. XXI. v. 12. Notae neque antiquae sunt, nec ullius pretii.

### 3) et 4) P. Ovidii Ars amatoria et Remedia amoris.

### Cod. Giss. Nr. LXVII.

B. S. Ms. 132. 4.

*„Codex chartaceus saec. XV. in Italia scriptus, lineis stilo ductis, vocum compendiis usitatis, cum glossis interlinearibus et paucis in margine notatis, foll. 111., quorum 1. et 111. membranacea sunt et aliena continent; foll. 54—58. 77 b. 78. et 110. scriptura vacant. Insunt autem in hoc codice: a. fol. 2—53. P. Ovidii Nasonis Ars amatoria. — Subscriptio haec est: Explicit liber Ovidii de arte amandi. — b. fol. 59—77 a. Ejusdem Remedia amoris. — Subscriptio: Explicit ovidius de remedio amoris. Deo gratias Amen. — c. fol. 79—96. Homeri Ilias carmine latino reddita. Ita titulus recentiore manu adscriptus. Incip. (I) ram pande michi pellide disca [diva] superbi etc. Explic. (v. 1075.) Vatis tam phebe peracto. Subscriptio haec est: Explicit opus Homeri translatum. — In fronte libri haec adscripta sunt: Forsan Rufi Festi Avieni Epitome Iliadis. — V. Poetae lat. minor. Cur. J. C. Wernsdorf T. IV. p. 617. seqq. — d. fol. 97—109. Vitalis Blessis vel Blesensis Geta Ita*

*titulus manu recentiore pictus. Incip. Grecorum studia nimiumque etc. Explic. (v. 483.) Uxor et amphitrion gaudent nidore popine. Subscriptio: Explicit hic geta deceptus ab archade summo Vitalis blessis explicit amphitrion. — Typis descript. curav. celeberrimus Angelus Majus in Class. Auct. e Vatic. Cod. edit. Tom. V. p. 463. seqq. (De Amphitryone et Alcmena Poema.) et collega cl. Fr. Osannus (Vitalis Bles. Amphitr. et Aulular. Eclogae. Darmst. 1836. 8.). De auctoris vita et de variis hujus poematis codicibus cfr. Hist. lit. de la France T. XV. p. 431. — Biogr. univ. v. Vital. de Blois. — Osanni Praef. p. XIII. seqq. — Fuit hic codex quondam in Bibliotheca Z. O. ab Uffenbach, qui eum describi curavit in Bibl. Uffenb. MS. T. IV. p. 222. seqq."* Adrian.

Ovidiana carmina, de quibus nunc agimus, contuli cum ed. Baumgarten-Crusii Lips. ap. Teubner 1824. 8., adhibita etiam edit. Burmann. et Commentar. crit. Heinsii, e quorum posteriorum librorum neutro tamen codicum familiam, cui noster cod. esset adnumerandus; perspicere potui. Unum hoc intellexisse mihi videor, e perquam interpolato genere codicum eum esse; quare satis duxi, paucas varietates lectt. sec. ed. Teubner. enotatas in append. crit. exempli causa afferre.

## V.
## Decii Juvenalis Satirae (I—XIV, 77.).

Cod. Giss. Nr. LXIV.
B. S. Ms. 230. fol.

In eodem codice, quem supra Nr. II, 2. descripsimus, fol. 60—126. Juvenalis Satirae I—XIV, 77. tam misere corruptae interpolataeque extant, ut satis esse videatur, si paucissima exempla variarum lectt. ad edit. V. Cl. Heinrichii Bonn. 1839. II Voll. enotata in append. crit. afferam. Codicum familiam per edit. Ruperti, quem epistola ejus nostro codici adjecta eo olim simul cum edit. Juvenalis Koberger. (v. p. 76.) usum fuisse testatur, indagare non potui. Mentionem nostri codicis ut Senkenbergiani fecit Ruperti in praef. editionis suae p. CLXIII., neque tamen in apparatu critico ullam ex eo varietatem lectiones attulit ac ne in indice quidem codd. p. CLI. seqq., quibus se usum dicit, eum commemoravit.

## VI.
## Venantii Fortunati ad Felicem Episcopum de Paschate resurrectionis domini elegia.

Cod. Giss. Nr. LXXXVII.
B. G. (3.) 14. fol.

Extat hoc carmen ab Adriano praetermissum in eo codice, quem supra lit. A. a, α. III. 4. p. 13. descripsimus, tam foede corruptum mutilatumque, ut exempla variarum lectt. ex eo afferre me pudeat. Sed ne quid omitteretur, quod in nostris codd. latinorum poetarum extaret, silentio rem praetermittere nolui. Typis expressum illud carmen et in Opp. Venantii Fortunati reperitur et in editt. Lactantii. Incipit: *Salve festa dies toto venerabilis aevo."* Explic.: *„Cum bene servieris reddit et aureas opes."*

## VII.

# Incerti auctoris Epitome Iliados Homeri carmine latino reddita.

Cod. Giss. Nr. LXVII.

B. S Ms. 132. 4.

In eodem codice, quem supra p. 79. Nr. IV. 3. et 4. descripsimus, extat fol. 79—96. *Epitome Iliados Homeri carmine latino* reddita, quae quum vulgo cuidam *Pindaro Thebano* tribuatur, in cod. Giss. recentiore manu *Rufi Festi Avieni* videri notatur, in quam opinionem etiam alii inciderant, de qua re vid. *Wernsdorf Poet. latin. min.* T. IV. P. II. p. 546—567., cum cujus disputatione conferenda sunt ea, quae de *auctore* hujus carminis postea disputavit Henric. *Weything* in edit. *Theod. van Kooten* Lugd. Bat. 1809. praef. p. XII. et nuper Vir Cl. Carol. *Lachmann.* in publica recitatione de Pindaro Thebano Berolini in academia literarum habita. Vid. *Allgem. Literaturzeit. Halle* 1841. *Intelligenzbl.* Nr. 22. et *Zeitschrift für die Alterthumswissenschaft* Jahrg. 1841. Nr. 45. p. 376. Idem carmen significari videtur in carmine latino *medii aevi*, quod extat ap. *Polycarp. Leyser* Histor. poetar. et poemat. medii aevi Halae Magdeb. 1721. p. 796. seqq. et inscribitur „*Eberhardi Betuniensis Laborintus*,“ in cujus carminis *tractatu tertio* de *Versificatione* versus 45. et 46. ad nostri carminis auctorem videntur esse referendi, qui quidem eum medii aevi scriptorem esse prodere videntur eo, quod inter medios eos commemoratur, nec ultra saec. XII. amandandum esse docent. Sunt autem versus hi:

*Dat Phrygius Dares veraci limite causas*
*Exitii Troiae seditionis onus.* (intelligitur *Josephus Iscanus, Devonius* dictus, v. *Leyser* p. 771. V.)
*Instruit in Troiam Graecos et pandit Homerus,*
*Quae vehat unda rates Argolicumque dolum.*

In indaganda autem familia codicum, cui nostrum codicem adscriberem, reperisse mihi videor, maxime eum cum optimis duobus codd. *Leidensi A* (cod. Arntzen.) et *Leid.* 2. et edit. *Fani* 1505. (ex ed. princ. Laurentii *Abstemii* expressa) ap. *Weything.* consentire. Neque tamen eum consensum inveni, ut prorsus eundem codicis Gissensis fontem esse existimem, quum multa singularia habeat, quae neque ex istis codd., neque ex aliis enotata viderim, quamquam non sine justa causa suspicio mihi orta est, codd. istos non satis diligenter esse collatos ideoque plura fortasse inter illos codd. et nostrum convenire repertum iri, si quis quando denuo codices *Leidenses* summa religione contulerit. Cum codice autem *Erfurtensi Amploniano*, quem nuper Vir Cl. *Ritschl* in *Novo Museo Rhenano* (*Rheinisches Museum für Philologie. Neue Folge fasc.* 1. p. 137. Nr. 4.) descripsit, nullum videtur graviorum rerum habere consensum. Nam illi quidem loci, quos *Ritschl* tractat, nihil cum nostri codicis lectionibus commune habent. Ego vero codicem Gissensem nativum hujus carminis colorem multo integriorem servasse puto, quam ceteros codd., quorum varias lectt. adhuc cognovimus. Quae quum ita sint, integram ejus varietatem lectionis in append. crit. secundum edit. *Wernsdorf.* l. c. enotatam attuli, quo alii quoque certum sibi judicium facere possent, quid e nostro cod. ad emendandum illud carmen redundaturum esse videretur.

---

## β) POETAE MEDII AEVI.

### I.

### Vitalis Blesensis Geta.

Cod. Giss. Nr. LXXVII.

In eodem codice, in quo *Epitome Iliadis Homeri* carmine latino reddita extat, reperitur etiam fol. 97—109. *Vitalis Blesensis Geta,* carmen comicum medii aevi distichis compositum, quod primus Ang. Mai a. 1836. in Class. Auct. T. V. p. 463. seqq. e Vaticano codice multis vitiis ac lacunis praeditum typis exprimendum curavit. Quem primus in Germania excepit Vir Cl. Frieder. Osannus, qui idem carmen e duobus codd. Darmstadinis multis locis emendatum completumque edidit Darmstad. 1836. Hunc pluribus codd. instructus, Bernens., Monacens., Parisiens., adscitis variis lectt. duorum codd. Darmstadin. ab Osanno publici juris factis et Vaticani ap. Mai., insecutus est in emendando illo carmine Carol. Guil. Mueller in *Ind. lectionum in univers. liter. Bernensi a. 1840. habendarum* s. *Analecta Bernens.* Part. II. Bernae MDCCCXL., qui perinique cum collega meo Osanno V. Cl. egit, quod eum in praefat. p. 12. not. 26. eo nomine perstrinxit, quod Professorem Gissensem Gissensis Codex latuisset, quo ei propterea uti non licuit, quod illo tempore, quo hanc comoediam edendam suscepit, thesauri MSS. bibliothecae nostrae acad. nondum satis compositi ne nobis quidem *Gissensibus* utendi patebant, quos nuper demum e tenebris erutos debemus summis laboribus, diligentiae doctrinaeque Viri Cl. Adriani, qui disjectas illas opes collegit catalogumque codd. MSS. a. 1840. publici juris fecit, cujus nunc ope omnibus literatis hominibus thesaurorum illorum accuratius cognoscendi facultas data est. Ego vero unum illud doleo, quod, quum V. D. Osannus hoc carmen edendum suscepisset, egregio illo codice uti ei non licuit, qui quum in pejoribus exemplis ad emendandum adhibendis multa vitia magna sagacitate indagarit verumque saepe conjectura assecutus sit, multo certiora eum afferre potuisse persuasum mihi est, si hujus codicis ope carmen illud emendare ei licuisset. Nam quod Muellerus, quem ipsum tamen in summa literarum cognitione doctissima exempli Osanniani censura a Viro Cl. Mauritio Hauptio, Prof. Lips. in Annalibus literarum Vindobonensibus (Wiener Jahrbücher der Literatur fasc. LXXIX. 12. 105. seqq. ab a. 1837.) facta fugit, de qua re vid. Gersdorf Repertorium der inn- und ausländischen Literatur XXIX. Bd. 6. Heft p. 535. nr. 1444., multa rectius, quam Osannus constituit, id maximam partem optimorum codicum praesidio debet, quorum unum *Bernensem* litera *B.* notatum omnium optimum ubique fere, nisi eum graviores caussae, ut aliter faceret, movissent, secutum se dicit, a quo prope abest *Darmstadinus* cod. ab Osanno litera *D.* notatus, quorum utrique tamen praestare videtur *Gissensis* codex, qui nullis lacunis, ut Vaticanus, praeditus est et multo saepius meliores sententias multoque meliorem verborum collocationem praebet, quam ceteri codd. omnes. Quare etiam suum genus cod. sequi videtur, ab ceteris diversum. In gravioribus tamen rebus maxime cum Bernensi *B* et *b*, Monacensi *m* et Darmstadino *D* convenit. Quare ut quam plenissimus perfectissimusque apparatus criticus lepidissimi istius carminis, quae comoedia dicitur, existeret, nos integram hujus codicis lectionis varietatem in append. crit. dedimus. Habet autem cod. eandem subscriptionem, quam *Mediceus,* de quo vid. Osann. praefat. et Müller p. 10. not. 22.

*Explicit hic Geta deceptus ab archade summo*
*Vitalis Blesis explicit Amphitrion.*

post quos versus sequuntur in cod. haec verba: *Antonius Cardinalis 1543. ultima dominica octobris, in pientia pomete. Prologum* ex hoc codice descriptum versibus 22.

constantem exempli causa olim dedit Mai Fil. in *Bibliothec. Uffenbach. Mss.* P. II. p. 225. Aliud exemplum ejusdem Vitalis comoediae in cod. quodam *Amploniano* Erfurtensi extare nuper cognovimus a V. D. Ritschl in *Museo Rhenano Novo* (*Rheinisches Museum* Neuste Folge I. Jahrg. 1. Heft 1841.), ubi haec inscriptio extat: „*Mittheilungen aus und über Handschriften.*" Ad *aetatem*, qua Vitalis vixit, accuratius definiendam, de qua Viri DD. non satis consentiunt, non est praetereundum illud, quod eadem comoedia etiam in *Eberhardi Laborinto* tractatu tertio de Versificatione v. 15—18. (v. Polyc. *Leyser* Histor. poet. et poem. med. aev. p. 826.) significari videtur:

„*Vulnus amoris habet in pectore Pamphilus. Illud*
*Pandit in antidotum subvenientis onus* (intelligitur *Pseudo-Ovidus* de *Vetula*)
*Laudit Geta gemens, quia captus Mercuriali*
*Arte Jovem lectus Amphitrionis habet.*"

Nonnulla ad hoc carmen partim codicis *Gissensis* ope emendandum, partim conjectura contulit V. D. *Axt* in *Vestritii Spurinnae reliq. lyric.* Francofurt. ap. Sauerländer 1840. 8., ubi vid. Indices scriptorum v. *Vitalis Bles.*, quarum emendationum nos infra in app. crit. rationem habebimus.

---

## II.

## Galfridi de Vinosalvo Poetria nova s. Ars poetica.

Cod. Giss. Nr. LXVIII.

B. G. XVI. 226. 4.

„*Codex chartaceus saec. XV. satis eleganter scriptus, literis initialibus rubris, notis inter lineas et in margine adscriptis, foll. 46., quorum 39—46. scriptura vacant. Continentur Officia Rhetoris, Carmen latinum. Ita inscript. Incip. Papa stupor mundi si dixero papa nocenti.*

*Astephalum nomen etc.*

*Explic. Disposuisset mors victa sua morte redemit.*" ADRIAN.

Hoc carmen, quod sine auctoris nomine inscriptione a recentiore manu facta extat in cod. Giss., e Polyc. Leyseri Hist. poet. et poem. medii aevi p. 860. partem carminis *Galfridi de Vinosalvo Poetriae novae* s. *de arte poetica* esse perspexi, cujus quum singulae partes olim editae essent, integrum e quattuor codd. Guelferbytanis editum est ab eodem Leysero l. c. p. 861. seqq. Consentit autem ubique fere Cod. Giss. cum cod. *Guelferbyt.* II, qui mihi optimus e quatuor illis codd. Guelferb. videtur. Quare maxime dolendum est, quod pulcherrimum illud doctissimumque carmen, quod 2114 versibus constat, non integrum in nostro codice extat. Videtur autem olim duabus partibus constitisse (v. vers. 1219. ap. Leyser p. 932.), cujus nos in nostro cod. nihil nisi priorem partem ab initio totius carminis usque ad v. 1219. habemus. Sed quum ne sic quidem codicis Gissensis optimi variae lectt. contemnendae esse videantur, quum multum ad hoc carmen emendandum conferant, integram varietatem lectionis hujus codicis in append. crit. sec. exemplum Leyser. enotatam attulimus. Librorum capitumque distinctiones, quae apud Leyserum reperiuntur, in cod. Giss. nullae extant. Quam autem rationem noster cod. cum *Vindobonensi* habeat, in quo hoc carmen teste *Endlichero* in *Catal.* Nr. CCLIV. n. 5. fol. 49. 2—82. inscribitur „*Gavifridi de Vinosalvo poetria nova,*" non habeo dicere, quum Endlicher nullum ejus specimen dederit. De ceteris codd. vide Leyser p. 857. Habet autem cod. Giss. praeter glossulas supra versus scriptas integrum commentarium singulis carminis particulis interjectum.

---

## III.
## Floretus cum glossis.
### Cod. Giss. Nr. LXIX.
B. G. XVI. 13 a. 4.

*„Codex chartaceus saec. XV., litteris initialibus rubris, foll. 85., quorum 85 a. vacuum est. Continetur Floretus cum glossis. Incip. Introd. [commentarii] Circa initium libri Floreti etc. Incip. carmen:*

*Nomine Floretus liber incipit atque facetus*
*Semper erit tutus ejus documenta secutus* etc.

*Explic. Qui dedit alpha et o sit laus et gloria Christo. Amen. —*

*Subscr. Explicit Floretus. — Cfr. Fabricii Bibl. med. ac inf. lat. I, 624. (Bernardus script. Floreti) et Vossius de poet. lat. p. 73. J. Chr. Brunet, Manuel du libr. Bruxelles 1838. I, 165. II, 215. — Codex nobis e bibliotheca Cap. Eccles. S. Marci in Butzbach accessit.“* Adrian.

Hoc carmen, quod non solum glossulis supra versus, sed etiam uberrimo commentario singulis carminis particulis interposito instructum in cod. Giss. extat, Angelus Mauriquez Annal. Cisterc. T. II. ad a. 1133. cap. 20. S. *Bernardo Clarevallensi* tribuit, v. Polyc. Leyser l. c. p. 420., qui tradit, Parisiis in cod. antiquo Mss. bibliothecae regiae dici *Floretum* esse compilatum a *Clemente* Papa, teste Philippo Labbeo in nova bibl. Mss. Belgii, sed semper sine nomine auctoris, ut sit in Catal. harum bibl. publicatis ab Sandero. V. Carol. de Visch. bibl. scriptor ord. Cisterc. ed. Colon. 1596. p. 41. In *commentario* autem *Ms.* codicis *Giss.* haec de auctore hujus carminis reperiuntur: „Auctor secundum quosdam dicitur fuisse venerabilis *Bonaventura Cardinalis*, qui hos flores theologicos de pluribus libris theologicis autenticis perventualiter et breviter in stilum metricum in utilitatem pauperum sanctorum redegit. Alii dicunt fuisse *Johannem de Garlandia*, sed non est cura, quis dicat, sed quid dicatur.“ Cfr. Grässe Lehrbuch einer allgemeinen Literärgesch. II. Bd. 2. Abth. 2. Hälfte p. 714. Commentarius autem ipse, qui nullam mihi necessitudinem habere videtur cum eo commentario, qui vulgo in editt. extat, v. c. in *Lugdun.* 1520. ap. Jo. Marion in fol., qui *Jo. Gersono* tribuitur (v. Grässe l. c.), perutilis est propter multos locos e diversis scriptoribus, inprimis poetarum medii aevi allatos. Jam quum editiones hujus carminis perrarae sint, non omnes conquirere potui, ut quae *optima* esset, investigarem, sed coactus sum uti ad conferendum codicem editione ea, quae mihi in nostra bibliotheca praesto fuit, quae inscribitur: „Floretus Sancti Bernardi continens sacre theologiae et canonum flores ad gaudia paradisi finaliter eos, qui se in illis exercitaverint, perducentes,“ hac subscriptione addita „explicit feliciter Divi Bernardi Floretus Colonie impressus ante jubileum centesimum, quam anni significationem Panzer Annal. typogr. v. *Bernardus Clarevall.* refert. ad a. 1501. In praefatione hujus editionis haec reperiuntur: „*Bernardus abbas monasterii clarevallis,* qui postquam quendam fratrem suum conatus est trahere a seculo per medium cujusdam libri ad eum missi, quem quidem librum *contemptum* notavit (de quo carmine vid. nr. seq. IV.), hunc librum composuit tam ipsi suo fratri, quam aliis utilem. Incipit *Floretus Bernardi Clarevallis.* Floretus est quidam liber metricus a Sto. Bernardo Clarevallis editus, tractans de virtutibus et vitiis secundum praecepta dei et ecclesiae ad fuganda peccata et electionem illorum operum, quae hominem perducunt ad deum, finaliter adinventus et dicitur Floretus ab hoc nomine flos, floris; nam iste liber praeceptorum dei et ecclesie et virtutum continere dicitur.“ In fine codicis Giss. post commentarium haec verba extant: „Expliciunt puncta theologalia optima et brevia de quacunque theologali

materia tractantia a me Hartmanno Grugis scripta anno domini MCCCCLXIV 3tia feria post oculi mei, tunc fui laetus, dum ego scripsi explicit Floretus." Jam quum codicem multo praestantiorem esse perspexissem, quam eam editionem, quae extat in bibl. acad. Giss vel. ord. nr. 278., una cum *Bernardo* de *contemptu mundi*, hujus quoque codicis integram varietatem lectionis in append. crit. adjeci.

---

## IV.
## Bernhardus de Contemptu mundi.
### Cod. Giss. Nr. LXIV.
B. S. Ms. 230. fol.

Hoc carmen *Bernhardi* (*Morlacensis* an *Clarevallensis?* v. Polyc. Leyser l. c. p. 412. XXXVI. et p. 419. nr. XLII.) *de contemptu mundi*, quod extat in cod. supra p. 75. descripto fol. 130—137 a. ab Leysero nusquam commemoratum contuli cum exemplo illo, quod extat in Ed. Venet. Opp. Sti. Bernardi Vol. III. p. 792. Sed quum cod. Giss. valde recens parum ab exemplo Venet. discrepet, neque ullam utilitatem criticam habeat, varias lectiones ex eo nullas notavi. Subscriptio est „*Desinit beatus Bernardus de contemptu mundi* zcfLXXXVI. *lipczk* (Lipsiae 1486?)." Idem carmen sine auctoris nomine extat in cod. *Vindobonens.* sect. philol. Nr. CCLXXXVII. nr. XVII. fol. 116—120., teste *Endlicher.* in *Catal.* p. 161., qui quattuor prologi versus cum quinque prioribus versibus ipsius carminis exempli loco dedit, e quorum comparatione cum ed. Veneta et cod. Giss. facta perspexisse mihi videor, hunc codicem utroque exemplo esse meliorem.

---

## V.
## Hildeberti Turonensis archiepiscopi versus de Officio Missae.
### Cod. Giss. Nr. DCCCVIII.
B. G. XVI. 57. 4.

„*Codex chartaceus saec. XV., foll. 270., quorum 2. 151 b. 153 a. 154 b.—156. 175 a. 177. 180. et 270. vacua sunt. Continentur: a. fol. 1—176. Sermones diversi. Incip. Multos enim audio etc. Explic. In secula seculorum. Amen.* — *b. fol. 181—369. Commentarii in libros sententiarum. Incip. p. introd. Scribere disposui quae mistica sacra etc. Explic. In secula seculorum. Subscr. Opere completo saltat scriptor pede leto.*" ADRIAN.

Equidem quum in perlustrando hoc codice in altera parte ejus, quae est sec. Adriani Catal. litt. b. a fol. 181—369., verba legerem „*Scribere disposui, quae mistica sacra priorum,*" statim memini esse hoc initium carminis de *officio missae*, quod *Hildeberti* nomine typis expressum extat in Opp. Sti. *Hildeberti* Episcopi Cenomanensis ed. *Beaugendr.* Paris. 1708. fol. p. 1135. seqq. Quare evolvi editionem Beaugendrianam eoque perspexi illud *carmen integrum* in cod. Giss. extare vel majoribus, vel minoribus particulis divisum, quarum singulis *Commentarius* interponitur, qui in Catalogo Adrianeo dicitur *Commentarius in libros sententiarum.* In ejusdem autem commentarii *prooemio* tribuitur hoc carmen *Ivoni*, clarissimo videlicet illi episcopo Carnotensi, de quo vid. Grässe Lehrb. einer allg. Literärgesch. I. Bd. 1. Abth. 1. Hälfte p. 215. seqq. Fortasse haec *Summula* est vel ex *Hildeberti* opere prosaico de *sacramento altaris* (a nescio quo poetastro composita (v. Grässe p. 39. n. 113.), vel ex *Ivonis decretis* confecta (v. Grässe l. c.

p. 660.). In commentarii autem Giss. prooemio haec hujus carminis inscriptio affertur: „*Summa sacrificiorum Ifonis.*“ De aliis auctoribus, quibus idem tribuitur, vide Leyser p. 386. nr. XXXII. p. 421. nr. XLVI. et pag. 449. nr. LXXV. Codex Giss. ex optimo aliquo exemplo videtur descriptus multasque egregias memorabilesque lectiones continet auctiorque est editione Beaugendriana. Quae cum ita sint, integram ejus lectionis varietatem in append. crit. sec. ed. Beaugendr. addere non dubitavi.

---

## VI.

## Johannis de Garlandia carmen de mysteriis ecclesiae cum commento.

### Cod. Giss. Nr. LXX.

B. G. XVI. 22. 4.

„*Codex chartaceus saec. XV., foll. 36., quorum ultima pagina scriptura vacat. Continetur: Johannis de Garlandia carmen de mysteriis ecclesiae cum commento. Incip.*

*Anglia quo fulget, quo gaudet presule claro*
*Londonie quo pisius [parisius] scrutante sophiam etc.*

*Explic. carm. Hostia missa. Explic. Comm. Et benedictus. Amen. — Cfr. Polyc. Leyseri Hist. poet. et poemat. medii aevi p. 339. seq. — St. Endlicher Cat. Cod. Ms. Bibl. Pal. Vind. p. 212. Fuit hic codex olim in bibl. Cap. S. Marci in Butzbach.*“ Adrian.

Hoc carmen pulcherrimum et ad theologiam medii aevi penitus cognoscendam utilissimum, cujus *prologum* et *primum caput* usque ad v. 22. „*Sancti quos Christus.*“ Leyser l. c. p. 311. XVIII. nr. II. e cod. *Guelferbyt.* exempli causa edidit, quum nondum integrum, quod sciam, editum sit, primus integrum e cod. Giss. in append. crit. edendum susceperam, quum felici quodam casu accideret, ut per proxime superiores ferias autumnales recreandi corporis animique causa Darmstadium profectus in bibliotheca magnoducali aulica, cujus opes Msceptorum accuratius cognoscendi summam mihi copiam dedit Vir Cl. Federus, bibliothecae praefectus primarius, in codicem chartaceum circa a. 1413. scriptum inciderem, qui praeter multa alia idem carmen contineret. Quem quum cupidissime perlustrassem, multumque a nostro cod. differre eum vidissem, petivi a Viro humanissimo, ut illum mihi codicem Gissam mitteret, quo accuratius rem persequi possem. Quibus meis precibus quum maxima humanitate Vir Summus cessisset codicemque *Darmstadinum* cum *Gissensi* diligentissime contulissem, non solum multo eum praestantiorem cognovi, sed etiam ex *Epilogo* codici Darmstadino addito, qui in *Giss.* cod. deest, intellexi, auctorem hujus carminis nullo pacto *Johannem de Garlandia* esse posse, cui hoc carmen in prooemio *Commentarii* codicis Giss. et ab Leysero p. 311. tribuitur, quum hic poeta circa ann. 1040. floruisse putetur, vid. Leyser l. c. et Grässe Lehrbuch einer allgem. Literärgesch. I. Bd. 1. Abth. 1. Hälfte p. 364., in *Epilogo* autem codicis *Darmstadini* poeta ipse carmen suum scripsisse se dicat a. 1245., quo tempore *Alexander ab Hala* Parisiis mortuus sit, de quo vid. Grässe l. c. II. Bd. 2. Abth. 1. Hälfte p. 238. nr. 106., siquidem, quod non dubito, *Alexander* ille, cujus laudes cecinit poeta in *epilogo, Alexander* ille *Halensis* est, in quem optime quadrant, quae ibi scripta reperiuntur.

Mirum autem est, quod duo nostri carminis versus 458. et 459. (de quibus vid. adnot. crit. nr. 209.), id quod e *Dufrenii* Glossar. v. *Baculus* cognovi, etiam apud *Hugon. de Sto. Victore* in *Specul. Eccles.* cap. 6. extant, qui et multo post *Joannem de Garlandia* vixit et multo prius quam is, qui se in *epilogo* carminis anno 1245. carmen composuisse dicit, quamquam *Speculi* quoque illius *Ecclesiae* auctor multo recentior

esse videtur, quam *Hugo de Sto. Victore,* de quo vid. Grässe Lehrb. einer allgemeinen Literärgesch. II. Bd. 1. Abth. 2. Hälfte p. 200. n. 34. et inprimis p. 202.

Verba *commentarii* cod. Giss. de auctore carminis haec sunt: „Causa efficiens est duplex, sc. movens et perficiens. Movens fuit quidam episcopus Loudoniensis nomine Fulco, qui libenter in expositione divini officii studuisset. Quare misit Parisius inter studentes, ut aliquis vellet componere unum opusculum de expositione divini officii. Causa efficiens, perficiens (sic cod.) fuit magister *Johannes de Garlandia,* qui precibus illius episcopi acquiescens composuit istum librum. — — Titulus praesentis libelli est iste: *Incipit liber de ecclesiae misteriis magistri Johannis de Garlandia,* vel sic: *Incipit liber de misticis expositionibus rerum ecclesiasticarum.* Praestat autem cod. Darmstadinus Gissensi eo, quod et multo integrior est atque incorruptior et gravi interpolatione vacat, quae in Giss. a v. 442—658. extare videtur, de qua vid. *notas critt.* ad carmen ipsum in append. crit. Desunt autem in cod. Giss. versus 188—255., qui per librarii errorem omissi videntur. *Epilogus* autem in exemplo eo, unde librarius hujus codicis suum descripsit, non extitisse videtur. Quae cum ita sint, codicis Darmstadini exemplum fundamenti loco posui, in quo si quid esset, quod rectius se in *Gissensi* haberet, ex hoc emendandi causa sumpsi. Sed restant tamen nonnulli loci in utroque codice tam corrupti, ut, multo studio parvo huic carmini, quod sec. cod. *Darmstad.* 659 versibus constat, impenso, non omnes ejus mendas tollere potuerim. Huc accedit, quod Lutheri doctrinae addictus non omnia me plane intellexisse suspicor, quae ad Catholicorum sacra pertinent. Quare si quid in interpretando peccavero, veniam me ab aequis judicibus impetraturum spero. Aliud carmen ejusdem *Joannis de Garlandia* eodem nomine *Mysteriorum Ecclesiae,* quod incipit: „*Anglia quo tendis, tua dum,*" laudat idem *Leyser* l. c. p. 311. XVIII. II., sed quod p. 339. VIII. putat carmen non diversum esse ab eo, quod et in Guelf. cod. et Darmstad. et Giss. extat, nisi quod *Baleus* in initio scripti exprimendo erraverit, mihi quidem non verisimile videtur, quod neque posterius illud carmen cum priore quidquam simile habet praeter primam vocem *Angliae,* neque tantum in legendo errasse Baleum credibile est, ut integrum versum perverse legerit.

Codices, in quibus continetur

## VII.

## Raymundi de Pennaforti Summula Sacramentorum.

Codd. Giss. Nr. DCCXVIII. (B. G. XVI. 56. 4.) DCCXIX. (B. G. XVI. 48. 4.) DCCCLXIV. (B. S. MS. 98. fol.) coll. DCCC. (B. G. (3.) 11 b. fol.)

Haec *Raymundi de Pennaforti Summula Sacramentorum metrica,* de cujus *prosaico tractatu* vid. Grässe Lehrb. einer allg. Literärgesch. II. Bd. 1. Abth. 1. Hälfte p. 296. nr. 95. et 39. v. nr. 113., quae in tribus codd. modo commemoratis extat, quo in cod. DCCC *Commentarius* in eam sine textu accedit, mirum est, quod ab Leysero in Hist. poet. et poem. medii aevi prorsus praetermissa est, quum tamen non minore honore digna mihi videatur atque ceterorum minorum poetarum carmina, quorum indicem confecit Leyser, imprimis quum haec Summula ad jus ecclesiasticum medii aevi accuratius cognoscendum haud contemnenda videatur et exempla ejus edita, quod sciam, perrara sint, quorum ego quidem nullum aliud nancisci potui, nisi pervetustum quoddam Coloniense per Henric. Quentell. a. 1498. impressum, de quo vid. Panzer Annal. typogr. T. II, 125., quod extat in bibl. acad. Giss. lit. D. nr. 12$^{04}/_{500}$., e quo unum illud perspicere potui, *codicem Giss. Nr. DCCCLIV. chartac. seculo XVI. vergente scriptum, scriptura in duas columnas scissa, lineis stilo ductis, rubris initialibus, foll. 91., cum quinque vacuis in fine,* qui quum multa alia, tum fol. 34—86. hanc Summulam ex prosaici auctoris Summa

excerptam, ut notavit Senkenbergius, commentario instructam continet, multo emendatiorem, pleniorem multoque aliter dispositum contextum habere, quam illam quidem editionem, qua sola mihi per ceterarum inopiam uti licuit. Proxime ad hunc codicem accedit cod. Giss. Nr. DCCXVIII., de quo vid. p. 59. nr. IV. Tertius autem *codex Giss. Nr. DCCXIX., chartaceus sec. XV. male habitus foll. 296., quorum multa vacua sunt,* in quo idem carmen extat, neque integer est — desinit enim in versu *„Quidam majorum solvant hos clave suorum,"* qui in ed. Colon. fol. 142 b. extant — neque tam incorruptus, quam duo illi priores. Tam mira est autem trium istorum codd. quum inter ipsos, tum ab editione *Coloniensi* non solum singulorum verborum, sed et integrorum versuum et commatum totiusque versuum ordinis discrepantia, ut primum hujus carminis exemplum graves interpolationes temporum cursu expertum esse videatur. Quare operae pretium existimo, carmen hoc integrum optimorum codd. auctoritate emendatum ac dispositum denuo edi. Sed quum propter nimiam nostrorum codd. discrepantiam ab edit. *Coloniensi* valde sit difficile ostendere, quid in cujus versus locum successerit, varias lectt. afferri non posse censeo, nisi integram editionem velis parare satisque habeo ejusmodi carminum amatores ad egregias nostras opes utendas invitare.

---

## VIII.
## Poenitentiarius s. Carmen de modo poenitendi.

Codd. Giss. Nr. DCCXIX. (v. nr. VII.) DCCXXCVII. (B. G. XVI. 13. 4.) DCCXCVIII. (B. G. XVI. 23. 4.) coll. DCCCLXIV. (v. nr. VII.)

Hoc carmen incerti auctoris *de modo poenitendi,* de cujus generis libris vide Grässe Lehrbuch einer allg. Literärgesch. I. Bd. 1. Abth. 1. Hälfte p. 220. et 221. cum seqq., quod impressum reperi in ed. Coloniensi ap. Henr. Quentell. 1492. Bibl. Giss. Nr. 1264. (cfr. Panzer Annal. typ. VI. p. 355.), extat in tribus bibl. nostrae acad. codd., quorum primus est is, quem supra nr. VII. descripsimus, ubi nostrum carmen reperitur fol. 113 —132. *commentario* instructum, quod explicit in verbis: *Invide livorem remove superbe tumorem,* cum subscriptione: *„Anno domini MCCCCXXX. feria sexta post octavam dominicam;* alter est cod. Giss. Nr. DCCXCVII. *chartaceus, saec. XV. literis initialibus rubris, foll. 144.,* ubi fol. 1—51. idem carmen cum *commentario* extat. Tertius est DCCXCVIII. *chartaceus, saec. XV., initio mutilus, literis initialibus rubris, foll. 272., quorum 1. et 84. vacua sunt,* p. 2—83. autem *Poenitentiarium* cum *commentario* continet, qui hanc subscriptionem habet: *„Et sic deo gratias per me Andream Urbach Studius Erfordensis."* Quartus denique codex DCCCLXIV. solum *Commentarium* continet, in cujus initio de *auctore* carminis haec reperiuntur: *„Causa efficiens dicitur fuisse Magister Johannes monachus de sacrobusto, qui composuit illum librum pro informatione hominum ad confitendum ex una parte et etiam confessorum ex altera parte."* In *commentario* autem codicis nr. DCCXCVII. haec verba extant: *„Causa efficiens est Johannes de Gar* (num de *Garlandia*?) *vel Johannes C°sostimus* (Crisostimus? Vid. Collection à vendre de monumens typographiques à Offenbach sur le Main chez Ernest Heinemann. 1840. nr. 200 a. p. 53.), *alii tamen dicunt, quod fuit bonus homo elevatus et monachus de ordine beati Bernhardi, vel dicitur fuisse Bernhardus Silvestris. Alii dicunt, quod Bonaventum cardinalis.* In *commentario* denique codicis nr. DCCXCVIII. haec verba sunt: *„Causa efficiens dicitur esse secundum aliquos Johannes de jamlandia* (i. e. de *Garlandia*); *secundum aliquos dicitur fuisse Silvester papa."* In codice

*Darmstadino*, quem supra pag. 86. commemoravimus, qui solum *commentarium* continet, inscriptio est: „*Johannis de Garlandia Summula Poenitentiae.*" Incipit autem carmen in cod. *Giss.* Nr. DCCXIX. sic:

*Poeniteas cito peccator cum sit miserator*
*Judex, et sunt haec quinque petenda tibi.*

Explicit: „*Ut medici curant vario medicamine corpus*
*Non sanant febres quoque sive timorem.*
*Sic animae varias aegre poscunt medicinas.*
*Apponas igitur animae contraria morbis*
*Propria dat cupidus, sit castus luxuriosus.*

Quum autem quattuor isti codd. neque inter se, neque ab edit. *Colon.* multum discrepent, carmen denique ipsum non magni pretii esse videatur, nolui varias lectt. eorum in append. crit. enotare.

---

## IX.

## Henrici Septimellensis vel Samariensis Elegia de diversitate fortunae et philosophiae consolatione libri IV.

Cod. Giss. Nr. MCCLI.

B. S. Ms. 516. fol.

„*Codex chartaceus diversis manibus saec. XV. et XVI. scriptus; rubris inscriptionibus et litteris initialibus (Lit. b.), foll. 66., quorum 1. 10 b. 11—14. 32. 33. 43 b. et 66. scriptura vacant. Continet praeter multa alia, quae vid. ap. Adrian. in Catal., fol. 44—51 a. Henrici Septimellensis (vel Samariensis) Elegiam de diversitate fortunae et philosophiae consolatione. Libri IV. Inscriptio a recentiore manu exarata: Pauper Haynricus.*

Incip. *Quomodo sedet sola probitas flet et ingemit.*
*Facta quasi vidua quae prius uxor erat.*
*Cum de te fortuna queror cui nescio quare*
*Perfida me cogis etc.*

Explic. *Vivens et extinctus te unicam semper amabo*
*Viventis melior quam morientis amor.*
*Explicit hainrici liber hic qui samariensis*
*Materiam miseram qui fuit arte sequens.*

*Discrepat in multis ab editione Elegiae in P. Leyseri Hist. Poet. et Poem. medii aevi. Halae Magd. 1721. p. 453—496. Cfr. Der arme Heinrich v. Hartmann v. d. Aue. A. d. Strasb. u. Vatik. Hdsch. herausg. u. erklärt d. d. Br. Grimm. Berlin 1815. 8. p. 211. et 212. — Habetur hic fortasse apographum Cod. Argent. C. 105. N. 13.*" Adrian.

Hoc carmen, quod cum notissimo illo carmine Germanico Hartmanni nullam plane argumenti similitudinem habere docuerunt fratres Grimmii l. c. p. 212., contuli cum exemplo Leyseriano l. c. e codice *Helmstadiensi* et *Guelferbytano* edito. Sed quum Gissense exemplum non multum mihi ad emendandum illud carmen conferre videatur, libri I. tantum varias lectt. sec. exemplum Leyserianum enotatas in append. crit. afferendas censui. Cum codice *Argentoratensi* autem, cujus mentionem fecerunt fratres Grimmii l. c., nullam mihi rationem videtur habere cod. *Gissensis*, quod qui ex eo a Grimmiis affertur versus: „*Finitur primus liber incipit hicque secundus*", in *Gissensi* non extat, qui

12

omnino ejusmodi librorum divisionibus caret. Neque codices duos *Vindobonenses*, quos commemorat *Endlicher* in *Catal. codd. philol. bibl. Vindobonens.* Nr. CCLVII. nr. V. et Nr. CCXXVI. nr. VI. cum *Gissensi* consentire videntur, quum in altero eorum Nr. CCLVII. teste Endlichero p. 159. *praefatio prosaica* carmini praemittatur, quae in Giss. deest, in altero autem Nr. CCXXVI. haec subscriptio extet:

*Millenos tenet hic versus liber aspera plangens*
*Certat cum sorte, parat hinc fomenta Zophie.*

quae item in Giss. deest. Versus denique, qui apud Leyserum p. 469. e solo cod. *Helmstad.* additi sunt, in *Gissensi* non extant.

---

## X.

## Eberhardi Betuniensis Laborintus s. carmen de miseriis rectorum scholarum.

Cod. Giss. Nr. LXXXVII.

B. G. (3.) 14. fol.

Hoc carmen, quod e tribus Mss. bibliothecae acad. *Helmstadiensis* emendatum edidit Leyser in Historia poetar. et poemat. medii aevi p. 795. seqq., extat in eo cod. Giss., quem supra p. 13. descripsimus, fol. 164. seqq. tam foede corruptum, ut nullo pacto adduci potuerim, ut ullum exemplum variarum lectt. in append. crit. afferrem. Erravit autem Vir Doct. Adrianus in Catalogo, quod carmen illud non integrum in cod. Giss. extare dixit et *carmina Anonymi in laudem S. Mariae Virg.* sequi putavit, quum nihil ad integritatem Eberhardi carminis desit, siquidem *carmina* illa *Anonymi in Mariam* nihil aliud sint, quam *Exempla Metrorum* docendi causa ab *Eberhardo* ipso composita, quae extant apud Leyserum p. 845. seqq. hoc initio: „*Fac Maria | Coecis via*“ etc., quibus Grammaticus quidam ad metra docenda usus est, cujus opusculum extat in cod. *Marburgensi* Class. I. A. 4., e quo exempli causa nonnulla attulit Vir Cl. Carol. Frid. *Hermann.* in *Analect. Catal. codicum bibliothecae acad. Marburg.* p. 9. seqq. Unde ex his, quae nos modo diximus, compleri possunt ea, quae *Hermann.* l. c. praetermisit. Error autem Adriani inde ortus est, quod librarius inter versus 422. et 423. majus spatium reliquit, quo exempla Eberhardi a praeceptis poeticis discernerentur. Explicit autem codex Giss. aliter atque exemplum Leyser. „*Mala sunt vitiata petendis Simplicibus quia simpliciter mea carmina scripsi Jure me lector ignoscere debes eclipsi.*“ Inscriptio est: *Laborinthus poeta et orator de ritorum scolarum bremiensis magister parisiensis laboribus honorisque de oratorum et poetarum instrumentis et stilis propriis incipit feliciter.*“

2) Eberhardi Betuniensis Graecista, fragmentum codicis.

In pervetusti cujusdam libri bibliothecae acad. Giss. Nr. 278. vet. ord. tegumento casu incidi in *duo folia membranacea* libro ipsi a bibliopega agglutinata, in quibus, quum argumentum eorum diligentius pervestigarem, perspexi pauculas reliquias *Eberhardi Graecistae s. Graecismi* i. e. carminis metrici *de figuris deque octo orationis partibus* cum commentario, maximam partem secundum *Artem Donati* compositi. Sed doleo, quod hujus codicis reliquias aliquantulum vetustate consumptas non cum editione aliqua conferre potui, quoniam exempla edita perrara sunt. Vid. Leyser Histor. poet. etc. p. 795. Contuli tamen eas cum codice quodam *Darmstadino*, in quo carmen illud grammaticum integrum extat, e qua comparatione unum illud perspicere potui, *Gissensis* codicis

reliquias e multo meliore codice expressas esse, quam *Darmstadinum*, in quo integri versus desunt, qui in reliquiis istis codicis Giss. extant. Sed quod editione careo, pro exemplis variarum lectt. reliquias illas integras cum *commentario* hic afferam. In alio codice *Darmstadino*, in quo *Joh. de Garlandia mysterium ecclesiae* extare supra p. 86. diximus, dimidia fere hujus carminis particula reperitur.

Fragmentum codicis Gissensis, quo *Eberhardi Graecismi* particulae quaedam continentur.

a) Fol. 1. pag. anterior coll. cum cod. *Darmstad.* Nr. 21. fol. 34 b.
Titulus est *de Neutris.*

[*Pabula sunt hominis, sed pascua dic animalis* — cod. Darmst.]
*Pascua non tamen hiis diversificatur origo.*

*Pabulum* et pascua dicuntur, quia pabulum est cibus hominis, sed *pascua* est cibus peccorum et in singulari est feminini generis et in plurali neutrius generis: *pascua sola datur et pascua plura dabuntur* et utrumque dicitur a *pasco, is.*

*Atria dic aulas, eadem cimiteria dicas*
*Et loca sacrorum dicas capud* (capu*t* Darm.) *atrio primum* (prim*i* Darm.)
*Ad* (*et* Darm.) *reliquis atrium proprie dicatur origo.*

*Atrium* significat tria. Primo est spacium in aula aut in domo et dicitur ab *a*, quod est *valde*, et *tero, is*, quia cum pedibus teritur: ps: *In atrio domus tue*, ergo est *cimiterium* v *Pro lege dispositas cinerosa per atria terras.* Cinerosa atria i. e. cimiteria. Tertio est pavimentum templi et pro hiis ultimis significationibus dicitur ab *atrum*, quod judei cremabant sacrificia et gentiles funera.

*Labra* (*labia* Darm.) *virorum, sed labia sunt mulierum,*
*Vel dicas, melius quod erit, dic inferio*
(Darm. *Sed dicas quod erit melius sunt inferiora*)
*Labia, labra quoque contra dic esse suprema*
(Darm. *Labia sed labra quoque dicatur superiora*)

*Labrum* et labium dicuntur, quia *labrum* est virorum, a *laboro*, quia mendaces laborant cum labiis vel cum ore nequitiam: ps: *Labor labiorum ipsorum operiet eos; labium* autem est mulieris, quia lubrica sunt ad garrilandum et menciandum. *Salomon: labia mulieris melle dulciora, sed novissima ejus amara.* Aliter *labium* est inferior pars oris et *labrum* superior et unum ponitur pro altero: ps: *Domine labia mea operis*, non oris, quia jam garriunt, sed cordis, quia non garriunt.

*Est unguen* (ungue*m* Darm.) *simplex, unguentum compositum sit* (*dic* D.)
*Unum pro reliquo sepe tamen video.*

*Unguen* et *unguentum* dicuntur, quia *unguen* est simplex unctio, facta ex uno aromate; *unguentum* autem est unctio composita ex pluribus aromatibus, ac tamen unum ponitur pro altero et utrumque dicitur ab *ungo, is.*

*Si numeras horas in nocte crepuscula dicas*
*Galli cantum* (galli cant*us* D.) *et antelucanum diluculumque*
*Conque ticinia* (ticin*a* D.) *dic sic* (si*t* D.) *intempesta deinde.*

Quinque sunt partes inc'al' noctis; prima pars dicitur *crepusculum* et dicitur a *crepero*, quod est *dubium*, quia dubitatur an sit dies vel nox. *Ast creperon dubium sit crepuscula dicas;* 2da est *conticinium* et per temesym interponitur, quia dicitur a *con* et *taceo*, quia tunc omnia debent tacere et dormire; tertia pars s. media nox dicitur *intempesta* ab *in*, quod est *con* et *tempus*, quod est *oportunitas*, quia nulla oportunitas operandi, quod psalmista ! (sic cod.) negat dicit: *media nocte surgebam ad confitendum tibi.* Quarta

est *gallicinium* i. e. cantus gallorum et dicitur a *gallus* et *cano, is.* Quinta est *antelucanum* et dicitur ab *ante* et *lux,* quia est ultima pars noctis ante lucem diei; postea fit *diluculum* prima pars diei et dicitur a *dies* et *luceo, ces* vel a *dian,* quod est *clarum* et *luceo, ces,* quia clare lucet, vel dicitur, quia diei . . . . . .

*Da scrinium, cui vis, sed da sacraria templis,*
*Gazarum* (gazarium D.) *proprie sunt gazophilacia* (gazophisacia D.) *regis.*

*Scrinium, sacrarium* et *gazophilacium* dicuntur, quia *scrinium* est conservatorium cujuslibet regi et habent pauperes et divites et dicitur a *scrinium,* quod est *suo* et *neos* novum, quia servat nova et bona. *Sacrarium* autem est conservatorium sacrorum instrumentorum et librorum et dicitur a *sacrum* et greco. *Gazophilacium* autem est conservatorium, in quo reges servant suas gauzas i. e. thezaurum et dicitur a *gauza,* quod thesauros et *philos* servare. Est etiam t'nc[9] ecclesiarum, in quo ponuntur oblades.

*Est tibi delictum* (dilictum D.), *si non facias facienda;*
*Sit tibi peccatum, facias si non facienda.*

*Delictum* et *peccatum* dicuntur, quia *delictum* est obmissio bonorum, quod est non facere facienda, obmittere orationes et elemosina et *delinquo,* quod est *pecco,* vel quod *delinquo* i. e. *dimitto. Peccatum* autem est operatio mali, quod est facere, quod non debet, ut occidere vel furare et dicitur a *pecco, as* vel a *peco* et aptum, quia petit agere actos non agendos. Vs. *Si quis delinquit ut paulus apostolus inquis. Qui consentit agi est reus ipse rei.*

*Balsamus est arbor, folium foli balsama reddit,*
*Balsama sunt quae de sponte linquuntur liquores* (*loquuntur de sponte liquoris* Darm.)

Nobilis arbor dicitur *balsamus,* de qua fit *folbalsimum* unguentum ex foliis fan et dicitur a *folium* et *balsamus. Carpobalsamum* autem est unguentum ex codice factum et dicitur a *carpos,* quod est *cortex* et *balsamus. Oppobalsamum* vero est unguentum.

Fol. 1., pag. aversa. (Cod. Darmstad. fol. 36 a.)

is, quod est *muto, mutas.*

*Militis est bellum fortis pugilisque duellum,* (*fortis bellum pugillumque duellum* D.)
*Pugnaque pugnantum,* (*paconum* D.) *sed praelia sunt mulierum.*
[*Rixanturque canes altercanturque sophiste* addit Darmst.]

*Bellum, duellum, pugna* et *praelium* sunt idem, sed dicuntur, quia bellum fit per milites et dicitur a *bello, as:* ps: *Et digitos meos ad bellum inter christi et demonis; duellum* autem est conflictus duorum et dicitur, quia *duorum bellum. Pugil* autem dicitur a *pugilo,* quod est *pugno. Pugna* vero est conflictus cum pugnis et dicitur a *pugnus, ni,* vel a *pugno, as; praelium* autem est conflictus mulierum et dicitur a *prae,* quod *ante* et *labrum,* quia maxime pugnant verbis, postea cum verberibus vel dicitur amplior, aris. Ac tamen unum ponitur pro altero. ps. docet: *Manus meas ad praelium et digitos meos ad bellum,* quia militia est vita hominis sic per terram.

*Lectus sanorum discumbentisque grabatum*
*Est sponsi sponseque thorus thoreum aque regum.*

*Lectus, grabatum, thorus* et *thoreuma* sunt idem, sed dicuntur, quia *lectus* est stratum est sani et dicitur *lecos* graece, quod est requies latine. Versus: *Est lectus requies* aliam dicitur, inde alli com hō sine requie; *lectus* autem participium est res lecta et dicitur a *lego, is. Grabatum* penultima producta est *lectus firmi Evangelio: tolle grabatum tuum. Grabatum* penultima correpta est *gremium.* Versus: *Pro gremio grabătum, pro lecto tolle grabātum* et dicitur a *gravatus* et *teneo,* quia pertat grabatum, vel dicitur a *gravo* et *basis,* fundamentum, quod fundamentum *gravati* i. e. *infirmi; thorus* est lectus disponsationis et dicitur, quia totus rubeus, quia cum purpura quondam rubebat,

quae alio nomine dicitur *thalamus:* ps: *Et ipse tanquam sponsus procedet de thalamo suo; thoreuma* vero est lectus regalis et dicitur a *tornor, aris* et *oma,* odor, quia est tornatilis et bene redolet, *thornator. dresel, torno, as, ich treg.*

*Fertur ab humet* (humor D.) *humus, sed tellus a tollerando,*
*Terra, quod feritur a solidoque solum.*

Quatuor nomina significant terram, humus et terra et dicitur ab *huméo, es,* quia quandoque rigatur et humet; *tellus* est idem et dicitur a *tollo, as,* quia inter elementa terra tollat omnia et plures labores; vel dicitur *tellus,* quia tollit super se animalia vel quia tollitur aliī ut pulvis; *terra* autem est idem et dicitur a *tero, is,* quia teritur pedibus aut blancitum vel cum arator. *Solum, li* sub tm̄ est terra et dicitur a *solidus, da,* quod est firmus, vel dicitur, quia inter cetera elementa terra est solida vel dura vel factum est unicum, inde fit *solitarius,* i. herimita, anacoricus, quae sunt eisdem.

*Rex solium, doctor catedram* (ca*th*edr. D.) *judexque tribunal*
*Possidet hoc* (*hac* D.) *praesul sedem,* (*sedem presul* D.) *praetor, corule* (*curile* D.)
*Obtinet acusans* (*accusans* D.) *sugestos,* (*suggestus* D.) *castra senatus*
*Navita* (navi*d*a D.) *transtra tenet, dictator rostra tenebit,*
*Gentis inmumere,* (*ac* mun. D.) *nomen generale sedile.*

Undecim nomina significant *subsellium* i. e. sedem soli, unde est sedes regia, unde *super solium david* et dicitur *solium* a sol, quia radiant cum avibus et gemmis sicut sol et dicitur solis radium quia te dicta est sedis doctrinalis, quibus super *catedram* moysi sacra sunt M. . . . et phariseorum et dicitur a *categoriso,* quod est *praedico. Tribunal* est sedes judicis ps: *Omnes stabimus ante tribunal christi* et dicitur a *tribuo* et *sal,* quod est sapientia, quia debet tribuere sententiam cum sapientia. *Sedes,* sedis, sellium praesulis, i. e. episcopi et dicitur *sedeo, des,* vel dicitur a *se* et *do, das,* quia dicitur quod ovibus dare Evangelio: *pastor bonus animam suam pro ovibus ponit. Corule* est sedes praetoris i. e. magni judicis, qui dat vel aufert fasas i. e. honores, cui vult. Versus: (Hor. Epist. I, 6, 53.) *Cuique volet fasces dabit eripi atque curule* et dicitur a *curo, as* et *locus,* quia locus curandi injurias. *Suggestus* est sedes accusantis et dicitur *sisann* et dicitur a *sugero,* quod est *suadeo* vel *ortor,* quia sugerit malum. *Castrum* est sedes senatoris et consulis et dicitur a *castro,* quod est *excavo,* quia multos castrant, vel dicitur a *castrum,* quia in modum castri est factum. *Sella* est sedes clerici et domicella p⁰ *hely sedebat in sua sella ante hostium* et dicitur a *se* et *laudo,* inde fit *sellium, subsellium.* Unde divina subsellia, ubi angeli sedes dei. *Transtra* est sedes navis et dicitur a *transeo,* quia transit per navem. *Rostrum* alta sedes, in qua sedet dictator i. e. navis regulator et dicitur a *rodo* et *atrum,* quia saepe roditur cum magna ignorantia nesciens quandoque, quo vadat aut quid faciat.

*Est mare sum* (*sine* D. lege *sive*) *salum pelagus, quoniam sit amarum,*
*Appello pelagus, quia* (*nam* D.) *pellit litora* (*lictora* D.) *fluctus.*

b) Fol. 2. pag. a. (Cod. Darmst. fol. 35 b.)

*a genero generas.*
*Dicitur aureale,* (aur*i*ale D.) *quoniam superponitur auri*
*Cervical cervici* (cod. D. *pulvinarque plumam*) *pulvinar eo.*
*Non aliquid per se poteris proferre licenter,*
*Non adjective pones* (*ponit* D.) *aliquid sapienter*
*Septima feste dies septemanas ebdomeda reta* (*septena ebdonedator* D.)
*Sabbata dicuntur haec tria voce parit.*
*Est eris stannum species, set stans aqua stagnum* (*stans est aqua stagnum* D.)

*Crisma sit id proprie* (crisma *fit* D.) *quod sumit christinamus* (*quod fit christianismus* D.)
*Sit quoque karisma* (car. D.) [*tibi gratia quae data gratis est* D. add. In G. deest.]
*Cauma caumati* (*set* addit D.) *spuma est cassma* (casma D.) *cassinat* (*coruscat* D.)
[*Casma femineum cetera neutra duo* D. In G. versus non potest legi.]
*Momentum praecium, momentum dicito tempus,*
*Sicut enim dicunt momentum continet istam* (istas D.).
*Momentum dicas tempore monimen momentum;*
*Hinc sepimenta proprie dicas monimenta* (Deest hic versus in D.)
*Quis moveo menum moveo dicuntur origo.*
*Si proprie attendas examen* (*camen* D.) *judicium sit.*
*Est examen apum collectio* (*collens* D.) *linguaque libre*
*Ac sonat asperius istic* (*isti* D.) *hoc lenius* (levius D.) *illi*
*Experimenta pericula sunt perio quoque fons est*
*A parios est paria sunt discernenda* . . . (Cetera legere non potui.)

pag. b. aversa.

*Est petra quod firmum rupes quoque rumpitur illud.*

---

## XI.

### 1) Alani de Insulis de Planctu Naturae liber.

Cod. Giss. Nr. LXXXIV.

B. G. XV. 32. fol.

Extat hic liber partim metro, partim prosa, ut Boethii Consolatio philosophiae, scripta in cod. Giss. supra p. 12. descripto, fol. 202—249. notis fere Minellianis instructum. Quod posteaquam cum exemplo Leyseriano p. 1045. seqq. contuli, e pessimo aliquo codice descriptum animadverti cujusvis generis vitiis ac depravationibus scatens. Unde nulla ex hoc cod. exempla attuli.

### 2) Quidam versus Alani de sancta trinitate.

Cod. Giss. Nr. LXXXIV.

Iisdem vitiis refertum est breve carmen, quod *Alani* nomine inscriptum in eodem codice post *Alani Planctum* extat, cujus modo fecimus mentionem. *Hildeberti* nomine typis expressum reperitur in Hildeberti Opp. ed. Beaugendrian. p. 1343. Indignum putavi, exempla corruptarum lectt. afferre. Incipit: „*Esse, quod est, deus est, per quem datur esse.*“

---

## XII.

Excerpta carminis satyrici, quod inscribitur

### Brunellus s. Speculum Stultorum Nigelli Wireker.

Cod. Giss. Nr. MCCLI.

B. S. Ms. 516. fol.

In eodem codice, quem supra p. 89. descripsimus, fol. 51. *Excerpta* carminis satirici *Nigelli Wireker,* quod *Brunellus* s. *Asinus* vel *Speculum Stultorum* inscribitur, de quo vid. Leyser. Hist. poet. et poem. medii aevi p. 751. Nr. LXXXVII. coll. p. 445. nr. LXIX. et p. 446. Nr. V. 1., extant, quae pertinent ad *diversos ordines religiosos* (vid. *Brunellus*

*Vigelli* et *Vetula Ovidii* Wolferbyti typis Sterniis a. 1662. p. 72—86.), quae item e duobus codd. *Stabilensi* et *reginae Sueciae* edita extant in „*Martene et Durand* Veterum scriptorum et monumentorum histor. dogmat. et moral. amplissima collectio“ Paris 1729. Tomo VI. p. 3. seqq., cum quibus excerptis codicem *Giss.* contuli eoque perspexi, excerpta illa propter catholicorum morum castitatem saepe in hoc carmine laesam valde depravata mutilataque esse, quum contra et in cod. Giss., et in duabus editionibus hujus carminis, edit. *Colon.* 1499. 4., quam e bibl. *Darmstadina*, et ed. *Welferbytana*, quam e bibl. acad. *Gottingensi* humanitate Prof. Cl. *Hoeck* commodatam accepi, turpiculi illi loci sine ulla interpolatione extent. E comparatione autem cum integra editione Welferbytana facta adhibitis variis lectt., quas e cod. *Bruxellensi* enotavit *Mone* in libro, qui inscribitur „*Anzeige für Kunde der deutschen Vorzeit* 6ter Jahrg. 1837. p. 178. seqq. [cfr. *Inventaire* de la bibliothèque de Bourgogne nr. 1703. 2706. 10084. (7.),] intellexi Excerptorum codicis Giss. nullam fere esse utilitatem criticam. Quare exempla corruptarum lectt. afferre nolui. Totum illud carmen in *prosam orationem* mutatum in cod. quodam *Darmstadino* extat. Carmen ipsum reperitur etiam Ms. in cod. *Vindobonensi* Nr. CCCXI. nr. V. v. *Endlicher* Catal. codd. philol. Vindobon.

---

## XIII.
## Excerpta e Philippi Gualteri Alexandreide.

Cod. Giss. Nr. MCCLI.

In eodem codice, in quo Excerpta *Nigelli Wirekeri Spec. Stult.* extant, reperiuntur etiam post illud Speculum *Excerpta e Philippi Gualteri Alexandreide*, de qua vide Leyser l. c. p. 764. I., quae *Excerpta moralia* dixeris, quoniam omnes illi loci e X libris collecti sunt, qui ad doctrinam morum spectant. Sed quum collatione Excerptorum codicis nostri cum edit. hujus carminis Ingolstadiana 1541. ex offic. Alexandri Weissenhornii instituta intellexissem, criticum eorum usum nullum esse, nihil varietatis lectionum enotavi. Epigramma illud, quod in ed. Ingolstad. his duobus versibus constat:

„*Insula me genuit, rapuit Castellio nomen,*
*Perstrepuit modulis Gallia tota meis.*“

in cod. Giss. plenius sic legitur:

„*Insula me genuit, rapuit Castellio nomen,*
*Perstrepuit modulis Gallia tota meis.*
*Gesta ducis Macedum scripsi, si syncopa fati*
*Inceptum clausit, abice mortis opus!*“

Varias lectt. ad librum X. e pervetusto quodam codice excerptas et emendationes nonnullas dedit Casp. Barth in Adversar. l. XXXI. c. 10., quae res fugit Leyserum. In codd. Bruxell. extat hoc carmen nr. 9963. et 10609. Vid. *Inventaire* de la biblioth. etc.

---

## XIV.
## Incerti auctoris Libellus metricus de Calliditate malarum mulierum.

Cod. Giss. Nr. LXIV.

In eodem codice, quem supra p. 75. 2, descripsimus, extat post Catalecta Virgiliana carmen medii aevi, quod in notis huic carmini a nescio quo viro docto margini adjectis inscribitur „*Libellus metricus de Calliditate malarum mulierum,*“ quod miram

quandam argumenti similitudinem habet cum *fabulis Adolphi* apud Leyser. l. c. p. 2007. seqq., quarum singuli versus saepe in notis illis carmini nostro in margine adjectis afferuntur cum aliis ejusdem argumenti fabularum locis comparati; ut *Francisci Wilhelmi* s. *Philelphi*, de quo vid. Grässe Lehrb. einer allg. Literärgesch. II. Bd. 2. Abth. 2. Hälfte p. 1113., *Doligami*, *Hugonis de deceptione mulierum*, quae carmina praetermisit Grässe l. c. p. 1106., ubi de ejusmodi scriptoribus copiose disputat. Simile carmen scripsit *Laurentius* quidam *de dissuasione conjugii*. Vid. Leyser. l. c. p. 430. Nostrum carmen, quod in iis quidem libris, quorum mihi quidem adeundi facultas fuit, nusquam commemoratum vidi, — aegre autem carui *Praxi jocandi* Francofurt. 1602. 8. — propter argumenti festivitatem integrum in append. crit. edidi. A latinitate parum commendatur. Refertum est enim et orationis et metrorum vitiis.

---

## XV.
## Incerti auctoris Carmen Facetiarum comedentium.
### Cod. Giss. Nr. LXIV.

In eodem codice, cujus modo feci mentionem, sequitur post carmen de calliditate malarum mulierum non minus lepidum carmen incerti auctoris *de Moribus mensae*, quod in notis margini adjectis appellatur *Carmen Facetiarum comedentium*, quod miram similitudinem habet cum ejusdem argumenti carmine juvenili *Johannis Sulpicii Verulani* juvenili *de moribus in mensa servandis*, quod extat in vetere edit. Boethii de Consol. philos. Paris. 1504. ex aed. Jodoc. Badii Ascensii. Nihil autem praeter argumentum similitudinis habet cum aliis ejusmodi carminibus, v. c. M. *Reineri Alemannici Phagifaceto*, quem nuper edidit Vir Ill. *Eichstädt* in Programm. univers. Jenens. 1839. Cfr. Grässe Lehrbuch einer allg. Literärgesch. II. Bd. 2. Abth. 2. Hälfte p. 703. et 706. et *Moritz Haupt* altdeutsche Blätter I. Bd. p. 281. et p. 111. Quum hoc quoque carmen, quod, quamquam ab oratione latina et metro non valde commendatur, facetiis tamen praestat, nusquam editum repererim, in append. crit. integrum typis exprimendum curavi.

---

## XVI.
## Incerti auctoris carmen quarundam nobilium quaestionum.
### Cod. Giss. Nr. LXIV.

Aliud carmen, quod in eodem codice fol. 137 b.—138. hoc initio extat: „*Quis recte rex est? se ratione regens,*“ simillimum est brevi septem versuum carmini *de sententiis septem sapientium*, quod inter *Hildeberti* Opp. ed. Beaugendr. p. 1337. reperitur hoc initio: „*Quaenam summa boni? quae mens sibi conscia recti.*“ Quum hoc breve carmen, quod in cod. Giss. extat, nondum impressum repererim, et ipsum in append. crit. integrum edidi.

---

## XVII.
## Fragmentum carminis de Musis.
### Cod. Giss. Nr. LXIV.

In eodem denique codice ad calcem fere codicis extat fragmentum carminis *de Nominibus ac ministerio Musarum* non sine quadam poetica facultate a poeta medii aevi, ut videtur, compositum, quod incipit:

*Nomina quae musis et qualia munera nimphis*
*Carmine perstricto dicere proposui.*
*Juppiter alme tuas digneris pandere natas*
*Praestent inventis participare tuis.*

Explicit autem his duobus versibus:

*Vates Melpomene dixere melos quasi dulce*
*Atque Thalia sonat de germine sive virendo.*

Quod fragmentum carminis quominus integrum in append. crit. ederem, ea res me impedit, quod alibi fortasse integrum extat.

---

## XVIII.
## Duo carmina de Juventute et Senectute.

Cod. Giss. Nr. DCCVIII.

B. G. XV. 80. fol.

*„Codex chartaceus saec. XV., in duas columnas divisus, litteris initialibus rubris, foll. 301., quorum 1. 2. 86 b. 87. 190 b.—152. et 301. vacua sunt. Continentur: a. fol. 3—86. Guilielmi Parisiensis de Fide et Legibus. — b. fol. 88—190. Guilielmi Parisiensis Rhetorica divina. — Tum sequuntur carmina duo „Juventus" et „Senectus" inscripta, lat. et german. — Fol. 3 a. possessoris nomen inscriptum est: Liber Johannis Rockenhusen; pervenit ad nos ex bibl. eccl. Butisbac."* Adrian.

Haec duo carmina posteaquam diu frustra in editis libris quaesissem, tandem mihi Vir literarum Germanicarum peritissimus *Weigand*, cujus supra in *Commentar. crit.* p. 8. feci mentionem, significavit, vetere Germanorum sermone composita e cod. optimo *Renneri* a. 1388. scripto a *Gotth. Ephraim Lessing* descripta et e schedis ejus ab *Füllebornio* publici juris facta extare in editione operum Lessingii *Lachmanniana* Berol. 1839. Vol. XI. p. 485. n. 1472. not. **). Sed quum ex hujus exempli comparatione cum Gissensi communiter facta perspexisse nobis videremur, Gissense exemplum et multo integrius esse et antiquiorem patrii sermonis colorem multo melius servasse, Latina autem, quae in eodem illo cod. *Guelferbyt.* extant, Lessingium omisisse, quod ea describere non operae pretium duxisset, nos non inutilem operam suscipere videbamur, si carmen illud et *Latino* et *Germanico sermone* expressum in *appendice critica* repetendum curarem, ut cum exemplo *Guelferbytano* posset conferri, quod si mihi, antequam hoc opus in publicum edatur, contigerit, ut per Viri Cl. *Schoenemanni*, bibliothecae Guelferbytanae praefecti, humanitatem denuo e cod. isto *Guelferbytano* descriptum nanciscar, quod eum literis de hac re adii, addam in append. crit., si quid in hoc cod. aliter legatur atque *Lessingius* tradidit. In editione operum Lessingii Karlsruensi 1824. 6. Bd. haec carmina non extant. Quae de *auctore* eorum dicenda esse videantur, vid. in ed. *Lachmann.* l. c.

---

## XIX. et XX.
## 1) Carmen rythmicum de urbe Daventria et 2) Carmen de ecclesiae beatae Mariae Trajectensis origine.

Cod. Giss. Nr. CLX.

B. S. Ms. 37. fol.

Horum carminum prius, quod est rhythmicum *de urbe Daventria,* extat pariter atque alterum in eo cod., quem supra p. 31. descripsimus fol. 24 b., et continet *gratiarum*

*actionem summo numini factam pro Daventria e variis calamitatibus erepta*, quae res quantum ex aetate codicis conjici licet, cadere videtur in saec. XV. med., i. e. in illa tempora, quibus *Belgia* maximis belli tumultibus vexata est. Supra versum extat nomen cujusdam *Johannis de Delf*, qui, dubium librarius an auctor carminis, fortasse est idem, qui, *Johannes de Wyt de Delf* dictus, decanus fuit S. Mariae Traject., conditus a. 1433. Vide Histor. Episcopatuum foederati Belgii. Antwerp. 1755. fol. T. I. p. 76. — Alterum carmen, quod est *de Origine ecclesiae beatae Mariae Trajectensis* multo emendatius cum historia ipsa extat in *Anton. Matthaei* Fundationes et Fata ecclesiarum, praesertim quae Ultrajecti et in ejusdem suburbiis et passim alibi in dioecesi libri duo. Lugd. Bat. 1704. 4. lib. I. fundatio V. Ecclesiae Mariae Trajectensis seculo XI. p. 134. et in Historia Episcopatuum foederati Belgii. T. I. p. 73. Cfr. Gualteri Chronicon Chronicorum. T. I. p. 1535. XXII. Incipit autem in cod. Giss. *Tempora cum causis templi venerabilis hujus* | *Quisquis nosse cupis* etc., qui versus Virum Cl. Adrianum in Catal. fugit, cum pro initio carminis secundum versum afferret: *Quisquis nosse cupit.*

---

## XXI.
## Hildeberti Cenomanensis Episcopi Satyra de Nummo.

Hoc carmen, quod in nullo codice Gissensi extat, ut huic opusculo interponeremus, non tam nostro consilio factum est, qui nihil alieni ei inserendum constituerimus, quam auctore et adjutore Carolo Friderico Hermanno, Prof. Philol. Marburg., biblioth. acad. praefecto secundario, magno studiorum meorum patrono, qui quum aliquando a me Gissae audisset, nonnulla me *carmina latina nondum edita* e codicibus bibliothecae academicae Gissensis huic opusculo esse additurum, in his breve carmen de *Orpheo*, quaesiit ex me, num quid certius de *Lucani Orpheo* scirem, quod me longius aliquod carmen de *Orpheo* in cod. *Gissensi* reperisse putaret, quum temporis angustiae me impedirent, quominus latius coram ipso de meo carmine *Orphico* disputarem, nequedum ipse ego diligentius id inspexissem. Extare enim dixit in codice quodam bibliothecae acad. *Marburgensis* carmen ineditum, quod maximam partem de *Orpheo* esset. Quod quum utriusque nostrum scire interesset, quam rationem illud carmen codicis *Marburgensis* cum *Gissensi* exemplo haberet, ille vir doct., qua est erga omnes humanitate liberalitateque, exemplum suum e cod. *Marburgensi* descriptum, quo id in *Analectis catalogi codicum biblioth. acad. Marburg. latinorum (Progr. ad novi prorectoris inaugurationem d. XII. M. Septembris. Marb. MCCCCXLI.)* ederet, Marburgo Gissam se mihi quam proxime mittere velle pollicitus est, ut cum nostro codice compararem et quid ex ista comparatione perspexissem, secum communicarem. Quod exemplum aliquot notis margini adjectis instructum quum, ut est ille vir doct. ad aliorum studia promovenda promptissimus, paucis diebus post accepissem cum nostroque codice contulissem, vehementer ego dolui, quod utriusque nostrum spem concidisse vidi, quum duo illa exempla, quae nos jam in duobus codd. habituros sperabamus, quo emendatissimum illud carmen ab altero utro ederetur, tantum inter se differre animadverterem, ut neutrum ullam cum altero conjunctionem habere videretur. Nam quum exemplum Marburgense multo longius, quam Gissense, circiter *mille ducentis* versibus magnam partem Leoninis constans reperissem, cujus initio quidem *vitia saeculi* inprimis *avaritiae* et *invidiae* deplorarentur (v. 1—490.), deinde autem, *quantum virtus humana valeret*, Orphei exemplo sic describeretur, ut, dum ad illius cantum audiendum fere tota natura convenisse narratur, integrum paene historiae animalium plantarumque ac siderum vocabularium comprehenderet (v. 498—805.), in extrema

denique parte ad *virtutis vitiorumque vim* describendam poeta rediret (a v. 805. usque ad finem carminis); Gissense exemplum, proh dolor! nihil aliud esse cognovi, quam notissimum illud *Epigramma de Orpheo*, cujus initium est: *„Threïcius quondam vates Fide creditur canora“* cet., quod et in *Catalectis Virgilii* extat et apud *Wernsdorf* Poet. Lat. Min. T. III. p. 396. et alibi. Sed quo minoris pretii nostrum carmen esse reperi, eo majore gaudio affectus sum, quod idem Vir Cl. Carol. Hermannus pro singulari sua erga me benivolentia amicitiaque liberaliter se mihi exemplum suum ea conditione typis exprimendum operique meo inserendum concessurum pollicitus est, si intra annum carmen illud, quod alioquin ipse editurus esset, cum codice *Lipsiensi* collatum, quem se idem carmen continere multum quaerendo ex *Leyseri* Histor. poet. et poem. medii aevi p. 2092. n. XXIV. didicisse mihi significavit, ederem, quo diversa medii aevi carmina, quoad ejus fieri posset, in unum locum collata aliquando uno volumine poetarum medii aevi secundum nostrae aetatis leges criticas instituto comprehenderentur. Horum igitur officiorum alteri, quod erat in codice *Lipsiensi* conferendo positum, ut satisfacere possem, factum est vetere amicitia et insigni erga me humanitate Viri Cl. *Mauritii Hauptii* Prof. philol. Lipsiensis, condiscipuli olim mei, ad quem quum exempli *Lipsiensis* causa literas dedissem, paulo post exemplum illud *Lipsiense* integrum partim ipsius, partim auditoris sui cujusdam philologi singulari cura ac diligentia descriptum Gissam mihi misit, adjectis etiam nonnullis utriusque notis. Cujus rei et meo et Hermanni nomine summas gratias ago utrique. Hoc autem exemplum *Lipsiense* eo mihi gratius fuit, quod in exemplo *Marburgensi* multos locos vel plane deesse, vel singulas tantum particulas eorum extare vidi, quas, ut postmodo vidi, vetustate codicis nimis detritas Hermannus legere ac describere non potuit, quod aliud exemplum melius habitum conferre ei non licuit. Unde *Lipsiensis* exempli ope lacunae istae commode expleri possunt. Ad hoc autem commodum accessit etiam illud, quod, quum in eodem codice *Excerpta quaedam ex Isidori Originibus* l. IX. c. 4—7. et l. XI. cap. 1. extent, qua de re vid. *Hermanni Analecta* p. 23., et ego horum excerptorum causa ab *Hermanno* peterem, ut mihi codicem ipsum in paucos dies Gissam inspiciendum utendumque mitteret, precibus meis lubentissimo animo satisfecit mihique sic *carminis* quoque illius inspiciendi examinandique copia facta est. In qua comparatione cum exemplo *Lipsiensi* facta laetor mihi contigisse, ut, dum acrius oculos in exemplum *Marburgense* intendo diligentissimeque exempli *Lipsiensis* ope singulas literulas contemplor, multa veteris scripturae admodum detritae vestigia in *Marburgensi* codice reperirem, quae Virum Cl. Hermannum nullo ejusmodi praesidio in describendo codice adjutum necesse erat praeterire. Aliquanto post *Theodorus Oehlerus* Moeno-Francofurtensis, vir doctissimus, qui nunc literarum causa *Bruxellae* versatur, thesaurorum *bibliothecae Bruxellensis* gnarissimus, cui jam multa praeclara antiquitatis studia debere ea, quae in Novo Museo Rhenano fasc. 1. et 2. (Rheinisches Museum, Neuste Folge Jahrg. 1. Heft 1. u. 2.) ab a. 1841. testantur, quum ab Hermanno audisset, *me proxime in opusculo meo nonnulla carmina latina medii aevi e codd. bibliothecae acad. Gissensis primum esse editurum*, magna sane comitate humanitateque ultro mihi per litteras significavit, etiam in codice quodam pervetusto *Bruxellensi* saec. XII. exemplum hujus carminis extare, quod si habere vellem, parvo se mihi pretio descripturum pollicitus est. Haec pollicitatio quum non ingrata mihi veniret, rescripsi, ut quam proxime promisso suo satisfaceret. Quod negotium quum voluntate mea in se suscepisset, paulo post exemplum codicis *Bruxellensis* tam diligenter accurateque descriptum ad me misit, ut ne literula quidem deesse videatur. Est codex *Bruxellensis* Nr. 17018., qui nescio uter sit e *duobus codd. Bruxellensibus* Nr. 9800. et 10701., quorum notitiam mihi nuper Hermannus benevole per literas fecit, qui se hos

*duos* carminis sui codices in bibliotheca *Bruxellensi* extare a viro quodam docto, dum per proxime superiores ferias autumnales Bruxellam quasi praetervolando viderit, cognosse dixit. *Oehlerus* quidem de *uno* tantum *codice Bruxell.* Nr. 17018. olim retulit, quem mihi postea descripsit. Qui quum satis antiquus esset, sic mihi a bonis codd. instructus esse videbar, ut ultra rem persequi nollem. Videntur tamen etiam plura alia ejusdem carminis exempla in aliis bibliothecis extare. Nam *Leyserus* quidem in Historia poetar. et poem. medii aevi p. 410. Nr. XXXI. *Hildeberti* Episcopi Cenomanensis carmina enumerans codicesque eorum indicans commemorat etiam „*Hildeberti Episc. Cenom. carmen de Nummo*" ex codice *Godfridi Prioris S. Swithini Wintoniensis*, quod ipsius esse asserat *Baleus*, manuscriptum extare in *Collegio Corporis Christi* in *Oxonia* nr. 255. 5. coll. *Catal. MSS. Angl. et Hiberniae* p. 55. nr. 1722., quod equidem non dubito, quin idem sit atque nostrum, cujus initium usque ad v. 206. e cod. *Elnonensi* olim, postea *Parisino Reg.* nr. 274. *Beaugendrium* in *Hildeberti* Opp. Paris 1708. fol. p. 1329. seqq. edidisse post Hermannus mihi per literas indicavit, quam ipse ab amico suo quodam docto de hac re certior factus est, quam fugisse se tum, quum Catal. codd. bibl. acad. Marb. latin. part. posteriorem ederet, ubi Cl. IV. D. 2. d. p. 13. de hoc carmine paucis egit, ipse in *Analectis* hujus Catalogi p. 26. modeste confitetur. Cfr. *Polyc. Leyser.* Hist. poet. medii aevi p. 409. n. XXV., ubi quum varia Hildeberti *poemata* inter bibliothecarum *Elnonensis, Camberonensis, Parcensis* Codices MSS. ab Antonio Sandero bibliotheca MSS. Belgica recenseri tradit, haud scio an unus ex codd. istis *Elnonensis* idem sit, e quo *Beaugendrius* l. c. initium nostri carminis edidisse se testatur. *Oehlerus* denique significavit mihi, suspicari se carmen nostrum jam integrum typis expressum extare inter carmina *Pseudo-Ovidiana*, quae vocantur, in quorum editione quadam s. l. et a., cujus mentionem facerent *Ebert.* Bibliogr. Lexicon nr. 15491. et *Schweiger* et *Hain* Repert. Bibliogr., reperiri carmen simili inscriptione praeditum „*Ovidius de Nummo.*" Sed quum ego ipse e bibliotheca *Darmstadina* eandem editionem s. l. et a. inspiciendam accepissem, qua *Oehlero* uti non licuit, suspicionem istam irritam factam vidi, quum carmen illud *Pseudo-Ovidianum* quod 50 versibus constat, nullam aliam similitudinem cum nostro carmine habeat praeter argumenti, quod est *De vi nummi;* de *Orpheo* autem nihil ibi legatur. Incipit autem *Ovidius de Nummo* sic: „*In terra summus rex est hoc tempore nummus*
*Nummo mutatur res nunc et ei famulatur.*"
Explicit: „*Sed qui consumi poterit cito gloria nummi*
*Ex hac esse scola non est sapientia sola.*"

Haec autem quatuor codicum exempla quum diligentissime inter se contulissem, permirum mihi illud visum est, quod, quum tres nostri codd. *Bruxellensis, Marburgensis, Lipsiensis,* quorum exempla integra habemus, singulis verbis tantum ac versiculis librariorum erroribus omissis inter se differant, in *Elnonensi* cod., e quo primus initium hujus carminis edidit *Beaugendrius,* neque integrum carmen extare vidi, et plurima eorum, quae in edit. *Beaugendriana* reperiuntur, non singulis verbis tantum a nostris codd. vehementer discrepare, sed etiam sententiis versuumque ordine, sic ut exemplum illud *Elnonense* vel e perquam interpolato ac mutilato codice descriptum, vel ipsum a pio quodam monacho de industria corruptum esse videatur, de qua re postea copiosius disputabimus. Multo difficilior alia mihi quaestio videtur, quae est *de auctore carminis deque fonte, unde sua hauserit, investigando,* quam mihi partem nimium literis meis tribuens copiosius exsequendam demandavit Vir Cl. *Hermannus* in *Analectis* Catalogi p. 28., quod negotium vehementer vereor, ne non satis recte administraturus sim, quum neque a codd., nec a carmine ipso multum praesidii petendum esse videatur, quum non omnes codd. eandem inscriptionem prae se ferant, sed in aliis nulla, in aliis diversa sit inscriptio. Nam in

cod. *Elnonensi* quidem carmen illud *Hildeberto* Episcopo Cenomanensi tribuitur hac inscriptione: *„Versus Cynomansis Episcopi de Nummo s. satira adversus avaritiam,"* quacum fere convenit inscriptio codicis *Oxoniensis* apud *Leyserum* l. c. *„Hildeberti Episcopi Cenomanensis carmen de Nummo,"* siquidem idem carmen est. Haec autem inscriptio movisse videtur *Amperium (Ampère)* Gallum ut in libro, quod Gallico sermone compositum inscribitur: *Histoire litéraire de la France avant le douzième siècle,* Paris 1840. 8., T. III, p. 453. scriberet: *„une autre poésie satirique, dont Hildebert est l'auteur, est dirigée contre l'avarice universelle; elle est intitulée de nummo. Le titre fait penser au dit des monnes sous Philippe-le-Bel; mais ici la satire est plus générale, elle s'étend à toute la corruption, à tous les desordres, dont l'argent est le principe"* etc. In *Lipsiensi* autem codice, qui extat in *bibliotheca* Lipsiensi *Paulina* s. *academica* Nr. 1306. fol., inscribitur hoc carmen *„Incipit suum q'd* (num *suave quidem*) *virtutis opusculum Mamucii,"* non *Mauricii,* ut *Leyserus* p. 2092. e *Joachimi Felleri* Catal. bibl. Paulinae Lips. p. 299. n. 29., ut videtur, p. 2092. retulit. Quis autem ille sive *Mamucius* sive *Mauricius* fuerit, ignoro, quum pluribus poetis medii aevi nomen *Mauritius* fuerit. Vid. *Leyser* p. 424. nr. XLVI. p. 497. nr. LXXVIII. p. 788. nr. IX. Mirum tamen est, quod etiam aliud *carmen de Missa,* de quo vid. supra p. 85. n. V. in aliis codd. *Hildeberto,* in aliis *Mauritio* cuidam *Senonensi* vel *Petro Mauritio* Venerabili tribuitur, vid. *Leys.* p. 424. XLVI. In *Marburgensi* codice denique ac *Bruxellensi* saec. XII., quae aetas non multum ab auctoris ipsius aetate videtur abesse, nulla prorsus inscriptio extat. Neque in carmine ipso auctor quidquam de se ipso prodidit, nisi quod et orationis vitia et quantitatis ac sententiae permultae Christianum eum poetam medii aevi saeculi fere XII. fuisse produnt, quem nescio quibus rationibus motus *Oehlerus* in epistola quadam ad me data in *Flandria* vel in *Francia septentrionali* quaerendum esse suspicetur. Quae quum ita sint, valde difficile est dicere, *a quo poeta Christiano medii aevi hoc carmen sit profectum. Hildeberti* illud esse propterea non admodum improbabile est, quod et orationi ejus convenit et idem quum multis aliis in carminibus, tum inprimis in eo, quod est *De exilio suo avaritiam* atque *invidiam* perstringit, quae fere summa nostri quoque carminis est. Multo autem difficilior est altera quaestio, quam idem Vir D. *Hermannus* mihi in *Analect.* Catal. l. c. instituendam proposuit, *de indagando fonte, unde ea, quae de Orpheo sunt quaeque maximam partem carminis complectuntur, hausta esse videantur.* Nam quum in quibusdam locis *juniorum grammaticorum* et *medii aevi scriptoribus* carmen *Lucani,* veteris illius poetae Romani *Orphei* nomine inscriptum commemoretur ex eoque vel singuli versus, vel verba, vel sententiae afferantur, Vir Cl. *Hermannus* in *Analect.* Catal. p. 28. confessus est, fuisse quum suspicaretur, *se illud carmen ipsum in cod. Marburgensi reperisse, sed quaecunque ex illo afferrentur, frustra se in suo carmine quaesisse.* Quam posteriorem sententiam Hermanni, in qua omnis vis argumentandi ac concludendi videtur esse posita, omnibus testimoniis in utramque partem hic afferendis examinandisque primo loco persecuturi sumus. Ac primum quidem quod *Hermannus* de *Lucani Orpheo* se olim suspicatum esse confitetur, de quo l. c. conferri jubet Lil. *Gyrald.* T. II. p. 239., *Fabric.* Bibl. lat. T. II. p. 150., *Weichert* de L. Varii et Cassii Parmensis vita et carminibus p. 296., quibus addi potest is, quem alio nomine laudat, *Berger de Xivrey traditions tératologiques* Paris 1836. 8. p. 20. et 238., id non tam ad totum carmen referri voluisse videtur, quam ad eam partem, quae est de *Orpheo.* Nam quum *Lucanum,* quem carmen *Orphei* nomine inscriptum composuisse collatis illis *juniorum grammaticorum* et *medii aevi scriptorum* testimoniis vix dubitari posse videatur, admodum verisimile sit, hanc solam fabulam tractasse, non *carmen morale,* quod vocant, *de corrupto statu seculi,* quod argumentum ut primarium noster sibi poeta sumpsit,

qui bipertitum illud carmen fecit, cujus in priore parte vitiorum turpitudinem, inprimis avaritiae ac livoris exemplis ab antiquitate mutuatis deploraturus esset, in altera virtutis artiumque vim describeret Orpheique exemplo illustrare aggressus esset. Quod exemplum ut copiosius persequeretur, quam cetera, eo maxime adductus potest videri, quod in tractando eo medii aevi poetae et Gallici et Anglici valde sibi placuisse videntur, cujus rei rationem recte mihi exposuisse videtur *Ferdinand Wolf* in libro, qui inscribitur: „*Ueber die Lais, Sequenzen und Leiche.* Heidelberg 1841. p. 239. not. 74. coll. p. 11. et 55.," qui quum narrasset, praeter multa alia carmina vetere *Anglorum* lingua conscripta extare etiam apud *Ritson* anc. eng. metrical Romances Vol. II. p. 248—269. carmen, quod inscriberetur: „*Lai d'Orphei,*" haec verba adjecit: *das Lai d'Orphei hatte auch eine jener altclassischen Mythen zum Gegenstande, die ihrer inneren Verwandtschaft mit dem mittelalterlichen Volksglauben wegen bald volksthümlich und in Volksliedern besungen wurden; the romance of Orfeo and Heurodis, sagt Walt. Scott (Poetical Works,* Vol. II. p. 284.) *in which the story of Orpheus and Eurydice is transformed in to a beautiful romance, tale of faëry, and the Gothic mythologis engrafted on te fables of Greece. Wie frühzeitig diese Fabel volksthümlich wurde, beweist eine Stelle des im 10. Jahrh. lebenden Tegernseeer Mönchs Froumunt (vgl. Jacob Grimm's Reinhardt Fuchs S. 2. und Schmellers lat. Ged. des 10. und 11. Jahrhund. S. 225. ff.). Er sagt nämlich in einem Gedichte ad Peringerum Abbat. Tegernseensem (bei Petz Thes. Anecd. Tom. VI. P. I. Col. 184.), in welchem er, auf Antrieb dieses Abtes, seine lässigen Mitbrüder und Schüler auffordert, sich in ernsten frommen Gedichten in streng metrischen Formen zu versuchen und sein hier gegebenes Beispiel nachzuahmen: Si — dulcifer — fabulas possem componere mendas | Orpheus ut cantans Euridicen revocat etc. Selbst noch das mittelenglische Gedicht Lay of Sir Orpheo — weist auf ein Bretonisches Volkslied zurück, das davon gesungen wurde: — That lay Orfeo is yote | Gode is the lay, swete is the note — bei Ritson III. p. 336. Dass aber auch eine altfranzösische Bearbeitung davon existirt habe, beweist ausser dem im Texte angezogenen („Lai de Graelent in Poesies de Marie de France* pp. *Roquefort 1,* p. 486.: *Nas d'iaus ni noise ne ni tenche | Le lai lor sone d'Orphoy*" Wolf p. 55.) *noch folgende Stellen:*

*Com Alpheus ala harper*
*En infier, por sa femme traire*
*Apolins fil si deboinaire,*
*Kil li rendi par tel convent,*
*Sele ne saloit regardant.*
*Femme est tous iors plainne dea vie*
*Regarda soi par mes prisie.*

*Romans de Sept Sages herausgegeben von A. Keller* p. 2. *und Guillaume Machaut (st.* 1370.) *in seiner Bearbeitung dieser Sage (Histoire d'Orphée et d'Euridice, bei Sinner, Extraits de quelques poésies du XII. XIII. et XIV. siècle. Lausanne 1759. 8. p. 35—36. Jai son lay maintesfois vu | Et l'ai de chief en chief leu. Die in Jean Sennebiers Catalogue raisonné des mss. conservés dans la Bibl. de la ville et république de Genève 1779. 8. p. 433. MSS. franc. Nr. 179. IV. angeführte Description de la descente d'Orphée aux Enfers lorsqu'il alla pour y chercher sa femme Euridice, en vers; ist aber wahrscheinlich nichts anderes als die erstgenannte Bearbeitung Machauts.*" E *latinis* medii aevi *poetis* nullum novi, qui sibi longiore carmine *Orphei* res persequendas sumpserit, siquidem nostri carminis auctorem, ut jam supra significavimus, *Orphei* res non singulari studio tractandas sumpsisse, sed tantum virtutis artiumque vim *Orphei* exemplo probare voluisse putandum est. Quantum

autem sit id, quod illi *poetae* medii aevi *Anglici* et *Gallici* antiquo illi *Lucani Orpheo* debeant, si quidem statuamus hoc quoque carmen ab antiquo quodam carmine esse depromptum, quod in hac quidem causa *Lucani* fuisse putamus, incertum est, quum illi medii aevi poetae tantum in componenda illa fabula ab antiqua narratione deflexisse videantur, ut vix eam qualis olim fuerit agnoscas. Nam *Anglicum* quidem *carmen*, quod inscribitur *Lay of Sir Orpheo*, quod apud *Ritson* l. c. extat, nullam fere similitudinem cum antiqua illa fabula habere per literas mihi exemplis ex isto carmine additis, quod ipse libro carebam, quum hanc rem tractarem, benevole indicavit *Hermannus*. *Gallicum* autem *carmen*, quod extat apud *Sinner*. l. c., quam rationem vel cum *Anglico* vel cum nostro *Latino* habeat, nescio, quum neque ego, neque *Hermannus* multum quaerendo nancisci id potuerimus. Sed in nostro carmine, quamquam non totum est de *Orpheo*, vestigia veteris illius *Lucanei carminis* relicta videntur. Nam mirum sane est illud, quod comparatis quamvis paucissimis veteris illius ac genuini, ut videtur, carminis *Lucanei* reliquiis unus certe versus in nostro carmine reperitur, qui miram quandam similitudinem cum uno ac dimidiato versu veteris *Lucani Orphei* habet, quem *Servius* ad Virgil. Georg. IV, 493. his verbis inducit: *Lucanus dicit in Orpheo strepitum factum redeunte Eurydice ob hoc quia*

— — — — „*gaudent a luce relictam*
*Eurydicen iterum sperantes Orphea manes.*"

Idem versus prope iisdem verbis in *nostro* carmine v. 997. sic se habet:

„*Sed quia sic iterum sperabant Orphea manes.*"

Hac permira unius versiculi similitudine diversorum carminum propemodum adducor, ut suspicer, *poetam nostrum Christianum medii aevi in manibus habuisse antiquum illud carmen Lucani Orphei nomine inscriptum*, quod scriptoribus medii aevi etiam cognitum lectitatumque fuisse eo conjici licet, quod ab medii aevi scriptoribus non solum mentionem ejus fieri videmus, sed etiam integri versus ac singulae res ex eo afferuntur. Reperiuntur enim apud *Aldhelmum* scriptorem saec. VIII. Anglicum in libro *de re grammatica et metrica* ab Ang. Majo in Auct. Class. Vol. V. edito p. 545. hi duo versiculi *numeri Trochaici* docendi causa e *Lucani Orpheo* his verbis allati „*Trochaicus: stamen*] ut *Lucanus de Orpheo:*

„*Nunc plenas posuere colos et stamina Parcae*
*Multaque de latis haeserunt saecula filis*"

quorum versiculorum etsi non verba, sententia tamen eadem in nostro carmine v. 991. his verbis expressá extat:

„*Flectuntur Furiae mutantes fataque Parcae:*
*Quae rupisse dolent fila legunt hilares.*"

In *tractatu* autem *incerti scriptoris Christiani*, qui paulo post *Anastasium* vixit, *de monstris et belluis*, quem primus e cod. *Paris. Reg.* edidit *Jules Berger de Xivrey* in libro, qui inscribitur „*Traditions tératologiques ou récits de l'antiquité et du moyen age en occident sur quelques points de la fable du merveilleux et de l'histoire naturelle publiés d'après plusieurs manuscrits inedits grecs, latins et envi eux français. Paris imprimée par autorisation du roi à l'imprimerie royale MDCCCXXXVI.* 8vo. (cfr. Grässe Lehrb. einer allg. Literärgesch. II. Bd. 1. Abth. 2. Hälfte p. 537.) cujus libri usum debeo Viro Cl. *Heusingero* Prof. Medic. Marburg. non medicinae solum, sed etiam literarum antiquitatis ac recentiorum linguarum peritissimo, quem me commendatione sua adjutum hujus libri causa adire jussit *Hermannus*, qui me nescio quo meo merito mire in hoc opusculo conficiendo omnibus literarum librorumque praesidiis adjuvit. In hoc igitur *Bergeri* libro p. 238. cap. VII. de *Pantheris* haec extant: *Pantheras* — *quidam mites*,

*quidam horribiles esse describunt, quas Poeta Lucanus ad lyram Orphei cum ceteris animantibus et bestiis a deserto Thraciae per* (cod. *pro*) *carmen miserabile provocatas cecinit, dum ipse tristis esset; et moerens* (cod. *merens*) *ad undam Strymonis raptam Eurydicem* (cod. *Eridicem*) *lacrymabili* (cod. *lacrim.*) *deflevit carmine.*", quo loco *Bergerus* nota 3. haec addit: *Il est encore ici question du poëme d'Orphée, comme au chapitre VI. de la première partie. Voyez la note 5. de ce chapitre. Mais on trouve en effet dans la Pharsalie, ainsi que l'observe Buffon, le mot pardus: l'impetuositée de César est comparée à cette de cet animaux:*

*Ut primum cumulo crescente cadavera murum*
*Admovere solo: non segnior extulit illum*
*Saltus et in medias jecit super arma catervas,*
*Quam per summa rapit celerem venabula pardum.*

*Lucan. Phars. l. VI, 180.*" Sed non est verisimile, id quod suspicatus videtur *Bergerus*, auctorem hujus tractatus ad hunc *Pharsalicorum* locum respexisse, sed carmen de *Orpheo* intellexisse, quum idem auctor p. 20. haec habeat, quae nullo pacto ad locum quendam *Pharsalicorum* referri possunt, quum nihil prorsus simile in iis extet: „*Fauni — silvicolae homines — Quos poeta Lucanus secundum opinionem Graecorum ad Orphei lyram cum innumerosis ferarum generibus cantu deductos cecinit.*" Quo quidem loco *Bergerus* rectius haec notavit: „*On ne trouve point de semblable énumération dans la Pharsale. Il est evident que l'auteur parle ici du poëme, que Lucain avait composé sur l'Orphée, et dont il existe plusieurs témoignages au commencement de l'édition d'Oudendorp. Lugd. Bat. 1728. in 40. Dans la vie de Lucain ex commentario antiquissimo on lit: Certamine pentaterico acto in Pompeji theatro laureis recitante Nerone fuerat coronatus et ex tempore Orphea scriptum in experimentum ingenii ediderat.*" — *On purrait supposer qu'il y a quelque réminiscence de ce poëme de Lucain dans l'epître de Claudien ad Serenam, ou les animaux sauvages apportent des présents de noce à Orphée, que Claudien appelle leur poëte suo vati, mais il n'y est point question de Faunes. Voyez les notes du chapitre XLIX.*" De *Faunis* quidem sane ne in nostro quidem carmine quidquam extat, sed de *panthera* sermo est versu 652., quamquam nihil ibi de ferocitate ejus poeta dixit, versu autem 651. sec. cod. Marburg., 637. sec. Bruxell. et Lips. de *pardi* ferocitate hic versus reperitur:

„*En leo magnanimus, grande patens elephas*
*Et qui permotus ruit in venabula pardus.*"

Quum autem hae duae bestiae *pardus* et *panthera* saepius inter se confundantur, facile nostri quoque carminis compilator utramque bestiam permiscuisse potest videri, unde hic quoque versus suspicionem nostram confirmare videtur, poetam nostrum pariter atque auctorem illum *tractatus de bestiis* apud *Berger.* e *Lucani Orpheo* multa hausisse. Alias genuini *Orphei Lucani* reliquias certo nomine laudatas nondum adhuc reperi, nisi forte huc referendus sit versus quidam de Eurydice, quem Servius in IV. Georg. l. c. ex Ovidio affert: „*Bis rapitur vixitque semel,*" qui quum in iis quidem Ovidii carminibus, quae nos quidem integra habemus, non reperiatur et optime in *Lucani Orpheo* extare potuit, haud scio an a Servio memoriae errore *Ovidio* tribuatur. Distichon autem quoddam, quod *Vincentius Bellovac.* in *Speculo Doctrinali* lib. IV. cap. 162.: *De cupiditate secundum poetas*, ut *Lucani* affert:

*Nemo nimis cupide rem sibi desideret ullam*
*Ne, cum plus cupiat, perdat et hoc, quod habet.*

quamquam argumento ex Lucani Orpheo desumptum esse potest, per metrum tamen huic carmini non magis convenit, quam Pharsalicis, neque in ulla editione Lucani illud a viris

doctis enotatum reperi. Sed hae ipsae paucae reliquiae in suspicionem me adduxerunt, *esse haec vestigia antiqui illius carminis Lucani de Orpheo, quo poeta aliquis Christianus medii aevi pius ac religiosus usus sit ad suum carmen alienis coloribus exornandum detractis vel additis iis, quae ei ad suum consilium minus pertinere viderentur.* Huic suspicioni meae confirmandae possem etiam illud addere, quod *ea nostri carminis pars, quo quasi tota natura ad Orphei cantum audiendum convenisse narratur* (v. 499—725.), *tantam habent cum loco quodam Lucani Pharsal. lib. IX, 700—941., ubi Libyae pestes serpentinae describuntur, similitudinem, ut hanc nostri carminis partem ex Lucano expressam putem, Lucanum autem ipsum sui carminis de Orpheo, in quo easdem fere descriptiones pestiferorum serpentium factas esse admodum probabile est, tam memorem fuisse, ut ea in Pharsalicis vel ad verbum, vel certe sententiis repetiverit, quoniam in utrumque carmen optime quadrarent,* id quod et Graecos et Latinos poetas saepe factitasse constat. *Claudianum* quidem in *Epistola ad Serenam,* cui addi potest initium libri II. *de raptu Proserpinae,* imitatum esse carmen illud *Lucani* de *Orpheo* non incredibile est, praesertim quum nostrum quoque carmen miro saepe modo in describendis animalibus, quae se ad *Orphei* cantum audiendum congregaverint, cum *Claudiano* consentire reperiatur. Quid quod *Hildebertum* ipsum non minus, quam alios et *medii aevi poetas* et *recentioris aetatis* antiquioribus carminibus ad sua carmina majore doctrina elegantiaque exornanda ac commendanda usum esse ex unius carminis „*de Roma*“ exemplo non improbabiliter conjecisse videtur Vir Graecarum Latinarumque literarum peritissimus *Eschenburg* in editione operum poetae clarissimi *Gotth. Ephraim Lessing* Karlsruhe 1824. Vol. VI. p. 302. Sed ne quid suspicionis meae confirmandae gratia dissimulasse videar, non praetermitto illud, quod poeta noster sua de totius naturae concursu non minus ex *Isidori Origg. ling. lat.* lib. XII. hausisse videri potest, quam ex *Lucani Orpheo,* quem ipsum *Lucani Pharsalicis* ad excerpta sua *historiae naturalis animantium* conficienda usum esse *Lucani* versus e *Pharsalicis* crebro ab eo prolati testantur. Ex aliis autem libris sua corrasisse poetam nostrum illud quoque docet, quod et quae praeterea ex historia naturali affert, quae neque apud Lucanum, neque apud Isidorum reperiuntur, e *Vincentii Bellovacensis speculo naturali* petita videntur, cum cujus descriptionibus naturae maxime conveniunt, et ea, quae de vi musicae ad animos hominum commovendos affert, omnia e *Boethii* libro *de Musica* hausta sunt. Sed quum tota illa quaestio tum demum ad certum quendam exitum perduci posse videatur, quum felici quodam casu, id quod non incredibile est, antiquum illud *Lucani carmen de Orpheo,* quod medio aevo etiam cognitum lectitatumque fuisse supra significavimus, in externa aliqua bibliotheca vel Gallica vel Belgica vel Anglica repertum erit, nos interim satis habemus, quantum nostris literarum copiis adjuti potuimus, dixisse. Fortasse plura erui possunt ex compilationibus historicis, grammaticis et poeticis, quales sunt *Alberti van Eyben Margarita poëtica,* quae in bibl. Paulina Lipsiensi extat, *Matthiae Vindocinensis Aequivoca,* cujus exemplum MS. in bibl. Darmstadina reperi, *Jeremiae Epitoma sapientiae* et *Flores Auctorum,* in quibus permulti poetarum medii aevi loci afferuntur. Apud *Vincentium* autem *Bellovacensem* in diversis *Speculis* et apud *Joannem Salisburiensem* in *Polycrat.* nullum locum reperi, qui ex *Lucani Orpheo* haustus esset. Quod denique ad exemplum *Elnonense* mutilatum multumque, ut videtur, interpolatum attinet, ne haec quidem quaestio, quam nos supra accuratius persecuturos polliciti sumus, ad liquidum perduci poterit ante, quam omnes codd. hujus carminis diligentissime erunt collati, unde et quid antiquissimi contineant et plurimi perspiciatur. Nam nunc quidem conjecturae tantum locus est, non argumentis historicis. Extant enim in hoc codice, qui *initium* tantum carminis usque ad v. 206. continet, permulti loci, qui in eo vel multo aliter

leguntur, vel plane desunt, vel longe alio denique ordine sequuntur, quam in nostris tribus codd. multo, ut videtur praestantioribus, quorum *Bruxellensis* saeculi XII. non multum ab aetate poetae ipsius abesse videtur. Quam miram ego diversitatem collato loco v. 89—92., in quo manifestissima gravissimaque interpolatio latere videtur, quum eorum quidem, quae *de vi poenarum infernalium* ibi *secundum doctrinam Christianam* traduntur, in *nostris tribus codd.* nihil plane reperiatur, inde ortam censeo, quod librarius illius codicis pius fuit monachus, cui quum carmen illud non satis *dogmatis Christianis* refertum videretur, vel mutarit quaedam, quae sibi nimis gentilitatem redolerent, vel addiderit, quae deesse putaret, vel denique omiserit, quae non satis sacra ac religiosa haberet, quo in numero quum multo maxima pars, tum inprimis ea, quae est de *Orpheo*, fuisse videtur, unde illa omnia ut nimis gentilicia omiserit.

Restat, ut de *codicibus* disputemus, e quibus nos hoc carmen integrum emendatumque edidimus, quamque viam tractandi ejus ingressi simus. Atque in describendis quidem codd. maximam partem necesse est sequi auctoritatem eorum, quorum benignitati nos hos codd. debemus.

1) *Optimus* e *quatuor istis codd.*, quos supra commemoravimus, est *Marburgensis*, quem Vir Cl. Carol. Frid. *Hermannus* in Catalogo codicum bibliothecae academicae Marburgensis latinorum parte poster. Class. IV. libri theolog. D. 2. p. 13. sic descripsit: *„Codex membranaceus saec. XIII. folior. CLIX. formae quadratae A. M. anteu S. Mariae Virginis de Aulesburg. — Continet: a. Evangelia S. Johannis et S. Marci latine cum glossa; b. Cyclos paschales sine glossa; c. Glossarii latino-germanici fragmentum* [continens excerpta ex *Isidori Originum* l. IX, cap. 4—7. et l. XI, c. 1., quae idem Hermannus edidit in *Analect.* Catal. p. 23. seqq.]*; d. Collectionem carminum elegiacorum* a fol. 152. seqq. *tertia manu scriptam, quarum primae hoc principium est:*

*Destituit terras decus orbis, gloria rerum*
*Virtus mortali dicta negare mori etc.*

[Haec est nostra elegia, de qua Hermannus ipse copiosius exposuit in Analect. catal. p. 26. seqq.] *extremae autem hoc:*

*In cratere meo thetis est devicta lieo*
*Est dea victa deo etc.*

*Reliqua situ et madore hausta ex parte tantum nec satis dilucide a juniore manu restituta sunt.“* [Extremos versus Hermannus in Analectis Catal. p. 28. sic emendavit: *„In cratere meo Thetis est conjuncta Lyaeo | Est dea juncta deo,“* ubi addit *versus illos novi carminis ab antecedente diversi principium constituere, de quo tamen, quia plurima evanuerint, hoc solum dicere possit et ipsum Christianam originem habere, siquidem Phariseorum nomen in sequentibus conspicuum sit.* Hujus ego carminis plures reliquias legere potuisse videor, quare integras eas hic interponere non alienum ab hoc loco visum est. Habent autem sic:

*„In cratere meo Tetis est conjuncta lieo.*
*Est dea juncta deo . . . . . . eo*
*Nil valet is ultra nisi cum fuerit Pharisea*
*Haec duo interea sit deus absque dea.*
*Res tam diversae licet sint bona per se*
*Cum tam diverse coeunt, perdunt pariter se*
*. . . . . . . . . . . . . eo simul agnus.“*

*Tertium* carmen, quod Hermannus commemorare sprevit, quamquam et ipsum magnam partem situ ac madore confectum, nec satis dilucide a recentiore manu restitutum est, propterea omittere nolui, quod et perlepidum est et quod particula ejus e cod. quodam

post *Britonis Vocab.* a *Dufresne* in *Glossar. med. et infim. latin.* affertur v. *Mantum,* quod in *Marburg.* codice ita se habet:

*Pontificis st* } *ruma* *fex cleri sordida semper*
*Qui dedit in b* } *mihi mantellum suum.*
*Hoc indumentum tibi quis dedit? an fuit emptum?*
*Est ne tuum nostrum? sed quis dedit obsta vel oste*
*Pauper mant* } *elle* *tenuius miser sine p* } *elle.*
*Si potes exp* } *venter rabiem qui po* }
*Tunc ita mantellus: mihi nec pilus est neque vellus*
*Et facerem versum, sed Jacob, non Esau sum:*
*Cernis adesse nives, morieris tu neque vir . . .*
*Scis quid ages? primas ne pelles obstrue* } *run .*
*Istae pelliculae vix erunt secula mille,* }
*Viderunt veteres vivere pontifices;*
*Viderunt fieri quondam tu monia . . . .*
*Viderunt profugi fratri ab urbe . . . . .*
*Viderunt justi fulgentia regna. . . .*

Apud *Dufresne* l. c. hi versus extant:

*Pontificis struma, faex cleri, sordida spuma,*
*Qui dedit in bruma mihi mantellum sine pluma,*
*Pauper mantelle sum vilis et sine pelle*
*Si potes expresse frigus rabiemque procellae*
*Dixit mantellus: Mihi nec pilus est neque vellus.*

*Hildeberti* carmen de *Nummo* in cod. *Marburg.* dolendum est, quod, quum *optimas lectiones* praebeat, permultas particulas habet, quae vetustate detritae vel aegre vel plane non legi queant. Qua in re ut, quoad ejus fieri posset, summa diligentia ac religione versarer, ea, quae, quamvis paene tota evanuerint, tamen legere potuisse mihi videbar, *cursivis literis,* quas vocant, exprimenda curavi, ut, quid hodie salvum et integrum esset, dinosceretur ab evanidis.

Raro singuli versus librarii errore omissi reperiuntur. Singulae particulae carminis (Abschnitte) a librario *majusculis literis* notatae sunt, quas ipse *pinguioribus literis* in meo exemplo notandas censui. Hermanni notas, quas exemplo suo idem addidit, si qua continere viderentur, quae ad meam rem pertinerent, nomine ejus addito in notis criticis repetendas curavi.

*Integerrimus* omnium, neque tamen optimus codex est:

2) *Lipsiensis membranaceus bibliothecae Paulinae s. academicae Lipsiensis nr.* **1306.** *formae maximae, olim monasterii veteris celle sancte marie virginis, saec. XIII. vel XIV. scriptus,* ubi nostrum carmen legitur fol. 148—151. Hic codex quamquam lectionum praestantia multum *Marburgensi* cedit, nobis tamen magnae utilitati fuit, quod illi versus, qui in *Marburgensi* aetatis vitio detriti sunt, in hoc codice integri extant. Difficilioribus autem lectionibus saepe faciliores suppositae videntur; graviores interpolationes non reperi. Idem codex propter summam versuum integritatem saepe succurrit:

3) Codici *Bruxellensi* Nr. 10718. *olim Hospitalis S. Nicolai prope Cuss ad Mosellam membran. binis columnis et characterib. minutissimis exar. saec. XII.,* ubi nostrum carmen sine inscriptione incipit fol. 1946. col. 2. Codicem esse eundem, e quo in Novo Museo Rhenano (Neues Rhein. Mus. 1841. 1, 2.) *Versus Tranquilli, Fragmentum P. Annaei Flori* cet. nuper ab Ritschelio edita sunt, addit Oehlerus. Desunt in hoc codice nonnulli versus librarii errore omissi, quos *Lipsiensis* codicis ope commode restituas.

Lectiones ejus proxime accedunt ad *Marburgensem* codicem, neque tamen glossis et aliis corruptionibus vacat.

*Pessimus* autem e quatuor istis codd. est:

4) Cod. *Parisinus Regius*, olim *Elnonensis*, Nr. 274., quem tamen quum *Beaugendrius*, qui eo usus est, non accuratius descripserit, non alia ex parte nisi ex interna describere possumus. Quod quum supra a nobis factum sit, id hic repetere noluimus.

Est igitur codicum ordo si internam eorum conditionem spectamus, hic:

1) *Marburgensis*, 2) *Bruxellensis*, 3) *Lipsiensis*, 4) *fragmentum codicis Elnonensis s. Parisini Reg.* ap. *Beaugendr.* in *Hildeberti* Episc. Cenoman. Opp.

Fundamentum autem, quo in edendo carmine nostro usus sum, est codex *Bruxellensis*, non quod integerrimus sit, sed quod *proxime accedit ad optimum codicem Marburgensem*, qui quum vetustate pluribus locis nimis detritus sit, ad carmen nostrum primum inde edendum non satis idoneus nobis visus est, sed ubicunque scriptura ejus perspicua extat, maxima diligentia lectionibus ejus ad vitia *Bruxellensis* tollenda usi sumus. E *Lipsiensi* autem codice, qui, quamvis multis vitiis praeditus sit, integerrimus tamen est omnium, eos versus restituimus, qui vel in *Bruxellensi* librarii errore omissi sunt, vel propter evanidam scripturam codicis *Marburgensis* jam non amplius legi possunt. *Elnonensis* denique codicis mutili ac vehementer interpolati fere nullus alius usus fuit, nisi ut rationem interpolationum medii aevi inde cognosceremus. Sed omnium codd. varias lectiones integras notis criticis addidi, quo critica historia textus, qui vocatur, plene cognosceretur familiaeque codicum, in quibus hoc carmen continetur, constituerentur. Praeterea notas criticas et interpretationes rariorum medii aevi vocabulorum ac locorum difficiliorum adjeci, locosque antiquiorum s. classicorum poetarum, quos poeta noster more poetarum medii aevi vel integros repetivit, vel imitatus est, significavi et omnes omnino fontes, unde poeta ille hausisse videtur, indicavi, quantum me memoria mea hac in re adjuvit. Quod quo facilius fieri posset, et ab Carol. Frid. *Hermanno* et ab *Hauptio* ejusque auditore eruditissimo aliquantulum me adjutum esse, quod *hi viri docti aliquot ejusmodi notas margini exemplorum suorum addiderunt*, quibus mihi uti licuit, postremo loco grato animo profiteor.

## B. CODICES GRAECI.

### I. ANTIQUI.

Quamquam nescio qua fortunae invidia factum est, ut, quum magna eaque egregia *Latinorum* codicum copia in bibliotheca nostra academica reperiatur, tanta tamen ejus *Graecorum* codicum inopia sit, ut exceptis aliquot recentioribus exemplis (*neuere Abschriften*) codicum, *duo* tantum *codices Graeci* iique *recentissimi* saeculi XVI. in hac bibliotheca extent, quibus *trium scriptorum ecclesiasticorum opuscula* continentur, id tamen solatii habemus, quod hi quoque pauci codd. ex egregiis exemplis descripti videntur. Sed quod in *uno* tantum codice trium scriptorum ecclesiasticorum opuscula extant, quae necessitatem quandam cum classicis scriptoribus, qui vocantur, habent, quod vel antiquiorum scriptorum exemplo composita sunt, vel in rebus versantur iis, quae antiquitati

debentur, nos quidem hoc loco de iis tantum scriptis disputaturi sumus, quae in uno illo codice reperiuntur. Est autem hic codex

Cod. Giss. Nr. DCLXIX.

B. G. (3.) 76. 4.

*„Codex chartaceus saec. XVI. elegantissime exaratus, inscriptionibus et litteris initialibus rubris, foll. 213., quorum 1—3. 148 b. 149. 150 b.—153. et 210—213. vacua sunt scriptura. Continentur:*

*a. fol. 4—148 a.*

Ἀπολιναρίου μετάφρασις εἰς τὸν ψαλτῆρα καὶ

Ἰωάννου Γεωμέτρου ἐν οἷς ἔγραψε καὶ εὐδοκία αὐγούστου καὶ δι' ἰάμβων Δωρόθεος

Ἱεροσολυμίτης.

*Ita inscriptio rubro picta. Incip.* Μακάρ ος ἀνὴρ ὃς οὐκ ἐπορεύθη: Ὄλβιος ὅστις ἀνὴρ ἀγορὴν *etc. Explic. Apollin. Metaph. psal. Dav. 151. fol. 137 a.* Περίφρονος ἰσραήλου. *Sequitur tetrastichon in Meurs. ed. Psal. Apol. p. 420. typis expressum. Ibid. incip. Metaphr. Cantic. Joannis Geometrae. Inscriptio:* Μετάφρασις τῶν ᾠδῶν ἀπὸ φωνῆς Ἰωάννου Γεωμέτρου. *Incip.* Αἰγυπτίων πόντωσις ᾠδὴ Μωσέως *etc. Explic.* Σεμνοῖς ἀβραμίδης. *Recensentur haec largius [cum exemplis] in Bibl. Uffenbach. MS. p. 481. seqq. [Quare nos plura de ista parte codicis, qua Joannis Geometrae Paraphrasis Canticorum continetur nondum, quod sciam, edita, quae valde optandum est ut tandem aliquando e tenebris in lucem proferatur, hoc loco dicere noluimus.]*

*b. fol. 148—150. Joan. Lascaris et Christophori alicujus [quem Christophorum Rufum esse suspicatur Friedländer in Censura Catal. Adrian., qui conferri jubet Bandini Cod. Laurent. II. 674.] Carmina Graeca. Ita inscriptio in Catal. Majano. Incip. carmen primum:* Ἰωάννου Λασκάρεως

Χαλκοτυποῖς σεμίσι μουσῶν ἀγὸς ἔδρακε δωρῶν
Ὠγυγιῶν Δαναὸς τὸν ποτ' ἔδειξε τύπον
Καὶ 'φ' Ἑλικωνιάδεσσι· τί μέλομεν· εἰ πάτον αὖθις
Ἤλθομεν ἡμφίων, Ἑλλὰς ἴδ' αὖ θαλέθει *cet.*

*[Graeca perquam difficilia lectu sunt.]*

*Incip. carmen secundum:*

Χριστοφόρος τῷ ἀρίστῳ καὶ σοφωτάτῳ θειοτάτῳ τε θύτη κελίῳ
Μουσοφιλῆ μὲν ἅπαντα ἔθνη τὸν θεῖον θεῦτε,
Ταινιαῖσι καμόνθ' εἵνεκα μεῦ τυχέειν·
Ἅ ψευδῆς σοφίης χρυσῆσι στέψωμέν γε
Αὐσονίων καύχημ' ἱερέων τε κλέος *etc.*

*c. fol. 154—198 a.* Τοῦ ἁγίου Ἰουστίνου φιλοσόφου λόγος παραινετικὸς πρὸς Ἕλληνας. *Ita inscriptio rubro picta. Incip.* (Α) ρχόμενος τῆς προς ὑμᾶς *etc. Explic.* Διδασκόντων ἡμᾶς. Τέλος.

*d. fol. 198—210.* Ἰουστίνου ἔκθεσις πίστεως ἤτοι περὶ τριάδος. — *In anteriori libri operculo emblema Z. C. ab Uffenbach conspicitur, cui Majus jun. haec adscripsit: Ab illustri Uffenbachio permutationis jure accepi."* Adrian.

1) *Apollinarii Metaphrasin Psalmorum* contuli cum optimo exemplo edito, quod extat in Gallandi Biblioth. Veter. Patr. Venet. 1788. fol. T. V. p. 359. seqq., e cujus exempli comparatione cum nostro codice facta perspexisse mihi videor, codicem nostrum multo integriorem emendatioremque esse, quam exemplum Gallandi, in quo et multi versus desunt, qui in nostro codice extant, et multae interpolationes eo factae sunt, quod insolentiora et magis poetica i. e. mere Homerica cum usitationibus commutata reperiuntur.

Nostri autem codicis praestantia ut ab omnibus cognoscatur, nonnulla exempla variarum lectionum hic afferamus. Non minor est praestantia alterius codicis partis, qua *Justini oratio commonitoria ad Graecos* reperitur, quam cum edit. Coloniensi 1686. fol. e *Sylburgii* ed. Commelin. 1593. cum ejusdem notis expressa contuli eoque perspexi sermonem Atticum in ea multo melius servari. Quare hujus quoque codicis pauca variarum lectionum exempla hic apponam. Coepit olim hanc orationem cum edit. Colon. Mai F. usque ad p. 106. conferre, sed quod multa praetermisit, nolui ejus excerptis exempli causa uti.

Sunt autem *exempla variarum lectt.* ex ***Apollinarii Metaph.*** sec. ed. ***Gallandi*** haec:

***Psalmus I.*** *Ὄλβιος οὐ πεπόρευται δυσσεβέων ἐνὶ βουλῇ*] *Ὄλβιος ὅστις ἀνὴρ ἀγορὴν δ' οὐ νίσσετ' ἀλιτροῖς*? — *οὐδ' ἴχνος ἐστήριξεν ἀλιτροτάτοισι κελεύθοις*] *οὐδ' ἐπὶ δὴν* (e corr. per ras.) *στήριξεν ἀτασθάλων ἴχνος ἀταρπῷ*? — v. 7. *ἀντέλλον*] *ἀντέλλων* (e corr. et ras.) — v. 9. *τελέσσει*] *τελέσσε* — v. 10. *οὔποτε τοῖοι*] *οὐ νύ τοι οἶν* (sic) *τοῖσιν* — v. 12. *οὐδέ ποτ' ἀνστήσονται ἀλεῖται*] *οὔποτ' ἀνστήσονται ἀλεῖται*? — v. 14. *πάτον*] *ὁδόν*? — v. 15. *τοὔνεκα δυστήνων γενεὴ προθέλυμνος ὀλεῖται*] *αὐτὰρ ἁμαρτινόων ὀλοῶν τρίβος αἰὲν ὀλεῖται*?

***Psalm. II.*** Tit. *ἵνα τί ἐφρύαξαν ἔθνη* — v. 4. *παμβασιλῆος ἑοῦ τε κατὰ χριστοῖο θεοῖο*] *ἀθανάτου κατέναντα κατέναντά τε χρίστου.* Inter *τε* et *τοῦ χρίστου* deest syllaba; cetera optime se habent. — v. 9. *ἀμπνείων*] *ἀμπνύων*? — *ἀτάξει*] *ἀτύξει*? — v. 13. *ἐμοῖο*] *ἐμεῖο*? — *πέλεις σύ*] *σὺ πέλεις*? — v. 18. *συντρύψειας*] *ἐκτρύψειας*? — v. 19. *συνίητε*] *συνέητε* — v. 23. *ἔσσην*] *ὕμμεν* — v. 25. *ἐγείρῃ*] *ἐγείρει*? — v. 26. *ἐπ' αὐτὸν*] *ἐπ' αὐτῷ*?

***Psalm. III.*** Inscr. *ἀβεσσαλώνιον ἐὴν λίπε κοίρανος ἕδρην μ͂ε τίε πληθήνθησαν.* v. 1. *δυσμ.*] *δισμ.* — v. 4. *προμαχίζοις*] *προμαχίζεις*? — v. 5. *γεγονώς*] *γεγαώς* — *κεφαλὴν ὑπὲρ αὐχένα*] *κεφαλὴν θ' ὑπὸ αὐχένα*? — v. 13. *ὅττι*] *ὅτι*? — *κενεαύχενας*] *κενεόφρωνας*?

***Psalm. IV.*** v. 3. *ἐπικέκλυθι*] *ἐπικλυθι* — v. 6. et 7. *Πᾶς δ' ὅσιον φράζεσθε ἄναξ ὅν ἔφηνεν ἀγητὸν Αὐτὸς ἐπουράνιος μὲν ἄναξ βοώοντος ἀκούσοι*] *πῶς δ' ὅσιον φράζεσθε ἄναξ φωνῆς ἐπακούσοι*? — *ὕμμι τετύχθω*] *ὕΘλη τετύχθω*? — v. 12. *τὸ*] om. — v. 13. *κραδίῃ*] *κραδίην* — v. 15. *φερεζώοι*] om. cum lacunae signo. — v. 16. *ἐπ'*] om.

***Psalm. V.*** *Κλῆρος λαβούσης πέμπτον*] *τῆς κληρονομούσης*? — v. 2. *ὦκα*] *ὦ* — v. 4. *ἐπακούσεται*] *εἰσακούσεται* (leg. *ἐσακ.*) — v. 10. *ἐκ*] *ἐν*? — v. 11. *ἐχθαίροι*] *ἐχθείρει.* — v. 15. *ἡμετέρην*] *ἡμέτερον*? — v. 18. *λαυκανίῃ*] *λαυκανίης* — v. 19. *μύθοις*] *μόχθοις*? — v. 21. *καί κε κατά*] *ἠδ' οὐ κατά* (num *ἤδει*?) — v. 26. *γηραίροις*] *γηραίρεις*? — v. 27. *ἄτ' εὐδοκίης*] *ἅτε εὐδοκ.*?

***Psalm. VI.*** In titulo habet *λύγρον* pro *λίγυρον* — *μ͂ε μὴ τὶς θυμοαει* — v. 1. *ἀκήρατε*] *ἀκήρατος* — v. 3. *ἐλέησον*] *ἔλησον* — v. 5. *δεδόνηται*] *πεφόρηται*? — v. 8. *πάμβασιλεῦ*] *μὲν βασιλεῦ*? — v. 9. *μνήσαιτο*] *μνήσετο* — v. 11. *ἐμῇσιν*] *ἐμῇσι* — *ἡμετέροισιν*] *ἡμετέροισι* — v. 17. *ἔσσην*] *ἔσσιν* — v. 18. *θεὸς ἔκλυεν*] *θεός* om.

***Psalm. VII.*** *Δαυίδου*] *δαυίδην*? — *ποιμένι*] *ποιμαίνι* — *ὁ δ' ἔπλετο ἕβδομος*] *ὁ δ' ἦν ἕβδομος.* In marg. additum: *μ͂ε ὁ θ͂ι μ⁸* — v. 3. *ἐφαρπάξειε*] *ἀφαρπάσειε*? — *ἐμὸν οἷά τις ἦτορ*] *οἷά τις ἐμὸν ἦτορ* — v. 25. *ἔρεξα*] *ἔλεξα* — v. 6. *κατὰ χεῖρας*] *μετὰ χεῖρας*? — v. 7. *εἴγε κακ.*] *ἤτι κακ.*? — *ἔπρηξα*] *ῥέξαι* (num metrica licentia leg. *ἔρεξα*?) — v. 8. *ἐμῶν*] *ἐμόν* — v. 9. *μεταδήϊος*] *καταδήϊος*? — v. 11. *μιήνοι*] *μιγείη*? — v. 18. *δεσμὸν*] *θῦμον*? — *ἐπιείκηλα*] *ἐπιείκεσι* — v. 22. *φυλάσσῃς*] *φυλάσσει*? — v. 25. *ἀνεξίκακον*] *ἀλλεξίκακον* (leg. *ἀλεξίκακον*) — v. 27. *φάεινον*] *φαιιον* — v. 28. *ἑτοιμότατον*] *ἔτυμος* — v. 29. *ἐπ' αὐτῷ*] *ἐπ' αὐτόν*? — v. 30. *τοῖσι δὲ καρφομένοις*] *εἷο γὰρ καρφ.* (leg. *εἷο γαρ*) — v. 32. *κύσατο*] *κύσσατο* — v. 33. *ἐξώρυξε*] *ἐξόρυξε* — v. 34. *πέσοι*] Sic supra vers. e corr.; in textu fuit *πέσει* — *βόθρον*] *μόχθον*? — v. 36. *ἐπιβήσεται*] *ὑπερβήσεται*?

*Psalm. VIII.* Titulus cum ed. convenit. Praeterea additur μὲ ο' ιῦ ἱιῦ — v. 5. ἕνεκεν] εἵνεκεν? — v. 6. ἀμύντορ ὀλέσσῃ] ἀμύντορα λύσσην? — v. 19. γενεῆς] βιοτῆς?

2) *Exempla variarum lectt.* e cod. Giss. *Justini Philosophi* λόγου παραινετικοῦ πρὸς Ἕλληνας sec. ed. *Colon.* enotata haec sunt. Pag. 2 a. l. 11. νυνὶ] νῦν? — l. 12. πλημμελὲς παρ' ὑμῶν] παρ' ὑμῶν πλημμελὲς? — l. 13. πρότερον] πρωτόγων — l. 14. φαίνοιτο] φαίνοιντο? — l. 16. καλῶς ἔχειν πολλάκις] πολλάκις καλῶς ἔχειν? — l. 23. κηρύττουσι] προκηρύττουσι? — P. 3. l. 2. παρ' ἡμῶν] παρ' ὑμῖν? — l. 3. φιλοσόφοι] οἱ φιλοσόφοι? — l. 4. ἐπαγγελλόμενοι παρ' ὑμῖν εἰδέναι γνῶσιν] εἰδέναι παρ' ὑμῖν ἐπαγγελλόμενοι γνῶσιν? — l. 8. πρότερον] πρώτερον — l. 19. λεγομένην] γενομένην? — l. 20. ἡμῖν] ὑμῖν? — l. 23. φησίν] φησί? — l. 26. ὀνομάζει πολλάκις] πολλ. ὀνομ.? — l. 32. καὶ τοῦτον] καὶ om. — l. 34. ὑπό τ' ἄλλων] τ' om. — l. 36. ὅτε μοὶ] ὅτ' ἐμοὶ — l. 38. ὑπὲρ] ὑπό? — l. 41. μετὰ τῆς] κατὰ τῆς? — l. 42. ἐπιβουλῆς] βουλῆς? — P. 3. l. 1. καὶ εἰ] εἰ om. — l. 6. ἦραν] ὥραν — l. 7. ἔρος] ἔρως — l. 12. οὐ ὅτε] οὐδ' ὅτε? — l. 13. ὅποτε] ὅποταν — l. 17. ἀπὸ Διομήδος] ὑπό διομ.? — l. 27. τρισκαίδεκα] τρείσκαιδεκα? — l. 29. οἴστρῳ] οἶστον — l. 3. τότε κέν μιν] τότε κέν περ? — l. 36. ἠλήλατο] ἐλήλατο? — l. 42. ἵστατ' Ἀπόλλων] ἵστ' ἀπόλλων. — P. 4. l. 5. ὑμᾶς] ἡμᾶς? — l. 8. τοῖς καὶ] καὶ om.? — l. 10. θεοὺς] τοὺς θεούς? — l. 14. μυθωδῶς] μυθώδη? — l. 16. ταύτην αὐτοὺς] αὐτοὺς ταύτην? — l. 23. ἀπαγγέλῃ] ἐπαγγέλλει? — l. 25. δόξαν] γνώμην? — l. 39. πάντα] τὰ πάντα? — l. 41. τῶν πάντων] τῶν ἁπάντων? — l. 45. ἔφην] φησί? — P. 5. l. 5. καὶ συμμ.] καὶ om. — l. 6. καὶ τὰς ἐν αὐτοῖς ἁρμονίας καλεῖ] καλεῖ καὶ τὰς ἐν αὐτῷ ἁρμονίας? — l. 12. οὔτε ἄλλ.] οὔτ' ἀλλ' — l. 16. φιλίαν τε καὶ νεῖκος] τε om.? — l. 18. σοφῶν, οὓς διδασκάλους ὑμῶν τῆς θεοσεβείας γεγεννῆσθαι] om. haec omnia cod. Giss. — l. 26. ταῦτ' ὑπ'] ταῦτα ὑπ'? — l. 30. μήδ' ἑαυτοὺς] μήδε αὐτοὺς — l. 36. εἶναι] om. — l. 37. τῆς] om. — l. 38. παρειληφῆναι] εἰληφῆναι? — l. 44. φασὶν] φασί — P. 6. l. 2. καὶ τὰς τούτων] τὰς supra vers. est. — l. 8. κατεληλυθώς] κατεληθὼς — l. 9. μεμαθηκώς] om. hoc verb. Giss.? — l. 14. τὴν Πλάτωνος ἀναιρεῖ δόξαν] τὴν τοῦ Πλατ. etc.? — l. 20. φασὶν] φασὶ? — l. 27. οὕτω γοῦν] οὕτως γοῦν? — l. 29. νεφέλῃσι] νεφέλῃσιν? — l. 36. αὐτοῖς] αὐτῆς — P. 7. l. 6. φησὶ τὰ πάντα εἶναι] τὰ πάντα εἶναι φήσει? — ὁ θαλῆς, πρὸς αὐτὸν φησί — l. 9. δὲ] τε — l. 12. οὐδ' ἐν τοι] οὐδὲν τοῖς — l. 16. τὸν πάντων] τῶν πάντων? — l. 20. γενομ.] γινομ.? — l. 21. ὡς ἀρχῆς] τὴν ἀρχὴν? — l. 30. ὑμῖν] ἡμῖν — l. 37. γὰρ] om.? — l. 39. ἐπιθυμητικὸν] ἐπιθυμικόν — l. 40. φησὶν] φησὶ? — P. 9. l. 1. φησὶν] φησὶ? — l. 3. ἀλλήλοις] ἀλλήλως? — l. 8. τέσσαρας] τέσσαρα — l. 13. ἀποφήνας] ἀποφήσας — l. 21. ἀλλ'] ἀλλὰ? — l. 22. αὐτῶν] αὐτῶν — περινοίᾳ] παρινοίᾳ — l. 24. γνῶναι] om.? — l. 30. φιλονεικεῖν] φιλονικεῖν — l. 38. ἐνὶ μόνῳ] ἐνὶ δὲ μόνῳ? — l. 39. πλανωμένους] πλανομένους — P. 9. l. 1. ἡμῖν] ὑμῖν — l. 6. παρὰ] περὶ? — l. 14. ἵν'] ἵνα?

---

## II. EXEMPLA MSS. AB H. MAJO FIL. EX CODD. DESCRIPTA.

## 1) Constantini Porphyrogenetae libri II. de Caerimoniis Aulae Byzantinae fragmentum.

### Cod. Giss. Nr. LVIII.

B. G. (3) 62. 4.

De hoc MS. e cod. bibliothecae Uffenbachianae descripto, qui nunc in bibliotheca Senat. civit. Lipsiens. Nr. XXVIII. asservatur, quum satis copiose disputaverit Vir Cl. Adrianus, mihi quidem nihil amplius disputandum videtur.

---

## 2) Epigrammata Graeca vetusta (Anthol. Palat.) et alia minora carmina Graeca posterioris aevi.

Cod. Giss. Nr. L.

B. G. (3.) 119. 4.

*„Codex chartaceus saec. XVIII. a Jo. H. Majo Gissensi eleganter exaratus, notis et emendationibus eadem manu in margine adscriptis, foll. 148., quorum 1. 81 b. 86 b.—89. 91—93. 103—105 b. 134 b. 135. 147 b. et 148. vacua sunt scriptura. Continentur:*

*Epigrammata graeca vetusta*

*ab exemplis binis bibliothecae Uffenbachianae descripta et Jo. H. Maji notis illustrata. Ita titulus. Incip. ΣΤΡΑΤΩΝΟC ΠΑΙΔΙΚΗ ΜΟΥCΑ. Ἐκ διὸς ἀρχώμεθα etc. Explic. Λύσας μετ' οἶνον δίδου πίνειν. — Cfr. Bibliotheca Uffenbach. Manusc. P. II. p. 574—585. — Hess. Hebopfer II. 924. — F. Eckard Uebersicht der Oerter, wo die bekanntesten griechischen Schriftsteller gelebt haben p. 146. — A. G. R. Naumann Catal. libr. MS., qui in Bibl. Sen. Civ. Lips. asserv. p. 4 a. C. IV."* Adrian.

Continentur in hoc volumine Majano haec, quae e tribus codd. bibliothecae Uffenbachianae descripta sunt hoc ordine:

I. *Epigrammata Graeca Anthologiae Palatinae,* quae nunc a V. Cl. Fr. Jacobsio integra edita est, e cod. Uffenbachiano Nr. XXIII. (nunc bibliothecae Senat. civit. Lipsiens. C. IV. v. Naumann Catal. C. IV., quocum confer uberiorem descriptionem ejus cum initiis singularum partium et exemplis ab H. Majo factam in Bibl. Uffenbach. Universal. T. III. P. II. Sect. II. nr. XXIII.) descripta ab H. Majo Fil. et collata ab eodem cum altero ejusdem bibliothecae Uffenbach. codice, qui item nunc in bibl. Senat. civ. Lipsiens. Nr. V. extare videtur, de quo vid. Naumann Nr. V., cujus varias lectiones Majus margini exempli sui adjecit, additis notis criticis locis aliorum scriptorum comparatis, a p. 1—160. — A pag. 61—169. sequuntur *Adnotationes* ad hoc ἀπόγραφον, *Addenda* continentes et a p. 201—202. *Supplementa Anthologiae tunc ineditae ex cod. MS. bibliothecae Uffenbach. Nr. XXII.* Additus est a Majo his Epigrammatis a) *Index alphabeticus Epigrammatum* ad paginas exempli sui accommodatus eo modo, quo apud Jacobsium extat. — b) *Index poetarum* et *poetriarum alphabeticus,* quibus assignantur *Epigrammata;* a pag. 104. autem extat c) *Index Epigrammatum Graecorum in libro septimo Anthologiae editae occurrentium* sec. numeros ab Eilhardo Lubino servatos ejusdemque editioni adscriptos. — Tum d) *idem Index* repetitur, ita ut bis in exemplo hoc Majano extet. — Tum sequitur e) *Index auctorum et scriptorum in Scholiis ad Anthologiam* citatorum, dispositus ad paginas editionis Graecae Francof. MDC. fol. — Porro sequitur alieno loco interpositus *Index Scriptorum in Arethae Commentarios ad Apocalypsin* editionis Graecae Veronensis MDXXXII. fol. citatorum.

II. In eodem codice p. 113. seqq. sequitur aliud ἀπόγραφον *Epigrammatum Graecorum ineditorum,* quod incipit Ἐκ Διὸς cum notis margini adscriptis. In fine reperitur haec nota: *„Haec Epigrammata primum a Salmasio, qui ea edere voluit, exhortante Jos. Scaligero ex cod. bibl. Heidelberg. descripta. Vide Colomes. Gall. Or. p. 192. 194. 268. Vid. ipse Salmasius ad Achill. Tat. 533. 641. 659. 732."*

III. Sequitur Σαπφοῦς τῆς Λεσβίας μέλη a) πρὸς γυναῖκα ἐρωμένην *cum versione Henr. Steph.* et b) εἰς Ἀφροδίτην ποικιλόφρωνα ἀθάνατ', *cum versione T. Fabri et Eliae Andreae,* cum hac nota: *„descripta ex cod. Is. Vossii."* Descripsit nimirum Mai ex apographo Bibliothecae Uffenbach. Nr. XXII. (cod. bibl. Senat. Lips. nr. V.)

IV. Variae lectt. e *Fragmento codicis Bibl. Uffenbach.* P. II. p. 417. nr. I. *Epistolae ad Hebraeos* saec. VII. vel VIII.: *Ἡ πρὸς Ἑβραίους ἐπιστολὴ ἐκτεθεῖσα ὡς ἐν πίνακι. Ἐγράφη ἀπὸ Ἰταλίας διὰ Τιμοθέου.* Incipit *πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως πάλαι* etc. Sed non addidit Mai, cum qua edit. codex collatus sit.

V. *Μενάνδρου γνῶμαι μονόστιχοι* cum conjecturis Maji. Incipit *Ἀχάριστος ὅστις ἐκ πάθων ἀμνημονεῖ* et explicit *Γλώσσης μάλιστα πανταχοῦ πειρῶ κρατεῖν. Ἀνδρῶν γὰρ ἐσθλῶν στέρνον οὐ μαλάσσεται.* Cfr. Menandri et Philemonis reliquiae: ed. *Meinecke* Praef. p. XI. seqq. et p. 311. seqq., qui *Uffenbachiano* codice, nunc *Lipsiensi* (cfr. Catal. bibl. Senat. Lips. n. V.), non usus est.

VI. *Carmen jambicum Anonymi εἰς τὸν ἅγιον Θεοδόσιον ἐπὶ τῷ θαύματι τῶν κολύβων* e cod. bibl. Uffenbach. Nr. XXIV. III. fol. XXXV b. nondum editum. Vid. p. 586. bibl. Uffenbach. Univ.

VII. Ex eodem cod. bibl. Uffenbach. Nr. XXIV. IV. fol. XLI b. descripsit Mai aliud carmen, senariis LXIV. constans nondum editum, cui titulus praefigitur *του φιλοθεουρ* (sic enim putat legendam Maj. scribendi notam compendiariam *ΟιλS* in MSC. adhibitam) *εἰς τὸν κάκιστα παθόντα μόναχον Ἰωβόν, τὸν κειμένον ἐπὶ τῇ πανηγύρε'.* Cfr. Bibl. Uffenbach. Universal. p. 587. Sequitur

VIII. in *Imperatorem* carmen ineditum constans versibus centum ex eodem cod. Bibl. Uffenbach. Nr. XXIV. V. fol. XLIII a. descriptum ac nondum editum. Incipit: *Εὖ σύγκριτος εἶ βασιλεῦ, σιγάτωσαν οἱ λόγοι.* Idem est finis carminis. Cfr. Bibl. Uffenbach. Univers. l. c.

IX. Ex eod. cod. Bibl. Uffenbach. Nr. XXIV. VI. fol. XLV b. descripta sunt nondum edita 1) *Προφυλάκτικα πάντων τῶν ἰοβόλων.* 2) *Κοινὴ θεραπεία πάντων τῶν ὑπό τινος ἰοβόλου πληγέντων.* Cfr. Bibl. Uffenbach. Univ. p. 587. IV. 1.

X. Post Epigrammata e cod. bibl. Uffenbach. Nr. XXIII. exscripta sequitur *Παύλου Σιλεντιαρίου ποιητοῦ Ἔκφρασις εἰς τὴν μεγάλην ἐκκλησίαν ἤτοι τὴν ἁγίαν Σοφίαν* cum multis lacunis, iisdem fere, quae in ed. *Bekkeri* (*Corp. Script. Byzant.* Paulus Silentiar. cum Georg. Pisida et Sanct. Niceph. Bonn. 1837. 8.) reperiuntur, neque textus ipse multum ab hac ed. differt. Accedit *Meleagri Στέφανος* et *Philippi Corona.*

XI. In eodem cod. Bibl. Uffenbach. Nr. XXIV. fol. LXXXV a. continetur *Marci Musuri carmen*, distichis LIV. constans, quo Platonis patroni sui enarrantur fata et quid illustrissima familia Medicea, quid Lascaris, quid Baudeus et Aldus in eo ornando praestiterint. Cfr. Bibl. Uffenbach. Univers. l. c.

## C. ADVERSARIA PHILOLOGICA MSS.

Venio nunc ad postremum horum Commentariorum locum, qui est *de Adversariis philologicis MSS.* s. *Collectaneis philologicis*, quae dicuntur, quorum permagnus numerus in bibliotheca nostra academica extat, in quibus priorum saeculorum viri docti thesauros eruditionis suae quasi in promptuariis reposuerunt, ut vel, si quid e memoria excidisset, eo quasi ad oraculum confugerent, vel, si quid aliquando edere vellent, ea tanquam officina operum suorum uterentur, qui tamen, ut res humanae sunt, morte saepe vel in apparandis ejusmodi operibus vel paene ad exitum perductis occupati reperiuntur. Est

autem *triplex* horum *Adversariorum genus*, quorum *primum est illud*, *quod ab iis viris doctis scriptum est*, *qui in diversis literarum disciplinis magno olim nostrae academiae ornamento fuerunt*, in quorum numero inprimis sunt habenda ea, quae Vir Ill. *Jo. H. Mai Fil.* doctissimus olim et theologus et philologus conscripsit, quorum Index universalis, ut hoc verbo utar (ein Verzeichniss im Allgemeinen), reperitur in libro, qui inscribitur: *Hessisches Hebopfer theologischer und philologischer Anmerkungen.* Giessen 1739. Stück 20. *„Verzeichniss von J. H. Mai's gedruckten und ungedruckten Schriften"* p. 927. seqq. et *„Grundlagen zu einer Hess. Gelehrt. u. Schriftstellergesch.* v. *Dr. Fried. Wilh. Strieder"* 8. Bd. p. 350. seqq. *Alterum genus est eorum, quae ab externis viris doctis profecta vel emptionibus vel donationibus vel haereditatibus in nostram bibliothecam academicam pervenerunt*, in cujus generis libris MSS. referenda sunt *Collectanea Jo. Frid. Gronovii*, *Jo. Mensingae*, *Reusneri*, *Steinheilii* (v. Catal. Adrian. Nr. LXI. LXII. LXXVII. LXXX. LXXXI. LXXXIX. XXI.). *Tertium denique genus est Epistolarum, quibus externi viri docti olim cum nostrae academiae viris doctis suas de literis sententias communicarunt*, quarum volumina MSS. haereditatibus in nostram bibliothecam sunt translata, cujusmodi Collectiones Epistolarum amplissimas habemus, in quibus principem locum *Maji* et *Steinheilii Epistolae mutuae* obtinent, de quibus vid. Catal. Adrian. Nr. LIX. MCCXXV., ad quas copias nunc aliud volumen accedit, quod nuper demum in bibliotheca nostra academica repertum est, quod commode inter Nr. MCCXXV. et MCCXXVI., vel, si argumentum ejus spectes, inter Nr. LIX. et LX. interponi licet. Continet enim illud volumen *Adversaria Steinheilii in Alciphronem* (et *Heliodori Aethiopica*), quod quasi pro responsorio potest haberi alterius voluminis Nr. LIX., in quo continentur *Adversaria Maji in Alciphronem.*

Sed quum illorum temporum rationes philologicas recordor, quibus haec *Adversaria* et *Epistolae* scriptae sunt, nescio quae religio dehortari me videtur, ne hodie in vulgus edam ea, quae illis temporibus in hoc genere literarum scripta sunt, inprimis quum plurima eorum non aliam ob causam nisi scholarum academicarum collecta esse videantur atque unum ex illis viris doctissimis, quorum nos copias philologicas habemus, *Majum Filium* vel testamento cavisse legerim, *ne quid scidularum suarum e bibliotheca acad. Giss. alio transferretur* (vid. *Hessisches Hebopfer.* Giessen 1738. St. 19. p. 923. not. *)), quo testamento Vir Ill. etiam illud cavere voluisse videtur, *ne quid scidularum suarum, quod quippe imperfectum esse sciret, in vulgus emanaret* (cfr. *Jo. Aug. Wagner* Praefat. ad *Alciphronis Epistolas* ed. Lips. 1798. T. I. p. X. seq.). Quam religionem testamenti valde animi pendeo utrum servari an migrari praestare existimem. Sunt enim omnia illa *Adversaria* ante saeculum et eo amplius scripta, quo studium literarum antiquitatis tam diversum a nostra earundem rerum tractatione erat, ut, qui tunc maximi doctrinae thesauri haberentur, hodie maximam partem nihil aliud fere esse videantur, nisi *exempla e diversis omnium aetatum scriptoribus sine ullo saepe delectu coacervata, quibus diversi scriptores inter se compararentur invicemque illustrarentur.* Quare impium, improbum, injustum, malitiosum et ingratum est, illorum virorum vel industriae ac diligentiae vel ingenii monumenta nostra studiorum antiquitatis ratione metiri ac contemnere, qui illorum humeris, ut ita dicam, innixi fructibusque ab illis collectis usi tandem eo pervenerimus, ut non externam solum literarum antiquitatis formam, ut illa aetas ferebat, intueri satis habeamus, sed etiam internam earum conditionem omnibus ex partibus cognoscere studeamus. At haec literarum antiquitatis tractandarum ratio quum ita demum optimos fructus afferre ab intelligentibus aequisque horum studiorum existimatoribus jam dudum satis concessum sit, si cum diligentissima, creberrima copiosissimaque ipsorum scriptorum lectione sit conjuncta; nostrarum autem literarum tam multiplex ratio sit, ut

hodie haec omnia vix ab uno homine in summa animi et corporis virium contentione recte administrari posse videantur, nisi plurimorum vires ac studia in unum locum conferantur, literarum humanitatis causa religionem istam tolli, quam servari praestare ratus, quum in nonnullis certe antiquiorum illorum philologorum Adversariis aliquot opes haud quaquam etiamnunc contemnendae repositae esse videantur, integro indice eorum conficiendo exemplisque afferendis, quae illi olim viri et ingenio et doctrina excellentes summa diligentia ex omnibus fere antiquis scriptoribus collegerunt, gratiam quandam inire mihi videor ab iis, qui, quum unum aliquem alterumve scriptorem tractandum sibi sumpserunt, non superciliose, ut hodie adolescentes philologi saepe cum magno literarum damno faciunt, omnia fastidiunt, quae olim maximis vigiliis summa diligentia ab illis priorum saeculorum viris doctis ad interpretandos emendandosque scriptores antiquos sic collecta sunt, ut hodie quoque literis antiquitatis aliquid prodesse posse videantur. Hunc autem laborem eo promptius ac lubentius suscepi, quod jam olim viri doctissimi extiterunt, qui his bibliothecae nostrae copiis magno cum fructu in tractandis scriptoribus Graecis usos se esse publice professi sint; alii autem lubenter se iisdem usuros fuisse scripserint, si utendi sibi facultas fuisset. Nam *Weiskius* quidem, *Professor* olim *Lipsiensis* clarissimus, quo me ipsum aliquando magistro optimarum literarum artiumque magistro usum esse pio gratoque animo profiteor, quum *Dionysium Longinum de Sublimitate* editurus esset, literis adiit Virum Venerabilem, Collegam olim suum, *Kuinoehlium*, Professorem Acad. Gissens. clarissimum, summum rerum mearum, quum inter vivos esset, patronum, nuper magno multorum dolore moeroreque morte et literis et amicitiis ereptum adiit, ut sibi *Adversaria Joh. Guil. Steinheilii*, in quibus *notas* ejus *ineditas* extare cognosset, utendas mitteret; quod quum Vir Cl. *Kuinoehlius* potestate ejus rei praeditus lubentissimo animo fecisset *Weiskius*que copiis illis usus esset, *non poenitenda inde in suam rem vertisse* palam postea professus est in *Praefat.* ad *Longin.* p. XXXVII., ubi simul pauca de vita *Steinheilii* reperiuntur. Sed quod idem Vir Doct. *Weiskius* dixit, *transscripsisse se omnia, quae ad Longinum pertinerent eaque integra nihilque mutata, ut eo facilius existimari posset, quantum boni in se continerent illa, quae in Heliodorum conscripta in illo volumine reliquisset,* ea res quomodo se habeat, non satis expedire potui. Nam nusquam eum *Steinheilii* mentionem fecisse, vel *notas* ejus signo aliquo ab ceterorum distinxisse reperi, neque vestigia notarum indagare potui, quum ipse *exemplum Steinheilianum* cum edit. *Longini Weiskiana* conferrem. Alter autem Vir Doctus, qui et ipse *Steinheilii* et *Maji Fil. Adversariis philologicis* usus esset, si ei horum MSS. copia facta esset, fuit *Jo. Aug. Wagner,* qui in *praefat.* ad *Alciphronis Epistolas* T. I. praef. pag. X. seq. narrat, *studuisse se, quum Alciphronis Epistolas editurus esset, nancisci Jo. Henr. Maji editionem Alciphronis absolutam, necdum editam,* quam in *bibliotheca acad. Gissensi delitescere cognosset, sed rescripsisse sibi Virum Cl. Prof. Giss. Schmidium nihil ibi adesse, nisi editionem Berglerianam, cujus ad marginem Majus fortasse in usum lectionum academicis juvenibus habendarum allevisset, eundem tamen testamento cavisse, ne quid scidularum suarum in vulgus emanaret. Quam religionem non potuisse non revereri atque laudare doloremque ex eo conceptum levasse atque devicisse tandem eo, quod, quantum ex aliis boni illius viri scriptis liceret colligere, nonnulla ad illustrandum Alciphronem idonea, ad emendandum parum aut nihil, quod gravioris esset momenti, inventurus fuisset. Aliam editionem a Steinheilio paullo post Berglerum prelo paratam, magis usui futuram non sine causa se suspicatum esse* idem Vir D. praef. p. XI. addidit, *angulum tamen, in quo fortasse lateret tineasque pasceret, indagare non potuisse.* Haec *Wagnerus.* Quae quam *vera* sint mox patebit. Nunc ad singula volumina *Adversariorum* illorum copiosius describenda veniamus.

## A. Adversaria Maji Fil. et Steinheilii.

### I.

Cod. Giss. Majanus Nr. LIX. (B. G. (3.) 60. 4.) et Cod. Giss. Steinheilianus in Catalogo Adrianeo non commemoratus.

*„Codex (Giss. Majanus Nr. LIX.) chartaceus saec. XVIII., foll. 231., quorum multa scriptura vacant. Continentur a. fol. 1—60. Jo. Henr. Maji jun. Praelectiones in Hoepfneri Graeciam antiquam s. antiquitates Graecas. — b. fol. 62—113. Ejusdem notae et emendationes ad Alciphronis Epistolas. — c. fol. 117—155. Theophylacti Simocati Epistolae morales, rusticae et amatoriae ex ed. Comel. 1599. descriptae c. notis manu Maji jun. exaratis atque ex Steinheiliano exemplo, ut videtur, sumptis. — d. fol. 157—230. J. H. Maji jun. Observationes in Aeliani Historiae Variae initium [a lib. I. usque ad lib. III. cap. 47.] (fol. 157—181.), ad Aul. Gell. [ab init. usque ad lib. I. cap. 11.] (fol. 185—197.), in Nov. Test. ex Constant. Porphyrog. [notae exegeticae ad Evang. Matth., Luc., Acta Apost., ad Rom., 2 ad Corinth., ad Galat., 1 ad Thess., 1 ad Timoth., ad Ebraeos, Apocal., quibus notis interdum variae lectt. e cod. Uffenbach. supra p. 113. IV. laudato P. II. p. 417. Nr. I. petitae adduntur.] (fol. 198—213.), in Homerum [Iliad. α, 1—70.] (fol. 215—218.) et in Himerii Orationem [potius Orationes, Epigrammata et Carmina I—III, quas notas scripsisse videtur motus codice bibl. Uffenbach. P. II. Nr. XXIV.] (fol. 219—230.). — Cfr. F. Eckard, Uebersicht etc." [et Strieder, Grundlagen l. c.]* Adrian.

Ad a. Ea, quae Ill. *Majus* in *Hoepfneri Antiquitates Graecas* sec. edit. Halae-Magdeburg. 1710. commentatus est, quem librum in fronte editionis, qua ipse usus est cuique multas praeterea notas adscripsit, e scriniis *Pfeifferii* compilatum dixit, *scholia in hunc librum* continent summa diligentia e diversis scriptoribus Graecis commentariisque virorum doctorum in eos collecta, quibus loci veterum scriptorum recentiorumque indicantur, in quibus haec vel illa res copiosius exponitur, quam ab Hoepfnero, quorum scholiorum ut exemplum habeant viri docti, pauca ex iis hic afferam:

Ad *Hoepfneri Antiquitatum* p. 37. quaest. 5. *„De ritibus orandi"* haec notavit: Accurate et fuse de his rebus egit Brissonius de Formulis Lib. I. p. 39. seqq. Nec quisquam eo melius. Egit etiam de praecipuis Lomeierus de lustrat. cap. 33. in compendio. Pollux I. cap. 1. n. 24. Quoad ritum protensionis illustra 1. Timoth. II, 8. Evolve m. Demosth. orat. contra Midam ante med. Locus egregius in Aristaeneto Lib. III. ep. 2. init. Ἐν τοῖς ἱεροῖς δεινοτάτοις περιπέπτωκα πόνος s. ἔτι γὰρ ὑψοῦ προςανατείνων τῷ χεῖρε καὶ τὴν ἱκετείαν κατ' ἐμαυτὸν λαλῶν etc. Incidi in sacris (sic Menerus vertit) in gravissimos labores, adhuc enim sursum levabam manus; preces tacitus concipiens. — Ibid. ad qu. 6. Jussit Pythagoras rem divinam facere et orare, extractis calceis. Jamblichus in ejus vita cap. 23. Idem fecit Proclus, teste Mariano in ejus vita cap. XI. p. 26. His addit Majus in ipso exemplo Hoepfneriano p. 37. n. 5. haec: „Cfr. Luc. de saltat. 792. Manibus in coelum expansis omnes fere gentes orant. Testimonia citavit Grotius ad Luc. XVIII. et ad 1. Tim. 2. 8. et quidem utrasque manus extendebant ὁσίας δεξιὰς καὶ ἀριστερὰς. Demosthen. in Mid. p. 392. C. conf. Arrian. Diss. IV, 9. p. 437. Heliod. p. 472. Ps. I, 4.

Ad b. De notis *Maji* in *Alciphronis Epistolas*, quae non absolutam editionem continent, sed scholas academicas, quum ipse earum auctor in operculo editionis Berglerianae adnotaverit, coepisse se publice interpretari Alciphronem a. 1718. die XIII. Jun., absolvisse XIV. Martii 1719., notandum est, olim Vir Ill. *Majum* ipsum exempla earum ex *Adversariis Alciphronianis* suis excerpta in lucem emisisse in opere critico, quod

inscribitur „*Histoire critique de la republique des lettres tant ancienne que moderne*“ Tom. XI. à Amsterdam. 1716. p. 141., quibus usus est *Wagnerus.* Quae quum nihil plane differant a ceteris notis, quae in *Adversariis Alciphronianis* reperiuntur, non opus esse videtur, alia h. l. exempla afferre. Mihi quidem largissimus exemplorum apparatus eo maxime et ad explicandum et ad emendandum Alciphronem utilis esse videtur, quod scriptores locis similibus optime et illustrari et explicari constat. Prorsus autem eandem *Alciphronis* et *interpretandi* et *emendandi* rationem ingressus est Vir Ill., *Majo* amicissimus, *Guil. Steinheil* in eo volumine, quod descripsit Vir Cl. *Weiskius* in *Praefat.* ad *Longinum* p. XXVII., quod quum diu in bibliotheca nostra frustra quaesitum esset, nuper tandem a diligentissimo hujus bibliothecae perscrutatore *Adriano* in scrinio quodam valde remoto ac recondito repertum est. Vid. supra pag. 114. Continet autem illud volumen praeter Alciphronea haec:

1) *Heliodori Aethiopica* „*tumultuario,* ut ipse Steinheil tradit, *opere collata cum quibusdam veterum scriptorum locis*“ partim perpetuis notis, partim per singulas Epistolas ad Majum circa ann. 1714—1716. datas dispersis.

2) Notas ad *Arriani Indica* et *Histor. Alex. Magn.* 3) Notas ad *Libanium* sec. ed. *Morell.* 4) Notas in *Aelian. Hist. Animal.* Quum autem omnium notarum idem color sit, pauca exempla e *notis* ad *Alciphronem* afferamus. Rarae sunt *notae criticae.*

Ep. I. p. 2. *ἐστόρεσεν*] Thucydides l. 6. cum *στορέσωμεν τὸ φρόνημα* haud inelegauter dixisset, Scholiastes ejus p. m. 99. edit. Basil. annotat *τῶν παρὰ Θουκυδίδῃ τροπικῶν ὀνομάτων τὸ σκληρότατον τοῦτό ἐστι* — *Ἀφρός*] Eunapius vita Proceresii p. 102. crispam demissamque comam, cui cani jam erant intermixti *ἐνφρικόσῃ* (sic exempl. Steinh.) *θαλάττῃ* ob colorem comparat, eodem modo, quo hic mare partim *μελαινόμενον,* partim ob spumam albescens describitur. — *προσηράσσετο*] Vox haec alias de januis pulsandis vel effringendis saepius usurpatur. Lucian. navig. p. m. 360. edit. Aldin. *προσαραξάτωσαν εὐθὺ τὴν θύραν.* Eunap. vit. Proceres. p. 103. *ἀράξας τὴν θύραν.* Schol. Theocr. ad Idyll. 2. p. 216. *ἄρραξεν, ἔκρουσεν.*

Multae ejusmodi notae extant in exemplo Majano Alciphronis *Bergleriani* Lips. 1715., quod in bibl. nostra acad. hodie quoque asservatur. Notavit ibi *Majus* extare etiam *Schöttgen annotationes in quaedam Novi Test. loca ex Alciphrone petitas in Massonii Hist. Crit.* (i. e. *Histoire Critique,* quam supra commemoravimus) T. XIII. p. 125. et loca quaedam *Alciphronis* emendasse et illustrasse *Jo. Conrad Schwartz in Monumentis ingeniorum* Tom. III. p. 114. seqq. et p. 174. seqq.

Haec autem duo volumina *Maji* et *Steinheilii,* quibus *notae perpetuae ad Alciphronis Epistolas et illustrandas et emendandas perutiles* continentur, vellem perlustraret Vir Doct. Eduard. *Seiler,* popularis meus Saxo, philologus Graeci sermonis peritissimus, qui se propediem *Alciphronis Epistolas,* quae nimium diu neglectae jacuerunt, denuo emendatas illustratasque editurum esse in *Catalogo librorum Weidmanniano* proxime superiore mercatu autumpnali *Lipsiensi* edito hoc nomine professus est:

*Alciphronis Epistolae, graeca ad fidem codd. mss. Pariss. Palat. Italorum aliorumque recensuit, latinam interpretat. et Bergleri commentar. et indic. verbor. add. Ern. Ed. Seiler. Acced. inedita. 8 maj. Lipsiae. Hinrichs.*

Quae praeterea in volumine *Majano* ad diversos scriptores, quos supra commemoravimus, notata sunt, et pauca sunt et nihil fere nisi locos e diversis scriptoribus explicandi causa collectos continent.

## II.

### Cod. Giss. Nr. LVI.

B. G. (3). 17. fol.

*„Codex chartaceus saec. XVIII. eleganter scriptus, c. notis in margine adscriptis, foll. 28., quorum ultimum et plures aversae paginae vacuae sunt. Continentur:*

*Notae ad Lucianum congestae ab Jo. H. Majo fil. sub initium ann. MDCCXIX. — Cfr. Luciani Libellus de Longaevis vers. lat. fecit nov. notisque perpetuis instruxit J. H. Majus. Giss. 1724. 4., ubi hae notae maximam partem typis expressae sunt."* Adrian.

Continentur notae in haec scripta *Luciani* 1) *περὶ τοῦ ἐνυπνίου, ἤτοι βίος Λουκιανοῦ* T. I. p. 1. edit. Amstelod. 1687. 8. 2) ad *Nigrinum*. Constant autem pariter atque illae in *Alciphronem* maximam partem locis similibus et similes sunt earum, quas *Majus* in ed. *Luciani* de Longaevis dedit, cui exemplo multas alias ejusmodi notas idem adjecit.

---

## III.

### Cod. Giss. Nr. MCCXXVII.

B. G. (3). 92. 4.

*„Codex chartaceus saec. XVIII., quorum multa vacua sunt. Continentur: a. fol. 1—154. J. H. Maji Collectanea graeca et alia [quibus nomina propria Graeca et appellativa locis e diversis scriptoribus collectis explicantur, v. c. Jupiter]. Vid. Hom. Iliad. etc. — b. fol. 155—500. Ejusd. Glossar. Graeco-Barbarum, voces nondum observatas exhibens aut non satis accurate pertractatas, aut notatas quidem, sed non tam variis significationibus instructas. Incip. Ἀβαγεία. Abigeatus. MS. fol. 2 a. ubi κατ' ἀβάγεια etc. Explic. (ψώμιον) Ab Imperatore datus. MS. fol. 3 a. — Paginae hujus glossarii [quod nihil fere praeter locos scriptorum continet, in quibus vocabula in lemmate notata reperiuntur et inchoata illa collectanea potius sunt, quam absoluta, multo plura folia scriptura vacua manserunt, quam in quibus quid perscriptum extet] sunt 1013—1707. et MS., cujus paginae a Majo citantur, est Codex graecus Bibl. Uffenbachianae, Const. Porphyrogeniti Libros II. de Caerim. Aulae Byzant. continens, nunc in Bibl. Senat. Lipsiensi."* Adrian.

---

## IV.

### Cod. Giss. Nr. MCCXXV.

B. G. (3). 88. 4.

*„Codex chartaceus saec. XVIII. ineuntis, foll. numerat 326. Continentur: Joh. Heinr. Maji Jun. et Jo. Guiliel. Steinheilii Varia.*

*Ita inscriptio. Singula, quae hoc volumine continentur, haec sunt: 1) Maji Epistolae ad Steinheilium c. Steinheilii nonnullis. — 2. Steinheilii Observ. ad vet. oratores graec., Diod. Sic., Mich. Apostolii Proverb., Nemes. de nat. hom. etc. — 3) Maji excerpta, annotationes et variae lectiones ad plurimos auctores veteres imprimis graecos ex bibliothecae Uffenbachianae libris manu erudita notatis descriptae. — 4. Ejusd. Recensio codd. Hebr. MSS. bibl. Uffenbach., eorum inprimis, quae in Bibl. Uffenbach. MSS. non occurrunt. — 5. Glossarium Hebraicum breve, Maji jun. manu exaratum."* Adrian.

In prima parte n. 1. „*Maji Epistolae ad Steinheilium c. Steinheilii nonnullis*" continentur: 1) *Notae Maji in Arriani Indic. Hist.* c. 6—15. 2) in *Heliodori Aethiop.* c. 16. p. 336—c. 24. 3) in *Arriani libros septem Hist. Alex. M.* l. I, 7—21. l. V, c. 9. etc. 4) in *Longinum de Sublim.* 5) in *Sapphus carmina.* 6) in *Aelian. Hist. Anim.* 7) in *Choricii orat. in Procop. Gafaeum* §. XV. p. 849. Sunt hae literae responsoriae Viri Ill. *Maji* ad *Steinheilium* datae, quae originem debere videntur illi volumini *Steinheiliano*, quo praeter notas ejus in *Alciphronis Epistolas* continentur ejusdem notae in *Longinum, Heliodorum, Arriani Indica et Histor. Alex. M., Libanium, Aelian., Histor. Anim.*, de quo vid. p. 116. seq. Erat enim inter illos duos viros doctos, id quod e multis *Epistolis* eorum satis cognosci licet, ejusmodi non vitae communis solum vel amicitiae, sed etiam studiorum humanitatis conjunctio ac familiaritas, ut, quum inter eos convenisset unum aliquem scriptorem conjunctis viribus et emendare et illustrare, literis mutuis de eo disputarent. Est autem *Animadversionum* illarum ratio eadem, quae in notis utriusque in *Alciphronis Epistolas* regnat. Quae secundo loco in Catal. Adrian. n. 2. afferuntur *Steinheilii Observ. ad veteres oratores Graecos, Diod. Sic., Michaeli Apostolii Proverbia, Nemes. de nat. hom., videntur esse notae Steinheilii margini editionis Oratorum Graecorum Henr. Stephani MDLXXV. fol. adscriptae* ab *Jo. H. Majo* excerptae, quae continent *notas* s. *locos ad illustrandos oratores Atticos e diversis scriptoribus collectos.* Ad *Aeschinem* et *Lysiam* nihil adnotatum est, ad reliquos fere omnes plura, i. e. ad *Andocidem, Isaeum, Dinarchum, Antiphontem, Lycurgum, Herodem* et alios. — Notae, quae ad *Diodorum Siculum* scriptae sunt, depromptae sunt e *margine* edit. *Henr. Stephani* a. 1559. fol., quam olim *Steinheil.* possedit eique has notas ceterarum similes adscripsit. — *Apostolii Paroemiae Centur. I—XXI.* eodem modo diversorum scriptorum locis margini editionis *Elzevir.* Lugd. Bat. 1619. 4. adscriptis illustratae sunt, quae non indignae videntur perlustratione eorum, qui in explicandis illis proverbiis velint versari, quum multa lectione ingens numerus ejusmodi locorum illustrantium e remotissimis literarum Graecarum angulis in iis comportatus reperiatur. — Notae in *Nemesium* e margine edit. *Oxon.* 1671. 8. Graeco-Lat. descriptae sunt. — Sequuntur notae in *Arriani Comment. de Epicteti disputatt.* etc. e margine ed. *Hieron. Wolf.* Colon. 1595. 4. excerptae. Sed omnes illae notae valde dubium est, num ab *Steinheilio* ipso e scriptoribus Graecis haustae sint, an e notis incertorum auctorum margini antiquarum editionum, quibus usus est *Steinheilius,* ab eodem excerptae indeque ab *Jo. H. Majo* in sua *Adversaria* relatae, quum interdum *Majus* tradat, *multas notas in margine veterum editionum ab incertis auctoribus profectas extare,* cujusmodi exemplaria quum permulta olim in *Bibliotheca Uffenbachiana* extitisse Catalogus librorum Bibliothecae Uffenbachianae editorum doceat, qua de re vid. *Bibl. Uffenbach. Universal. T. IV.* 8. min., *Steinheilius* autem magna familiaritate cum *Uffenbachio* ipso conjunctus fuerit, quorum societati adscriptus erat *Jo. H. Majus,* sic ut tres illi viri doctissimi doctum quendam ac perfamiliarem triumviratum efficerent, facile quis suspicetur, *Steinheilium* magnam illarum notarum partem ab exemplis illis editis *bibliothecae Uffenbachianae* descripsisse ab eoque *suas animadversiones* hausisse *Majum Fil.* Haec autem suspicio quam recte se habeat, ita demum plane poterit cognosci, si quis casu in ejusmodi bibliothecae olim Uffenbachianae exempla inciderit, in quibus notae incertorum auctorum margini adscriptae reperientur, quas cum Majanorum Adversariorum notis conferat. — In tertia hujus voluminis parte Nr. 3., quae continet *Maji Excerpta, annotationes et varias lectiones ad plurimos auctores veteres, inprimis Graecos ex bibliothecae Uffenbachianae libris manu erudita notatis descriptas,* continentur haec: *Variae lectiones* in *Aeneae Gazaei Theophrastum* ex rec. interpret. et cum animadv. *Casp. Barth* Lips. 1655. 4., de quibus *Majus* haec notavit: „*Merito*

*aestimandus hic dialogus Platonico Christianus de resurrectione mortuorum eo, quod cum MSC. quodam contulit eum illustris. noster Steinheilius ad marginemque sollicite indicavit varietates lectionum, quas nunc omnes et singulas, ne levissimis quidem praetermissis, cum lectore communicabimus, eo majorem forsan inituri gratiam ab harum elegantiarum amatoribus, quo rariores sunt hujus Aeneae codices manu consignati."* Exemplum *Barthianum*, quo ipse ad perlustrandas illas *varias lectt.* ab *Steinheilio* e *codice* quodam enotatas usus sum, extat in bibl. acad. *Gissensi*, quod tamen quum aliam *impressionis typographicae anni notam* prae se ferat hoc titulo *„Aeneas Gazaeus et Zacharias Mitylenaeus ex rec. et cum animadv. Casp. Barth. Lips. typ. Jo. Baur a. d. MDCLIII. 4."*, nescio an idem sit atque illud, quocum *codicem* contulit *Steinheilius*, quamquam nihil offensionis mihi oblatum est, quum *codicis* lectiones cum ed. *Lips.* 1653. compararem, in qua comparatione, quum *familiae* codicum indagandae causa, cum qua *variae lectiones* illae *Steinheilianae* consentirent, *codicis Augustani varias lectt.*, quae in *Friedemanni et Seebodii Miscell. Crit.* Vol. II. fasc. 1. p. 374. seqq. ab *Wernsdorfio* excerptae extant, perlustrarem, *maximam partem* cum *Steinheilianis* convenire perspexisse mihi videor. Unde suspicor, utrumque virum doctum *eodem codice* usum esse, nisi quod *Steinheilius* pro sui saeculi rationibus criticis multa notare praetermiserit vel non satis recte legerit. Idem consensus *codicis Steinheiliani* reperitur cum *variis lectionibus trium codd. Parisinorum A.B.C.*, quibus ad emendandum hunc *Aeneae Theophrastum* usus est Vir Cl. *Boissonade* in editione, quae inscribitur: *Aeneas Gazaeus c. Zacharia Mitylenensi ad codd. recensuit, VV. DD. not. add. J. Fr. Boissonade.* Paris 1836. 8.", cujus usum liberalitati Viri Cl. *Frider. Hermanni* debeo. Jam quum ad quatuor istos codd. *August. Paris. A.B.C.* ap. *Boissonade*, qui ex *optima* familia manasse videntur, *Steinheilianus* ille proxime accedat, non inutile duxi, hujus codicis *varias lectiones integras* huc transscribere, inprimis quum libellus ille *Aeneae* et parvus sit et non admodum magnus numerus *variarum lectt.* a *Majo* ex *apparatu Steinheiliano* collectarum. Sunt autem variae lectt. hae:

Ed. Barth. a. 1655. 4. p. 6. v. 1. *Αἰνείου τοῦ Γαζαίου Θεόφραστος*] *Αἰνείου Σοφίστου διάλογος ὁ Θεόφραστος* cod. Steinheil. (et August., quem A. noto.) — v. 4. *Ἀξίθεος*] *Εὐξίθεος* ubique (A.) — v. 9. *καὶ πρὸς*] Deest *καὶ* (A.) — v. 15. *ἤ πολλὴν*] *ἢ πολλὴν* (A.) — v. 23. *ἀλιγῆσαι*] *ἀλγῆσαι* (*ἀλγη* Aug. *ἀλγήσας* Boisson. ex A.B.C. Paris.) — p. 7. v. 8. *ἐρόμενον*] *ἐρώμενον* — v. 13. *λύκιος*] *ὁ λύκιος* (Boiss.) — v. 21. *ἱπποδρομία*] *ἱπποδρομίαι* (A.) — p. 8. v. 2. *ἀθηνῶν*] *τῶν ἀθηνῶν* (A.) — v. 8. *σοφωτέρους*] *σοφωτέρῳ* (A.) — v. 18. *ἤ μάλα*] *ἢ μάλα* — v. 22. *ἄγνωστος*] Additur *ἐξελήλαται* (ap. Wernsdf. ex Aug. notatum est *„supra vers."*) — v. 27. *ἀξίθεον*] Loco hujus vocis legitur *κατὰ θεῖον* (*κατά τι θεῖον* Boiss.) — p. 9. v. 13. *οὐδὲν. ΑΞ.*] Ante *ΑΞ.* praefigitur titulus *Ὅτι οὐκ ἔστιν ἀνθρώπων προβιοτή, οὔτε πάλιν βιώσεται ἡ ψυχή* (A., nisi quod *οὐδέ*) — v. 6. *πρότερον*] *πότερον* (e corr. A. et Boiss. ex A.B.C.) — v. 15. *γὰρ*] Deest (A., sed A. et B. ap. Boisson. *λέγωμεν οὖν*) — v. 17. *ΘΕΟ.*] Iterum titulus additur *ἔλεγχος τῆς παρ' Ἕλλησι λογομαχίας* (A.) — v. 22. *ψυχῆς*] *τῆς ψυχῆς* (Boiss.) — p. 10. v. 3. *ταῦτα πανταχοῦ*] *ταυτὰ πανταχῇ* (A. et Boiss. ex A.B.C.) — v. 4. *μὲν ἐν*] *μὲν ὅ ἐν* (Boiss.) — v. 7. *σήματι*] *σώματι* — v. 22. *τὴν γὰρ*] Additur *τοι* (A.) — p. 11. v. 1. *οὔτε οἷον ἦν*] *οὐχ οἷόν τε ἦν* (Boiss.) — v. 11. *ἑκόντι*] *ἑκοντί* — v. 21. *πρὸς τὸ*] *πρὸς τῷ* — v. 34. *καὶ τῷ*] *ἤ τῷ* (Boiss.) — p. 12. v. 8. *διαλύοντες*] *καταλύοντες* (Boiss.) — v. 18. *οὔτ' ἄν*] *οὐδ' ἄν* — v. 19. *σαφῶν*] *σαφῶς* (Boiss.) — v. 31. *ἄλλωθεν ἄλλων λόγων*] *ἄλλοτε ἄλλων λόγων* (Boiss.) — p. 13. v. 4. *γλαφυρόν*] glossa *κοῖλον* (A.) — ult. *αὐτοῦ*] omittitur (A. et A.B.C. ap. Boiss.) — p. 14. v. 1. *ἐνδιδάσκοι*] *ἐκδιδάσκοι* (*ἐκδιδάσκῃ* Boiss.) — v. 2. *πᾶσιν*] *πάλιν* (Boiss.) ibid. *ΑΞΙΘ.*] Praemittitur titulus *Ὅτι οὐ μεταβαίνει τις εἰς*

ἄλλους ἀνθρώπους καὶ ἄλογα ζῶα ἡ ἀνθρωπίνη ψυχή (A., nisi quod add. καὶ περὶ προνοίας et supra τις om.) — v. 8. πάντας] πάντα (A. et Boiss. ex A.B.C.) — p. 15. v. 7. ἀνδρῶν] Schol. ἀνθρώπων — v. 9. κακίαν] κακίας (Boiss. ex A.B.C.) — p. 16. v. 3. ὥσπερ] Schol. εἴπερ — v. 23. νομίζεται] Schol. ὀνομάζεται — p. 17. v. 26. ἐπιτείνειν] ἐπεκτείνειν (A. et Boiss. ex A.B.C.) — p. 18. v. 22. μοιχίας] μοιχείας (et sic vult legi Boiss. ex A.B.C.D. in not. 135., quum in textu habeat vulgatam.) — v. 16. ἔνθεος] ἔνθους (Boiss.) — p. 19. v. 26. μετὰ] μῆα (μυῖα Boiss. ex A.B.C.) — p. 20. v. 4. ἐξείρτηνται] ἐξήρτηται (Boiss.) — p. 21. v. 1. ποτέ] τότε (Boiss. ex A.B.C.) — v. 9. τούτοις] ταύτας (A. et Boiss. ex A.B.C.) — v. 19. φαίνηται] διαφαίνεται (Boiss.) — v. 35. πρὸ ἄλλων] πρὸ τῶν ἄλλων (A. et Boiss. ex A.B.C.) — p. 23. v. 25. ὡς αὐτὸν] ὡς ἂν τὸν (Boiss.) — p. 24. v. 12. ὅτι παρ'] ὅτιπαρ (ὅτιπερ Boiss.) — v. 13. πρὸ βίῳ] πρὸ τοῦ βίω (Boiss. ex A.B.C.) — v. 19. καὶ μέντοι καὶ] καὶ μὴν καὶ (καὶ μὴν παρὰ Boiss. ex A.B.C.) — v. 22. ἐγείροντες] ἀγείροντες (Boiss.) — p. 25. v. 1. ὅτε] οὐδὲ (Boiss. ὅτε οὐδὲ ὁ ἄνθρ. Aug. et A.B.C. Paris. bis οὐδὲ habent.) — v. 4. πατέρα οὐ τὸ γύναιον ὑποκρινόμενον] πατέρα οὔτε τὸ γυναῖον ἔνδειξαν, ἀλλὰ χαλεπόν τινα δαίμονα τὸν πατέρα καὶ τὸ γύναιον ὑποκρινόμενον (Boiss.) — v. 27. αὐτὸς μὲν ὁ] αὐτὸς μὲν γὰρ ὁ (Boiss. αὐτὸς μὲν οὖν ὁ Σωκρ.) — v. 29. αὐτὸν] αὐτὴν (Boiss.) — v. 30. φιλὴν] φιλικὴν (φυλακὴν Aug. e corr. et A.B.C. ap. Boiss. Hucusque exempli causa Boissonadii lectiones contuli cum nostri codicis varietate lectionis.) — p. 26. v. 2. καὶ ὑγείας] τῆς ὑγείας — v. 22. δήνηται] δύναται — p. 27. v. 14. τῆς φαύλων] τῆς τῶν φαύλων — ult. ἀντικαταλάττεσθαι] ἀντικαταλλάτεται — p. 28. v. 4. δ' ἂν] δ' αὖ — penult. γεινόμενον] γεννώμενον — p. 29. v. 9. οἱ τὸν] εἰ τὸν — v. 14. βούλεται] βουλεύεται — v. 24. καὶ ὁ δημιουργός] Deest καί — p. 30. v. 27. τὰ ἐν ἡμῖν] τῷ ἐν ἡμῖν — p. 31. v. 12. μεταβολαὶ] Schol. ἀποβολαί — p. 32. v. 5. μέλλοντος] βάλλοντος — p. 33. v. 15. εἴπερ κακῶν] εἴπερ καὶ κακῶν — v. 17. ἐφ' ἡμέρᾳ] ἐφήμερα — p. 34. v. 22. διελεγχθεὶς] ἐξελεγχθείς — p. 35. v. 19. ΘΕΟ.] Praefigitur titulus: Διά τι τῶν τικτομένων τὰ πάθη; — p. 36. v. 7. ἐπισύρεται] ἐπιφέρεται —. v. 9. συνεσταμένην] συνεσταλμένην — p. 37. v. 3. ἀναινομένους] ἀναινομένης — v. 7. τῷ ἀλόγῳ] τῷ λόγῳ — v. 14. συγχωρεῖν] Additur γίγνεσθαι, ὡς ἂν μὴ συνταραχθείη φύσις, ἣν αὐτὸς ἔταξεν. ἔδει δὲ συγχωρεῖν κ. τ. λ. — v. 18. ἀκριβεστέρα δὲ] ἀκριβεστέρα γὰρ — p. 38. v. 4. τοῦτο] ταὐτὸ — p. 39. v. 22. ΘΕΟ.] Praeponitur titulus Ὅτι χρήσιμον τῆς τελευτῆς τὸ διάφορον — v. 35. οἱ γὰρ αὕτη] οὐ γὰρ αὐτὴ — v. 38. ἔχει] ἴσχει — p. 41. v. 21. πόλεμος] πολέμιος — v. 34. εἰ δ' ἂν] εἰ δ' αὖ — p. 42. v. 10. ἀπὸ κήτους] ὑπὸ κήτους — p. 43. v. 25. παρ' ἀθηναίους] παρ' ἀθηναίοις — p. 45. v. 17. ὑπὲρ ἐμὲ] περὶ ἐμὲ — v. 18. τοῖς δὲ Σύροις] ταῖς δὲ γυναιξὶ — p. 46. v. 8. ΘΕΟ.] Titulus apponitur Ὅτι γίνονται καὶ ἀθάνατοι αἱ τῶν ἀνθρώπων ψυχαί — v. 12. καὶ νῦν ἔτι] ἔτι καὶ νῦν — p. 47. v. 26. ἀρχῆς ἦν] ἀρχή τε ἦν — p. 48. v. 7. διωρισμένη] διωρισμένον — p. 50. v. 1. τοῦ ἀνθρώπου] Abest τοῦ — v. 16. ἀθάνατον δὲ] δὲ om. — v. 17. πάντως καίεται] πάντως που καίεται — p. 51. v. 9. ἀΰλαις ταῖς λογικαῖς] ἀΰλοις καὶ λογικαῖς — p. 52. v. 4. Ἀπόλλων] καὶ Ἀπόλλων — v. 14. ἄχορα ἢ τρίχα] αἰθέρα καὶ τρίχα — p. 53. v. 1. τοσούτου] τοσοῦτον — v. 18. ἀπολείπεις] Additur Εὐξίθεε — v. 28. εὑρᾶ] εὗροι — p. 54. v. 7. μία — σύμπνοια] μίαι — σύμπνοιαι — p. 55. v. 13. τότε] τόδε — v. 15. φησὶν] φύσεως — p. 56. v. 23. λέγει] λέγων — v. 30. μέμνηται ἐν] μέμνηται γὰρ ἐν — p. 57. v. 8. τὸ γέγονεν, λέγουσι] τὸ γέγονεν οὐ γέγονε λέγουσιν — p. 59. v. 3. δὴ ἅμα δὴ] Prius δὴ omittitur. — v. 22. συντεθὲν] συνδεθὲν — p. 61. v. 5. a fine ὄντας] ὄντος — p. 64. v. 26. φορτίον] φορτίων — v. 28. ἀραχνίοις] τοῖς ἀραχνίοις — p. 65. v. 19. ὃν οὕτως σώματι] ὅτῳ οὖν σώματ' — p. 66. v. 16. ἄλλο μὲν ᾔσθη, ἄλλο δὲ] ἄλλῳ μὲν ᾔσθη, ἄλλῳ δὲ — v. 18. ὑπάγεται] ἀπάγεται — p. 67. v. 3. πάνυ γε] Deest — v. 30. ἡ φοῖνιξ] ὁ φοῖνιξ — p. 68. v. 29. ἔστω ἃ πείθεις] ἔστιν ἢ πείθεις — p. 69. v. 9.

*γεγραμμένα*] *γεγραμμένον* — v. 10. *ἄμεινον*] *ἀμείνων* — p. 70. v. 3. *ἐφέλκων*] *ἀφέλκων* — v. 19. *ταῦτα*] *πάντα* — v. 31. *διάφορα καὶ*] *διάφορα δένδρα καὶ* — v. 32. *ἑκάστου*] *ὁ ἑκάστου* — p. 71. v. 8. *τοῦτο*] *τοιοῦτο* — v. 11. *εἴη χαλκοῦς*] *στείη χαλκοῦς* — ibid. *δὲ χρόνῳ*] *δὲ τῷ χρόνῳ* — v. 18. *συγχωνεῦσαι*] praefigitur *εἶτα* — p. 72. v. 5. *περιήει*] *περιείη* — v. 14. *κατατεθνηκὼς*] *καὶ τεθνηκὼς* — v. 23. *γνῶντο*] *γένωνται* — v. 28. *εὑρίσκειν*] *ἐξευρίσκειν* — v. 30. *παῖς ἦν καὶ τοῦτον*] *ὁ παῖς κείοιτο καὶ ὡς τοῦτον* — p. 73. v. 20. *ἄμοιρα ἦν καὶ ἄλλως*] *ἄμοιρα ἦν, ἀσθενῆ τε καὶ περιττὰ καὶ εἰκῆ. κείμενα ἦν καὶ ἄλλως* — v. 22. *βούλεσθε*] *βούλεσθαι* — v. 25. *οὕπερ*] *εἴπερ* — p. 74. v. 12. *τὸν θεὸν*] *τὸν βίον* — v. 13. *ΘΕΟ.*] praefigitur titulus: *Διὰ τί μὴ καὶ τῶν ἀλόγων ἀνάστασις γίγνεται* — v. 19. *τῷ σώματι*] *τοῖς σώμασι* — ult. *ἀνθρωπίνης*] *τῆς ἀνθρωπίνης* — p. 75. v. 15. *θέρμον*] *θέρμη* — p. 76. v. 11. *ἐξεπόνησε*] *ἐπενόησε* — p. 77. v. 11. *συνείπετο*] *συνήπτετο* — p. 78. v. 4. *ἐπείρονται*] *ἐπαίρονται* — v. 14. *Νῦν γοῦν ἔτι*] Ante quae hic ponitur titulus *Ὅτι κἂν τῷδε τῷ βίῳ γέγωνε πολλάκις νεκρῶν ἀνάστασις πρὸς ἀπόδειξιν τῆς μελλούσης* — v. 17. *περὶ τὴν ψυχὴν*] *καὶ τὴν ψυχὴν* — v. 29. *θαύματος*] *τοῦ θαύματος* — p. 79. v. 10. *σωυρίδι*] *σπειρίδι* — p. 80. v. 20. *ἀλλὰ αἱ ἡμέραι*] *ἀλλ' ἢ ἡμέραι* — p. 81. v. 17. *παρείωεν*] *παρέσχεν* — p. 83. v. 8. *ποσειδῶνι*] Schol. *οὐδὲ τὸν υἱὸν καθάπερ ὁ Κρέων τὸν Μενοικέα, οὐδὲ τὴν παῖδα, καθάπερ ὁ Λέων τὴν Πραξιθέαν. οὐδ' ὅλως ἀνθρώπων, ὥσπερ ἐν Ἀρκαδίᾳ τῷ Κρόνῳ.*

Sequuntur 2) Notae in *Euripidis Tragoedias* sec. edit. *Venet.* ap. Ald. 1503. 8. *„Euripidis Tragoediae septendecim"*, de quibus *Majus* haec adnotat: *„Primum hoc volumen decem priores exhibet tragoedias Euripidis, manu Joachimi Camerarii, ut quidem existimo, notis quibusdam marginalibus locupletatas, quarum ratio ut lectoribus constet, quas ad omnium primam tragoediam, cui titulus Hecuba, adscripsit, nunc publicabimus."* Sunt loci e diversis scriptoribus ad illustrandam hunc tragoediam enotati. Idem color reperitur 3) in notis *in Euripidis tragoedias octodecim Basil.* ap. Hervag. 1544. 8. Graece, de quibus *Majus* haec scripsit: *„Habes hic lector amice nescio cujus adnotationes, quae Euripidea potissimum illustrant proverbia ab adagiorum collectoribus observata, quorum nomina ad marginem sunt posita. Usus vero est vir doctus editione Chiliadum Erasmi Basileense* 1574. fol., *cui et aliorum similes συλλογαὶ sunt adjectae.* 4) ejusdem farinae notae in *„Quinti Calabri Derelictorum ab Homero libri quatuordecim"*, excusi sine temporis nota apud Aldum in forma librorum octava, Graece una cum Tryphiodoro de excidio Trojae ex Colutho de raptu Helenae, de quibus *Majus* haec addit: *„Gilbertus Gaulminns, eruditissimis annumerandus viris et magnum Graecarum aeque ac orientalium litterarum decus, manu sua tractavit hoc volumen et doctissimis observationibus nondum editis auxit atque emendavit, quas etsi omnes adscribere cum maxime vellem, obstat tamen scribendi character negligens a Gaulmino usurpatus, lectu difficillimus."* 5) Notae in *Constantini Manassis Annales* Graece et Latine Jo. Meursius. Graece nunquam hactenus editos primus nunc evulgavit. Lugd. Bat. 1616. 4., de quibus *Majus* haec: *„Divini Claudii Salmasii manus prioribus horum Annalium foliis correctiones paucas, sed oppido ingeniosas ad marginem adjecit, quas inter sunt nonnullae a Meursio jam in notis occupatae."* 6) Notae in *Luciani operum tomus secundus* Basil. 1555. Graece tantum, de quibus haec observat *Majus: „Omnes paginarum oras adnotationibus suis stipavit Antonius Aemilius Aquensis, e quibus pleraeque omnes sunt Grammaticales maximam partem pubescentis ἀσκήσεις, adjectae tamen paucae aliquot sunt notae satis bonae."* 7) *Variae lectt. e cod. Evang. Joann. bibl. Uffenbach. MSS.* P. II. nr. III. p. 421. V. *Bibl. Uffenbach. Univers.* P. I. Sect. II. nr. III. 8) *Glossae Graecae* in *Apollinarii interpretatio Psalmorum versibus Heroicis.* Paris. 1580. 8. Graece", de quibus *Majus* haec notavit *„Incertum quis vir doctus ad oram obscuriora*

*passim vocabula Graecis synonymis exposuerit et hinc inde texta emendaverit. Nos praecipua, quoniam non magnus est numerus, aliqua tamen utilitas, hic recensebimus.*" 9) Notae in „*Veteres Glossae verborum juris*, quae passim in *Basilicis reperiuntur. Quas ex variis MSS. codd. Bibl. Reg. Carolus Labbeus nunc primum eruit.* Paris. 1606. 8.", de quibus *Majus* haec habet: „*Incerta manus viri docti quaedam in his Glossis emendavit ac in multis Meursii glossarium secuta est. Quae ex suo ingenio correxit vir doctus, haec sunt:*" Sequuntur notae criticae et explicationes Glossarum haud contemnendae. 10) Notae criticae et explicationes in „*Thesaurus utriusque linguae h. e. Philoxeni aliorumque veterum auctorum Glossaria latino Graeca et Graeco Latina. Isidori Glossae latinae. Veteres grammatici Latini et Graeci, qui de proprietatibus et differentiis vocabulorum utriusque linguae scripserunt. Edita omnia atque recognita studio et opera Bonaventurae Vulcanii.* Lugd. Bat. 1600. fol." *Majus* haec notavit: „*Incertus d. tamen doctissimus vir, quem Jo. Hogersium esse censet Uffenbachius, innumeris in locis emendavit Glossas et supplevit. Neque Bonaventurae Vulcanii notas et castigationes in Glossaria utriusque linguae dimisit absque suis animadversionibus.*" Perutiles illae notae sunt et ad emendandas et ad illustrandas Glossas Philoxeni inprimis et *Isidori.* 11) Notae in „*Clementis Alexandrini Opera Graece* ex prima omnium editione Florentina MDL. fol.", de quibus *Majus* haec: „*His quasdam adscripsit emendationes nonnisi ad Protreptici* p. 13. *magnus Henr. Stephanus petitas, ut conjicio, ex MS. quodam codice. Sane quas reverendissimus Praesul Oxoniensium Joannes Potterus in splendida novissima operum Clementinorum editione in scripto codice Novi apud Oxonienses collegii variantes lectiones invenerat, eae in multis cum adnotatis conveniunt Stephanianis, quod patebit ex collatione Oxoniensis editionis et H. Stephani castigationibus; in posterioribus tamen nonnulla etiam occurrunt, quae nemini adhuc visa, notata, animadversa sunt.*" Sequuntur *varr. lectt.* Edit. *Oxon.* et *H. Stephani* correctoris. 12) Notae in „*Carminum Poetarum novem, Lyricae poeseos principum fragmenta* editio a. MDLXVI. Excudebat *Henr. Steph.*" De his *Majus* notavit: „*Paucissimas adnotationes vir d. incertum quis adjunxit, nec tamen rejiciendas.* Emendat *Sapph.* versus ap. Stob. legendos verba in Scholiis Pindaricis citata p. 48." 13) Notae in *LXX. Interpret. versio.* Argentorati 1526. ap. Wolf. Cephalaeum tomi tres in 8. pure Graeca et sine capitum distinctione; de quibus *Majus:* „*Magnam impendit incertus vir d. operam hisce illustrandis libris mox Ebraica vocabula adscribens, quae Graecanicae versioni respondent, mox Latinam, mox Germanicam addens versionem, mox alia adferens ad personarum et locorum illustrationem (quae tamen pleraque ex Bocharto hausit) mox textum emendando, mox dogmatica, mox etiam Kabbalistica inspergendo, mox versionem τῶν ὀ cum locis ex ea in N. T. adducta comparando.*" Critica sola affert *Mai.* 14) Notae in „*Novum Testamentum Graeco-Lat.* Basil. 1566. 8." „*Non dissimili ratione idem anonymus illustrare conatur N. T., qua in versione LXX. Intt. et Complutensi edit. librorum sacrorum novi foederis fecerat. Etenim hic Graeca vel Ebraicis vel aliis Graecis synonymis vel Latinis vel Germanicis verbis affert, loca parallela laudat, ita tamen, ut singularia quandoque interpretamenta sua adferat, vere paradoxa et cum L. Graecae consuetudine non convenientia, nonnunquam etiam livorem prodat adversus theologos evangelicos, quorum tamen in sinu enutritus ipse videtur.*" *Majus*, qui hoc quoque loco Critica tantum excerpsit. 15) Notae in „*Florilegium diversorum epigrammatum in septem libros* Ἀνθολογία διαφόρων ἐπιγραμμάτων. Florentiae per heredes Phil. Juntae 1519. 8. „*Manu Theod. Jansonis ab Almeloveen illustratum. Notavit ad oram paucissimis vir doctus, ubi et a quibus unum alterumve epigramma Latine redditum reperiatur.*" *Mai.* 16) *Collatio codicis MSpti. Apollinaris Metaphrasis*

*bibliothecae acad. Giss.*, inchoata et usque ad *Ps. II*, 4. perducta a *Majo*, pristino hujus codicis possessore. Vid. supra p. 109. seq. 17) Incerti auctoris *adnotationes MSS. ad A. Gell. N. A.* ed. Argent. 1521. 8. *Majanis* similes, de quibus vide supra p. 116 et 117. extr. 18) Sequitur *descriptio editionum antiquissimarum auctorum classicorum, quae Incunabula* dicuntur. 19) *Recensus codicum Orientalium bibliothecae Uffenbachianae*, ab *Majo* factus, qui typis expressus est in *Bibl. Uffenbach.*, sed adscripsit Vir Ill. in *Adversariis* suis multa, quae in *Bibl. Uffenbach.* edita non extant. Inter hunc recensum codicum dedit idem Vir Cl. Excerpta libri *Joann. Zechendorfii de Poeseos antiquitate „qui se philologiae et orientalium linguarum cultorem salutavit ac ex duobus opusculis innotuit, Incentiva a. 1640. 4. edita et Circulus conjugalium ad linguas Ebraic. Chald. Syriac. et Arab. facillimo labore et brevissimo studio cognoscendas* a. 1626. 8. *et in Cod. MS. Uffenbach. extat Coronis de Poesi Arabum seu Arabicae linguae ratione metrica ab ipso manuscripta.“ Mai.* 20) Postremo loco reperitur *Maji Lexicon Hebraicum, latine illustratum* ab אבד *perire* usque ad תנור *furnus.*

---

## B. Adversaria aliorum virorum doctorum.

### I.

Cod. Giss. Nr. LXI.

B. S. Ms. 137. 4.

*„Cod. chartaceus saec. XVII., mutilus et valde depravatus, foll. 49., quorum 1. 2 a. 5 b. 6. 7. 46 b. 47 a. et 49. sacua sunt scriptura. Titulus: Johannis Frederici Gronovii Excerpta Plautina.“* Adrian.

Sunt hae notae ad *Plaut. Amph. Aulul. Trucul. Pseudol.*, quae continent explicationes singularum dictionum, v. c. *„vae victis, auro expendere aliquid“* locis aliorum scriptorum collatis. Criticum usum non habent.

---

### II.

Cod. Giss. Nr. LXII.

B. S. Ms. 136. 4.

*„Codex chartaceus saec. XVII., multis vocum compendiis, foll. 152., quorum 1—4. 140 b. et 144 b.—152. scriptura vacant. Insunt: Joh. Mensingae in Terentii sex comoedias Dictata. Subscr.: Finis Terentii. Ao. Christi 1690.“* Adrian.

Notae sunt *ad modum Minellii*, quibus difficiliora verba ac sententiae facilioribus explicantur. Doctae animadversiones nullae reperiuntur.

---

### III.

Cod. Giss. Nr. LXXVII.

B. S. Ms. 12. 8

*„Codex chartaceus saec. XVII., foll. 114., quorum 1 b. 2. 3. 95 b. 96. 105. et 114 b. vacua sunt. Titulus: Joh. Mensinga, Prof. Groening. Notata in Officia Ciceronis, Tit. X. prior. Institutionum et Vellejum Paterculum.“* Adrian.

Notae in *Cicer. de Offic.* ad interpretationem aliquid conferunt, ad criticam nihil. Sententiae Tullii ex aliis scriptoribus illustrantur; perexigui pretii sunt notae in *Institutiones*, quibus singuli *tituli* cum *Pandectarum* locis similibus comparantur. *Animadversiones* denique in *Vellejum* explicationes difficiliorum locorum continent et pauculas adnotationes criticas parci pretii maximam partem ex aliorum commentariis collectas, quibus plerumque vulgata lectio defenditur.

---

## IV.

### Cod. Giss. Nr. LXXXI.

B. S. MS. 10. 8.

*„Codex chartaceus saec. XVII., foll. 120., quorum 1. 119 b. et 120. scriptura vacant. Continentur: Joh. Mensingae Annotationes in L. Florum.“* Adrian.

Sunt notae, quibus sententiae et historiae illustrantur, aliorum scriptorum locis comparatis.

---

## V.

### Cod. Giss. Nr. LXXX.

B. S. MS. 11. 8.

*„Codex chartaceus saec. XVII. ineuntis, foll. 318., quorum 1. 2 b. 307—318. vacua sunt. Titulus: In L. Florum historicum Commentarius in incluta Salana dictatus El. Reusnero Leorino. Exceptus Georg. Pfizmario Pt. Palat. A. 1602. — Subscr.*

*Desinit ecce liber quartus plaudente caterva,*
*Laus sit Reusnero, laus et inde Deo.“*

Adrian.

Sunt *notae*, quae olim *historico-politicae* dictae sunt, cujusmodi notas scripserunt *Lipsius* ad *Tacit.* et *Freinshemius* ad *Curtium*, alii in *Caesarem*. Nunc nullius fere pretii sunt.

---

## VI.

### Cod. Giss. Nr. XLIX.

B. G. (3.) 2. fol.

*„Codex chartaceus saec. XVI., foll. 472., quorum 1. 3 b.—4 a. 470—472. scriptura vacant. Fol. 6 b. habet picturam rudi arte [diversis coloribus] factam, Aristotelem repraesentantem [moderno habitu, ut ita dicam]. Continetur: Georgii Halae Elenchus Homericus. Incip. (post varia poemata graeca et latina et praef.) fol. 7.: ἜΛΕΓΧΟΣ ῾ΟΜΗΡΙΚΟΣ Ἢ ἈΝΤΙΜΕΣΗΜΕΡΥΝΟΣ. Ἢ ἀντένδυπνος — De hoc codice et ejus auctore cfr. Ayrmann, Spec. libr. rarior. Bibl. Gissens. Giss. 1733. 4. p. 4. — Frischlin. Mem. theol. Wirtemb. I. p. 22. Supplem. p. 48. 221. et 243. — Pippingius, Arcana Bibl. Thom. Lips. p. 121. — A. Boehm, Diss. de nonnullis Bibl. Acad. MS. etc. Giss. 1771. 4. p. 4.“* Adrian.

Continet hic liber *Indicem plenissimum diligentissimeque confectum omnium vocabulorum Homericorum cum omnibus eorum formis quotiescunque reperiuntur ne minima*

*quidem vocula, ut τέ, δέ, μέν, οὐ etc. praetermissa, sed nulla interpretatione adjecta.* Unde hic *Index* simillimus est *Seberiani* in *Homerum*. *Editionem* tamen, *secundum quam factus est,* per inopiam antiquissimarum *Homeri* editionum, quarum plurimae in nostra bibliotheca academica desiderantur, invenire non potui.

Haec habui, quae de *Adversariis philologicis* bibliothecae nostrae academicae dicerem, quibus, nisi longum esset et a consilio nostro alienum, addere possemus *Indicem omnium earum hujus bibliothecae editionum scriptorum classicorum, quorum margini uberrimae doctissimaeque saepe antiquiorum philologorum ac theologorum notae adscriptae reperiuntur.* Sed ne nimia mole opus nostrum crescat, finem hujus partis faciamus.

## Expliciunt Commentarii critici.

# PARS II.

# APPENDIX CRITICA.

I.

# CARMINA NONNULLA LATINA MEDII AEVI NUNC PRIMUM E CODICIBUS EDITA, ADNOTATIONIBUS CRITICIS ET INTERPRETATIONIBUS INSTRUCTA.

# I.

# Johannes de Garlandia de Mysteriis Ecclesiae.

(E cod. Giss. Nr. LXX. et Darmstad. V. Comment. Crit. p. 86. VI.)

## Prologus.

Anglia quo fulget, quo gaudent praesule claro
Londoniae [1]), quo Parisius [2]) scrutante sophiam
Florebat studium; basis aurea, fulgide Fulco,
Firmae justitiae, mysteria suscipe sacrae
Ecclesiae, studio distincta metroque Johannis,
Tutius ut veniant in apertum judice tanto
Mystica. Parisius licet haec recitata probentur,
Exposcunt subtile tuum, pie pastor, acumen,
Qui sacer instituis sacros ad [3]) sacra ministros.

## Narratio.

I. Est domus ecclesia domini; summus faber illam
De [4]) petris vivis, quadris [5]) pariterque rotundis
Construit in caelis et amoris scemate [6]) jungit,
Fundamenta locans. Pes et basis est petra Christus;
Circumstans [7]) paries populus gentilis, hebreus [8]),
Christo fundatus per partes quatuor orbis.
Sancti quadrati lapides sunt, celte [9]) politi,
Quadrata [10]) stabiles virtute, poloque [11]) parati
Artificis summi praedocto pollice, quorum
Quidam portantur, nec portant; simpliciores
Sunt isti; portant, portantur; sunt mediocres;
Sunt et portantes, non portati; tamen hi sunt
Sancti, quos Christus ad caeli sydera portat
II. Turres doctores sunt; summa gallus in arce
Pervigil est doctor; gallus se verberat alis;
Ore movens horologium denunciat horas,
A sompno vicii doctor nos excitat; ante

(G. est cod. Giss., D. Darmstad.)

1) Sic G. Leys. *Ludonie* D. — 2) Sic G. Leys. *Pariseus* D. h. l. et v. 7. et 635. Qua in re notandum est, formam *Parisius* et in his locis et apud plerosque medii aevi scriptores cujusvis casus vicem sustinere. — 3) *et* Leys. — 4) Sic D. *ex* G. — 5) Sic G. Leys. *de* quadris D. — 6) *scema* est ornatus. V. Dufresne Glossar. med. et inf. lat. — 7) Sic D. Leys. *circumstat* G. — 8) *gentilis, hebreus* est gentilis *et* hebreus. — 9) *celtes* est quoddam instrumentum aptum ad scindendum lapides. Gloss. ap. Leys. Cfr. Dufresne. — 10) Sic Leys. *quadratos* G. *quadrati* D. — 11) *polus* vel *polum* quid sit h. l., ignoro.

Sese castigat; contra se [12]) flamina venti
Vertit, dum doctor insultus [13]) sustinet [14]) orbis.
Duplex ala sonans lex est nova lexque vetusta.
Presbiter et doctor cantare docere tenentur.
Aetas, ordo, locus, intentio, tempus, honestas,
Canon, materia, modus observatur ad aram.
Virgula, qua gallus sedet [15]), extat virgula recti.
Virga crucis posita summo [16]) rectum quoque firmat,
Et tholus [17]), in quo [18]) crux defigitur inviolata,
Est tholus iste [19]) fides, quae pollet tota rotunda.
III. Vitam praelati signant pinnacula [20]) turris:
Ardua vita petit sydentis [21]) sydera [22]) caeli.
Campanae signant doctores; lingua [23]) sonora
Lege nova resonat et tinnit lege vetusta.
Lignum campanae crux est, dilectio vinclum [24]);
Est virtus humilis de stupis pendula corda [25]),
Annulus [26]) in fine monstrat sine fine coronam.
IV. Ecce, vir electus, tamquam campana sonora,
Ecclesiae secreta sacrae committo magistro
Discutienda Petro, qui cancellarius urbis
Parisius studii directas ducit habenas,
Ad limam cujus resonant haec tinnula [27]) metra.
Non sequor ornatum, quia sum brevitatis amator,
Tantaque tantillo claudo secreta libello,
Quae scriptor certis studeat discernere punctis [28]).
V. Scripturas sacras [29]) vitreas dic esse fenestras
Quae veri solis homines splendore serenant.
Intus sunt latae, strictae foris; explicat illud,
Quod foris est simplex sensus, diffusior intus.
Dicas doctores has exercere fenestras,
Dum sensus quinque [30]) domino fecere nitentes.
Ecclesiae porta Jhesus est, qui sydera [31]) pandit;
Suppositos aliis doctores dico [32]) columpnas;
Templi sculpturas morum dic esse figuras,
Vivas picturas animarum non perituras.
Qui miseros relevant, sunt tigna; ligantur amore.
Ecclesia brevior cancellus mysticat esse

---

12) Sic G. *sed* contra flamina D. — 13) *insultus* rarius est voc. pro *insultatione.* — 14) Sic D. *continet* G. — 15) Sic G. *sedet* om. D. — 16) Sic D. *virgula*-crucis *summo posita* G. — 17) *tholus* est illud rotundum, in quo illa virga et illa crux defigitur. Gloss. Giss. Cfr. Dufresne. — 18) Sic G. *in qua* D. — 19 Emendavi *est tholus iste,* quum in G. sit *est tholus ista,* in D. *et tholus iste.* — 20) Sic D. *pinacula* G. — 21) Sic D. *sidentis* G. Est autem *sidens* i. q *siderosus.* Deest voc. ap. Dufresne. Redit haec vox v. 437 — 22) Sic D. *sidera* G. — 23) *lingua* est campanae, ferrum in medio campanae pendens, sonum faciens ex utraque parte campanae. Gloss. Giss. — 24) *vinclum* est, quo campana alligatur. — 25) *cordae* campanarum sunt ex stuppis factae. Gloss. Giss. — 26) *annulus* est circulus s. nodus, pendens in extremitate cordae. Gloss. Giss. — 27) *tinnula metra* sunt tenui sono praedita. Deest hoc voc. ap. Dufr. — 28) Sententiam Glossa Giss. sic explicat: *Legens hunc librum curet vel studebit pronuntiare certis punctis ipsum librum, vel per certa puncta faciet distinctionem, ne fiat confusio.* Ejusmodi puncta extant in D., sed non ubique recte posita sunt. — 29) Sic D. *sacras scripturas* G. — 30) Sic G. *quinque* om. D. — 31) Sic D. *sydera* G. — 32) Sic G. *dic esse* D.

Praelatos humiles, subjectos corpore, mente [33]).
VI. Est altare Jhesus, in quo fit victima sancta;
Sunt vestes arae Sancti, quos induit almi
Librator [34]) caeli. Gradibus, quibus itur ad aram,
Discipuli Christi signantur, sanguine quorum
Est sinus ecclesiae roseus; ter quinque figurant
Psalterii psalmos. Templum Salomonis habebat
Hos ter quinque gradus: totidem virtutibus esse
Nos decet ornatos. Sunt illi lumina, quorum
Fulget doctrina, signum regale triumphi,
Signum justitiae, signum praenobile vitae.
In medio crux ecclesiae spectanda locatur;
Corde redemptorem debemus amare profundo.
VII. Extra nitent quinque [35]), intus sunt quinque nitentes
Sensus; quinque per hos aliis exempla relinque [36]):
Sic nitet interius quis [37]) exteriore nitente.
Hi sunt ascensus sanctorum, quando gradatim
Incipiunt et perficiunt fiuntque beati.
Frons, pectus cruce munitur; mysteria signant
Haec crucis, et corde Christum fatemur et ore;
Fit crux in fronte sursum prius, inde deorsum;
Inclinavit enim [38]) caelos deus yma [39]) requirens.
A laeva redit ad dextram, terrena [40]) refutat,
Et redit ad dextram patris salvatio nostra.
Urbs et Iherusalem domus haec civesque beati
Sunt Sancti; Christus rex est, regina Maria.
VIII. Scribo mysteria, pando mysteria sacrae
Ecclesiae; faveas spiritus alme mi Johanni [41]).
Dedicat ecclesiam praelatus; circuit illam
Ter, populum totum [42]) praecedens; hic benedictam
Undam dispergit; ardentia lumina bis sex
Sunt foris ac intus; ad portam cum venit, inquit:
„Primi Praeclari [43]) portas attollite vestras:
„Aeternae portae tollantur, rector ut intret
„Glorificus [44]); clausus intus levita reclamat:
„Iste quis est rex glorificus?“ respondit et extra [45])
Praesul: „Virtutum dominus, qui gloriae rex est.“
Hoc ita ter dicto reseratur porta, subintrat [46])
Cum populo clerus, et praesul talia dicit:
„Sit pax huic domui;“ post cetera debita complet.
IX. Mens domus est domini; domino domus haec dedicatur [47]),
Fundamenta fides ponit, spes erigit, ignis

---

33) i. e. corpore *et* mente. — 34) *librator* h. l. est *rector.* — 35) Sic D. *quinque nitent* G. — 36) Sic D. *require* G. — 37) Sic D. *sic internus homo nitet* G. — 38) Sic G. *enim* om. D. — 39) Sic D. G. — 40) Sic G. Om. verba *terrena . . . ad dextram* D. — 41) Sic D. *faveas o spiritus alme Johanni* G. — 42) Sic D. *totum populum* G. — 43) i. e. vos principes. — 44) Sic D. h. l. et seq. vers. *glorificatus* utroque loco G. — 45) Sic D. *ad extram* G. — 46) Sic G. *reseretur* — *subintret* D. — 47) Sic D. *ista dicatur* G.

Consumat; sal est sapientia, pena [48]) piatrix
Peccati; sperso signatur praesulis amne
Mersio baptismi triplex, aspersio trina
Nomine facta patris, nati, quoque [49]) pneumatis almi.
Crux signum veri pastoris; mente [50]) caracter
Est pius impositus, oleo quoque, crismate sancto [51]).
Hoc signum regis; immersio trina sigillat;
Inde sequens fidei sit confirmatio sanctae.
Affectus [52]) mundos suprema perunctio signat,
Ut caelum redeat [53]) mundi completa dieta [54])
Per salvatoris assumpta viatica [55]) veri,
Si cor contritum confessio plena sequatur.
Instrumenta, quibus sensus sunt [56]) quinque parati,
Uncta madent oleo, si mors animosa minatur,
Ut peccata per haec, quae fiunt, cuncta pientur,
Gustus et olfactus, auditus, visio, tactus,
Cypridis excessus [57]), deformis actio [58]), gressus [59]).
Hoc breviter tacto, quae complet episcopus, edam.
X. Lumina discipuli sunt bis sex; virga [60]) potestas,
Est praesul Christus; percussio trina [61]) figurat
Imperium caeli, terrae barathrique [62]) vorantis [63]).
Quaestio [64]) levitae patet ignorantia [65]) plebis.
Ostia [66]), quae reserat praesul, vacuata figurant
Plebis peccata; quod pacem nunciat, hoc est,
Quod mediator adest hominumque [67]) deique ligator.
Orat pro templo praesul prostratus, et illud
Exorasse Jhesum demonstrat mortis in hora [68]).
Post surgens orat, tamen non ille salutat;
His applaudendum non est, quia sanctificati
Nondum sunt, sed [69]) eis supplex oratio prodest.
XI. Post alphabetum [70]) terra proscribitur [71]), hoc est,
Quod fidei [72]) simplex plebi doctrina patebit.
Ex alphabeto crucis est translatio [73]) Graeco,
Ex nostro [74]) Christus, quia lex elucet utroque.
A laevo versus oriens deducitur [75]) anglo [76]),
Solis ad occasum dextrum deducitur altrum [77]),

48) *pena* videtur h. l. esse *poenitentia.* — 49) *quoque* est h. l. *et.* — 50) Debebat esse *menti.* Sed metri causa vitium videtur esse factum. — 51) *crismate sancto* videtur esse explicandi causa additum esse vocabulo *olei.* — 52) Sic G. *affectos* D. — 53) i. e. *ut in caelum redeat.* — 54) *dieta* proprie est iter unius diei, tum simpliciter pro *itinere* ponitur, ut h. l., V. Dufr. — 55) *viaticum* est *sacra eucharistia,* quae aegris ac morituris datur. V. Dufr. — 56) Sic D. *sunt sensus* G. — 57) Sic D. *subridet excessus* G. Intelligitur *amor carnalis.* — 58) Sic D. *deformis et actio* G. — 59) Intellige *turpem incessum.* — 60) *virga* est h. l. *baculus episcopalis.* V. Dufr. — 61) *percussio triplex* eo constat, quod episcopus ter pulsat ad januam templi in dedicando ecclesiam. Gloss. Giss. — 62) *barathrum* est *locus damnatorum, inferna, die Hölle.* — 63) Sic D. *voracis* G. — 64) *quaestio* pertinet ad v. 99.: *iste quis est rex glorificus,* quibus verbis spectatur ad Psalm. 24, 7—10. — 65) i. e. significat gloriam — 66) *hostia* codd. — 67) Sic G. *que* om. D. — 68) Sic D. *ad horam* G. — 69) Sic D. *et* G. — 70) *alphabetum* in modum crucis bis in pavimento describit pontifex, cum consecrat ecclesiam. V. Dufr. — 71) Sic D. *conscribitur* G. — 72) Sic G. *fides* D. — 73) Sic D. *transversio* G. — 74) Sic emendavi; *ex nostra* D. *et nostro* G. — 75) Sic scripsi e conject., quum in G. esset *oriens educitur,* in D. *orientis ducitur.* — 76) i. e. angulo. — 77) *altrum* per syncopam dicitur pro *alterum.*

A dextro versus orientis mobile[78] anglo
Solis ad occasum laevum; crux inde notatur[79],
Quae[80] redit ad gentes, quando retrocedit Hebraeus.
XII. Advocat inde deum praesul, ut pugnet in armis[81]
Conversus fidei; post haec benedicitur unda[82]
Cum sale, cum cinere, cum vino cumque fluento[83].
Est aqua plebs; sal est doctrina, scientia dulcis;
Est cineris pulvis humilis memoratio[84] finis;
Bacchus aqua mixtus hominemque[85] deumque figurat.
Post haec ecclesia lymphis lustratur et ara,
Ut justus domino sit sanctus et intus et extra.
Virtutem signat humilem, quam mittit ysopus
Undam, nam Christus humilis nos compluit ymbre.
XIII. Tegitur ara quibus designant linthea carnem
Christi, quae fragrat, quae candet quaeque refulget.
Hinc thus accensum super aram corniger[86] affert,
Inque modum crucis hoc affert; per quatuor anglos
Altaris facit ille crucem; de sanctificato
Illinit hos oleo, procedens ordine muri.
Tres facit ille cruces, sancto crismatur olivo,
Albo post ara velamine candet operta.
Thura praeces signant et gratiam praestat[87] olivum,
Quae sanctos replet per partes quatuor orbis[88].
Album velamen poterit stola caelica dici,
Quam sibi debet homo felici fine mereri,
Suscepit postquam nomen speciale[89] patrini[90],
Postquam crux oleo signavit pectora sancto
Et scapulas pueri, frons est et crismate tincta.
XIV. Esdras luce quater domino praece psallere summo,
Nocte quater statuit; dixit domino David horis
Laudes septenis, media de nocte cubile
Linquens; octava vice magnificare supremum
Elegere viri, quos spiritus inbuit almus.
Compactum corpus elementis, quatuor horas
Quoque die, totidem praecibus de nocte reservet[91]:
Nocte Jhesus natus de virgine mane resurgit;
Adam de limo factus fuit et sine limo[92]
Tertia peccantem vidit illum, sexta vagantem[93],
Angelus ad primam dixit mulieribus horam:
„Surrexit Christus;“ inflammat tertia sancto

---

78) *orientis mobile* quid sit ignorare me fateor, quum etiam tota oratio perobscura sit. — 79) Sic D. *vocatur* G. — 80) Sic D. *quod* G. — 81) Sic emendavi e conject, quum in G. sit *praecertet in armis*, in D. *pugnat ut armis*. — 82) *unda* h. l. i. q. *aqua*. — 83) Sic G. *fluente* D. — 84) *memoratio* est h. l. *memoria*, *recordatio*. — 85) Sic D. *que* om. G. — 86) Videtur esse *corniger* is, qui *cornu* gerit, quod erat vas quoddam ecclesiasticum. V. Dufr., apud quem voc. *corniger* non reperitur. — 87) Sic D. *praestet* G. — 88) Sic G. *urbis* D. — 89) In G. est *spēale*, in D. *spāle*. — 90) Num *patrinus* h. l. est puer in confirmatione? V. Dufr. Alibi est *Gevatter*. In G. haec glossa extat: *Per album velamen significat nobis regnum caeleste s. stolam caelicam, quam stolam homo debet mereri, postquam suscepit spiritnale (spūale) nomen ipsius Christi.* — 91) Sic G. *reservat* D. — 92) *sine limo* h. l. est *sine macula*. — 93) *vagantem* e paradiso ejectum.

Pneumate discipulos; sexta crucifixus in hora
Exspirat nona Christus; nos commemoramus
Adventum Christi supremum vesperis hora.
Gaudia sanctorum per completoria [94] lector
Accipe, quae fient, cum corpora nostra resurgent [95].
Sòlvuntur labia post factam nocte quietem;
Poscitur auxilium, jubilat data gloria trino.

(Sequitur supplementum e cod. *Darmstad.* haustum, de quo vid. *Comment. Crit.* p. 87.)

Post haec invitat cantator voce levata
Ad laudem trini, quod praetermittitur usu
Ad festum stellae; nullo duce namque periti
Advenere magi, ubi summi principes orti
Sydere praeclaro; vox mitis, deinde levata:
Laus est ecclesiae pro se, sed deinde propinquis
Ymnus subsequitur invitatique resultant [96]:
Designant opera bona; psalmi bis sexque sequuntur
Pro bis sex horis noctis, quandoque novem sunt,
Ut nos accipiat caeli chorus ordo novenus.
Luce quidem domini sex canis ordine psalmos
Gloria [97] prolata cum psalmis quatuor una.
Collaudamus in hoc patriarchas atque prophetas
Et Christi comites; monstramus eos habuisse
Quatuor in trino virtutes cardine primas. [98]
Sanctorum monitus vocat alternatio psalmi.
Antiphonae [99] signant flammas ardentis amoris;
Gaudia neuma [100] notat nulla manifesta loquela;
Versiculus [101] pigras mentes docet evigilare.
Post domini sequitur oratio, corpora, corda [102]
Mundificans: „domine jube benedicere" lector
Profert, ecclesiae majestas panditur illo;
Christi persona reddit benedicta [103] sacerdos.
Pulchre procedit oratio, semina sparsa
Ne legat nec ales, aut spinae suffocet hamus.
Quod vero petitur benedictio, monstrat, ut audax
Spergere sit nullus, nisi missus, semina verbi.
„Tu vero domine nostri miserere" supremo
Dicitur, ut venia detur pro pulvere fastus.

---

94) *completorium* est officium ecclesiasticum, quod caetera officia diurna complct ct claudit, unde dicitur sub noctis initium V. Dufr. — 95) i. e. postquam mane surreximus. — 96) *resultant* i. c. cantando respondent. Cfr. v. 364. — 97) *Gloria* est cantus: *Gloria in Excelsis* e Luc. 2, 14. sumptus. — 98) Intellige *virtutes cardinales.* — 99) „*Antiphona* est cantus ecclesiasticus alternus, cum scilicet a duobus choris alternatim psalmi aut hymni concinuntur; strictius loquendo in ecclesiasticis officiis dicuntur merae ex variis psalmis diversorum versuum, qui magis solennitatis mysterium exprimunt, eclogae, quae psalmis ipsis concinendis praemittuntur, seu sententiae, quae psalmum antecedunt, quia ad ejus symphoniam psalmus cantatur per duos choros ipsaque antiphona conjunguntur duo chori. Differt autem *antiphona* a *responsorio*, quod in *responsoriis* unus dicat versum, in *antiphonis* autem alternent versibus chori." Haec Dufr. v *Antiphona.* — 100) *Neuma* i. q. jubilus, productio cantus in finali litera antiphonae. V. Dufr. v. *Pneuma* et *Wolf* über die Lais, Sequenzen und Leiche. Heidelberg 1841 p. 30 ct p. 285. — 101) *versiculus* ct *versus* sunt breves sententiae biblicac et aliae paraphrases. V. Wolf l. c. p. 30. — 102) i. e. corpora et corda. — 103) *benedictum* est i. q. *benedictio.*

Gratia, quae domino data sit, non spectat ad illud,
Quod lector profert, sed nos quia lectio pavit.
Responsum sequitur, opus illud signat honestum;
Sermo praecedit, subeunt praeconia facti;
Designare fidem trini ternarius ordo
Dicitur; ordo quidem repetitus si quater assit
Quadruplex sensus[104]) dici valet; historialis
Est unus; sequitur post allegoria; sequenter
Est tropologia; dicetur post anagoge,
Sicut Iherusalem polis[105]) est terrena, fidelis
Constans ecclesia, mens fortis patria summa.
Inde Deum collaudamus, venit ordine cantus,
Hoc ut mirifice laudemus tempore Christum.
Versiculo reddit stabiles in laude sacerdos;
Officium sequitur, populum quod signat Hebraeum
Submerso Pharaone Deum laudasse supremum.
Denotat ecclesiam primam prior ordine psalmus,
Ecclesiam psalmus notat alter gentibus ortam.
Post duo junguntur psalmi, quod credit uterque
In Christum populus in mundi fine fidelis.
Leviathan stragem puerorum denotat ympnus,
Tres psalmi laudum signant Noe, Iob, Danielem:
Presbyter hortatur, ne deficiamus in hujus
Mundi conflictu; consentit in hoc canor ympni:
Excitat hinc versus, ut nos dixisse prophetas
Verum credamus; Zachariae verba sequuntur:
Monstrant, praedicta de Christo impleta fuisse.
Defert thuribulum sacrifex: cor denotat illud,
Incensumque[106]) praeces. Amor est, qui clauditur ignis.
Antiphonae prius inceptae plene recitantur.
Post psalmum, quoniam Christus dilectio sancta
Incipit in mundo. Post hunc plenissimam vitam
Gaudia neuma notat; oratio pascit, ut illud,
Quod nos incipimus, caelestis compleat auctor.
Quod Benedicamus pueri cantare jubentur,
Monstrat, quod nostras excedit gloria laudes,
Unde Deo grates audis in fine resultans.
De reliquis horis[107]) praemissae sunt rationes.

---

104) Haec verba eo referenda sunt, quod sacra scriptura quatuor modis explicatur, *historice*, i. e. res narrantur, sicut gestae sunt; *allegorice* per similitudinem; *tropologice*, cum vel sermo verus de praeterito ad futurum convertitur, ut si de hac propositione *David interfecit Goliam* formamus istam de futuro, scil. *David interficiet Goliam*, et tunc per talem significamus, quod humilitas occidet superbiam, vel *tropologia* est conversio ad mores vel sensus morales ad correctionem morum, ut *omni tempore vestimenta tua sint candida et oleum de capite tuo non deficiat*, i. e. *opera tua sint munda et caritas in mente tua non desinat.* Expositio *anagogica* est, quando per terminos, significantes res temporales aeterna vel ad minus incorruptibilia dicuntur, ut si per hunc terminum *Iherusalem caelestis patria* significetur. Haec e Gloss Giss. excerpsi. — 105) *polis* est h. l. Graeca vox πόλις, urbs. V. Dufr. — 106) *incensum* thus dictum, quia igne consumitur, dum offertur. — 107) *horis* sc. *canonicis*, i. e. officiis diurnis, quae in ecclesiis fideles psallendo exsequuntur. V. Dufr.

(Hactenus ea, quae in solo *Darmstad.* cod. reperi. Quae sequuntur in utroque codice extant.)

X. Post vespertino succedet tempore cantus.
Quinos cantamus psalmos, ut quem venialem
In nobis quinque[108] sensus fecere reatum,
Purget psalmodia, purget miseratio[109] Christi:
Sanctorum monitus est alternatio psalmi.
Est amor antiphona, caput[110] exhortatio vitae.
Responsum confirmat opus; simul et canor ympni
„Magnificat" sequitur, per quod devotatio surgit,
Cum dominus mites exaltat, deicit altos.
Bis binos psalmos ad completoria psallas,
Nam nostrum corpus ex quatuor est elementis.
Illius labes purgat oratio vera[111].
Non caput hoc ympnum praecedit tempore paschae;
Non ympnum canimus in festo; namque tenemus[112]
Quem[113] praedixere, quem laudavere prophetae.
Nos hortamur[114] in hunc[115], quem longa laude canebant,
Nos vocat ad verum lumen cantus Simeonis.
Est humilis virtus praecibus monstrata profusis;
Et signata genu cordis contritio flexo.
Ambo flectuntur, Judaei ne videamur[116].
In domini luce. Paschali tempore flexis
Non orare licet genibus, reverentia causa est.
Quod crux velatur, quod fit detectio festo
Parasceues, signat legis velamina sacrae,
Passio, quae Christus priscis obscura retexit[117].
Demissum[118] legis est consummatio velum[119],
Tunsio[120] fit culpae, mens, vox, opus[121] inde notatur.
Unica campana pulsatur vespere, mane,
Et quia principium deus est, finis deus unus:
In reliquis horis pulsatio[122] plurima tinnit.
Multiplicantur enim divini semina verbi
XI. Est iter in caelum processio[123 a], vitaque munda
Quae praecedit aqua, pietatis facta lucernae.
Inde triumphale signum crux alma secuta
Post evangelium fertur; praecedit at illud
Pulvinar[123 b]; textus levitas pulvinar habetur
Et clausus[124] textus; hoc delectat, docet illud.
Sudoris tempus est septuagesima nostri;

---

108) Sic D. *quini* G. — 109) Sic D. *miseria* G. — 110) *caput* h. l. est *capitulum*, quod plerumque praecedit hymnum. Erant autem *capitula* breves lectiones, quae in divino officio loco lectionum i. e. excerptorum e SS. Patribus in singulis horis tam nocturnis, quam diurnis dicuntur. V. Dufr. *v. Capitulum.* — 111) Sic D. *purgans oratio mundat* G. — 112) i. e. *in nobis est.* — 113) Sic G. *illum* D. — 114) *hortari* h. l passivo genere positum est. — 115) Sic D. *ad hunc* G. — 116) Hoc dictum est, quia Judaei unum tantum genu flectunt. Gloss. Giss. — 117) Locus hic videtur esse corruptus. — 118) Sic D. *dimissum* G. — 119) *velum* tempore lecturae passionis Christi solet deponi in ecclesia. Gloss. Giss. — 120) Deest haec vox ap. Dufr. — 121) vox *et* opus D. Delevi; *pax opus* G. — 122) *pulsatio* sc. campanarum. — 123 a) *processio* fit circa ipsam ecclesiam legendo et cantando. — 123 b) Sic G. *per pulvinar* D. — 124) Sic G. *est plausus* D.

Nos pentateuchus superas invitat ad aedes.
Annos hoc tempus designat septuaginta,
In quibus Hebraeos tenuit Babylonica pestis.
Nos decet exilio citharas suspendere nostras,
Et latitante Jhesu cantus latitare jubentur,
Gloria quod monstrat post responsoria lapsa [125]).
In cena domini venerabile crisma sacratur;
Tunc pius est agnus morti se tradere [126]) promptus.
Ad pacem missae sacrari crisma jubetur.
Praecedunt pascha tenebrae, quibus est quasi mestus
Propter defunctos cantus, cantusque tacentur.
Principium, finis [127]), quod morti traditur ille,
Quem scis principium rerum finemque [128]) beatum.
Extinctae signant candelae, dum celebrantur
Paschales tenebrae, quod vitae luce prophetae
Fulserunt, tamen est illis extincta lucerna
Vitae pro domino. Major candela supremo
Denotat extincta [129]), quod Christus denique reddit
Vitam pro populo; sed lux abscondita surgit,
Et surgit Christus sol verus; splendor Olympi [130]).
In tenebris kyrie cantatur, quod mulieres
Signat quaerentes dominum; percussio [131]) facta
Surrexisse Jhesum sonitus terrore figurat.
Campanae mutae metus extant discipulorum,
Desertum monstrat arae nudatio Christum;
Amne mero lota signant altaria Christum
In cruce baptismi laticem fudisse cruorem
Martyrii, vicii purgamen martyris ostrum [132]).
XII. Parasceue missae caret officio, quia Christo
Compatimur; signat oratio multa profusa
Exorasse Jhesum pro nobis in cruce servis.
Cereus [133]) est paschae lux mundi; lectio legis
Priscae [134]) demonstrat, Christum cecinisse prophetas.
Quadras virtutes [135]) ordo notat ille quaternus,
Corda renatorum demonstrant cantica laeta.
Lectio, quae prima tractu [136]) caret, innuit Adam
Non cecinisse Deo laudem, dum credidit Evae:
Non fertur „Dominus vobiscum," lectio nulla
Proclamat titulum [137]), dum Christus gaudia surgens

---

125) Hunc versum ita intelligo: *Hoc signat Gloria, qui cantus post responsum remissior est.* — 126) Sic D. *se morte tradere* G. — 127) i. e. principium et finis cantus. — 128) Sic D. *finem rerumque* G. — 129) i. e. candela major postremo extincta. — 130) Sic D. *splendor sol verus olimpi* G. — 131) percussio fit trina corporis, quia Christus tres alapas accepit a Judaeis, cum esset coram Pilato. Haec hausi e Gloss. Giss. — 132) *ostrum* intelligo *sanguinem*, quasi colorem ostri habentem, quod est genus purpurae. — 133) *cereus paschalis* est, qui in sabbato sancti paschatis a diacono benedicitur et novo igne accenditur. V. Dufr. - 134) Sic D. *parasceue* G. — 135) i. e. quatuor virtutes cardinales. — 136) *tractus* est cantus species a *trahendo* dicta, quia *tractim* canitur. V. Dufr. et Wolf l. c. p. 97. — 137) prophetiae proferuntur et leguntur sine titulo, i. e. ut opinor, sine *laudibus*, quae saepe significant idem q. *allelujaticae sequentiae* s. *jubilus*.

Protulerat; pacis non donans oscula[138], per quae
Monstratur Judae fallacia tecta[139], dolosa.
Alleluja canis unum[140], dum sabbata paschae
Concelebras, tractusque sequens haec tristia monstrat[141].
Praecedit pascha lectio Jheremiae; pascha
Subsequitur caeli detectio facta Johanni;
Gestaque sunt lecta post fortia discipulorum;
Gentilis populus faciens[142] arvambula[143] Romae
Excoluit festum Cereris, sed munera Christi
Virginis et matris festiva rogatio poscit,
Scilicet ecclesiae pacem caelesteque regnum.
XIII. Post penthecosten nos regum fortia bella
Arma jubent ferre; sapientia post Salomonis
Augusto legitur, qui mensis sextus habetur,
Nos aetate docet sapientia vivere sexta[144].
Septembri legitur Iob, Tobias, Judith, Esdras;
In mundi fine Syon feret[145] aspera multa.
Inde per Octobrem Machabaei gesta leguntur;
Octavus mensis surgentum gaudia signat;
Scripta prophetarum nobis sunt lecta Novembri,
Donec in adventum deposcit nos Isaias,
Plenius explanans aeterni principis ortum.
XIV. Natalis missae pandit celebratio primae
Ante sacram legem tempus, panditque secunda[146]
Auroram legis; dat nobis tertia lucem.
Post festum stellae nos pascit epistola Pauli;
Mundandi lavacrum, dum septuagesima monstrat,
Ad Moysen tempus ab Adam notat illud; in illo
Mors regnum tenuit. Hoc nobis commemoratur
Ad paschae tempus, dum cessat Gloria, cessat
Alleluja, Deum laudamus, Gaudia promens
Gloria non canitur[147], tamen Alleluja resultat[148]
Adventum domini[149], quia laus in lege dabatur.
Sed lex non pacem, nec justitiam dedit ullam.
Alleluja duplex paschae post tempora prodit
Ad penthecosten, quod gaudia plena figurat;
Janua peccanti reseratur votaque dando
Stantes oremus[150], quia summi principis aula
Aeternus plausus aeternaque gaudia rident[151].
XV. Ordo subsequitur cleri; patet ordinis ordo:

---

138) *oscula pacis* inde dicta, quod olim in ecclesia is modus obtinuit, ut in missae celebratione, dum sacerdos post hostiae consecrationem haec verba proferret: *Pax domini sit semper vobiscum.* V. Dufr. v. *Osculum pacis.* — 139) Sic G. *recta* D. — 140) Sic D. *verbum* G. — 141) Sic D. *signat* G. — 142) Sic D. *faciens* om. G. — 143) Sic D. *ornabula* G. Vox *arvambula* metri causa h. l. corrupta est ex *ambarvalia*, cujusmodi corruptionem nusquam alibi reperi. — 144) Verba *sexta aetate* referuntur ad antiquam illam chronographorum divisionem, qua sex aetates mundi numerantur, quarum sexta incipit a Christi nativitate. — 145) Sic G. *fert* D. — 146) Sic D. *pandit tempusque* G. — 147) Sic D. *recitatur* G. — 148) *resultat* est quasi cantando, respondendo annuntiat. V. v. 195. — 149) Sic D. *christi* G. — 150) Sic D. *oramus* G. — 151) Sic D. *reddent* G.

Janitor et lector; post exorcista venire
Debet et acolytus; communior ordine, major [152]);
Subsequitur; sacrifex est ultimus, ordine major [153]):
Septem sunt numero, septem mysteria signant.
Non sit morosus clerus, sed morigeratus [154]),
Est quia morosus ex more malus reprobatus,
Janitor indignos cum clave recludere debet;
Scripturas lector [155]) sapit, exorcista [156]) recludit
Daemonis incursus; candelas vasaque defert
Acolytus; communior [157]) ordine circuit aram;
Corporis hic Christi vas fert et sanguinis, unde [158])
Hic caste vivat, calicis qui tegmina mundat.
Hic calicem tangit manibus tractatque patenam [159]).
Levitae sancti sunt aurea lumina septem,
Isti sunt etiam septena tonitrua [160]); septem
Dona sacri flatus [161]) debet in pectore ferre.
His evangelica dispergere semina fas est.
Praecones genua persuadent flectere plebem.
Levitae e manibus calicis vas sume sacerdos.
Vigenos annos habeat levita fidelis.
In scapula defert oraria [162]) sumpta sinistra,
Quae juga designant Christi, quae praeco subivit.
Ter denos habeat completos presbyter annos.
Illius et praesul [163]) tangit caput, ordinis auctor [164]),
Presbyterique simul, ut spiritus influat illis.
Accipit inde stolam, scapulam, per utramque sacerdos.
Armis justitiae munire debet utrumque
Praesulis a manibus, calicem capit atque patenam;
Infula traditur huic [165]), sacrandi sacra potestas.
Ordo nec [166]) est major, si praesul in ordine praesit,
Hoc est, ne fiat discordia, scandala [167]) surgant.
Janitor est Christus etiam, dum mittit ab aede
Vendentes domini; lector fuit ipse legendo,
Quae dixit vates Isaias; pectora mundans
Daemonis a menda fuit exorcista, fuitque
Acolytus, quando dixit „Sum lux ego mundi;"
Sublevita, lavans vestigia [168]) discipulorum.
Se dans ipse suis fuerat levita ministris,
Et quando dixit: „Vigilate et [169]) orate vicissim."
Verus erat sacrifex [170]), cum panem cumque Lyaeum

---

152) Sic D. *communior* videtur esse *minor diaconus, hypodiaconus.* In G. est *poni minor ordine autor.* Sed locus videtur esse corruptus. — 153) *ultimus in ordine* D. Ejeci *in;* G. habet *sacrifex est ordine major,* omisso vocabulo *ultimus.* — 154) Sie D. *morieratus* G. — 155) Sic D. *lector* om. G. — 156) Sic D. *et exorcista* G. — 157) Sic D. *toni minor* G. — 158) Hunc versum sumpsi ex D. Deest in G. — 159) Sic D. *calicem tractet recteque patenam* G. — 160) Haec verba spectant ad Apocalyps. 1, 12 et 10, 3. — 161) *dona sacri flatus* sunt *dona sancti spiritus.* — 162) *orarium* est *stola sacerdotalis,* de qua vid. Dufr. — 163) Sic D. *et* om G. — 164) Sic D. *actor* G. — 165) *huic* scripsi e conject., quum in codd. sit *hiis.* — 166) Sic G. *non* D. — 167) Sic G. *et scand.* D. — 168) i. e. pedes. — 169) Sic D. *et* om. G. — 170) Sic D. *sacerdos* G.

In carmen propriam mutaverat inque cruorem [171],
Ut memores mortis [172] eadem fecisse studerent.
Sic [173] sacrifex sacrumque [174] pium fuit in crucis ara,
Cujus terra, polus, respublica servit honori,
Qui sacra constituit septem celebranda per orbem [175].
Haec sunt conjugium et [176] baptismi debita forma,
Ordo sacer Christique caro de pane sacrato;
Praesens pena piat [177] confessos crimina justos [178],
Roborat inde fidem sacra confirmatio nostram;
Unctio [179] suprema pietatis praemia monstrat [180 a).
Matrimo. bap. or. ca. pe. confir. unctio summa [180 b].
XVI. Accipio calamum vestes describere promptus [181],
Sumere quas debet divini vinitor agri.
Alba [182] notat mentes albas et zona [183] pudorem;
Jus humerale [184] notat rationaleque [185] sophiam
Accipe; trans humeros designat amictus [186] utrumque.
Fortis in adversis ut sit, stola [187] pendula signat,
Illius longum [188] finalis linea fertur;
Denotat illud idem talaris candida vestis [189].
Zona stolam jungit, virtutes necte [190] per illud [191],
Infula [192] comprendens totum designat amorem,
Abstergit sordes animi vigilantia pigri.
Fertur, quam gestat vigilantia, laeva manipla [193].
Sidens dalmatica [194] levitae prodit amorem;
Linea coccinea [195] duplex retro pendet et ante;
Utraque lex extat bissenaque fimbria signat,
Perfectum quia [196] pollet [197] opus, quod prodit ab igne.
Fimbria per varia [198] quam servat laeva, figurat
Activam vitam, quam rerum cura molestat.

(Quae sequuntur usque ad finem, sunt e cod. *Darmstad.*, quum in *Giss.* multo aliter legantur, non tamen, ut censeo, rectius. Quare sequi malui codicem *Darmstadinum*. *Epilogus* in Giss. deest. Vid. supra *Comment. crit.* p. 87.)

Pontifices tunicis [199] uti perpende duabus,
Ut de thesauro promant nova, prisca disertim
Signum signatum, quod gerat cum nomine claro
Pastor, ne pereat, si sit sine teste valoris.

---

171) Sic D. *in carne propria mutavit atque cruorem* G. — 172) Sic D. *mortis memores* G. — 173) Sic D. *hic* G. — 174) Sic D. *sacrisque* G. — 175) Sic D. *per urbem* G. Post hunc versum sequitur in G. is, qui in D. est versus memorialis per compendia compositus, ut omnia uno versu comprehenderentur, quae antea copiosius erant exposita, unde recte mihi videtur orationem terminare in D — 176) Sic D. *et* om. G. — 177) Sic D. *fiat* G. — 178) *confessis justis* G. D. Correxi. — 179) Sic D. *unxio* G. — 180 a) Sic D. *poscit* G. — 180 b) Versum exple sic: *Matrimonium, Baptisma, Ordo, Caro, Pena, Confirmatio.* — 181) Sic G. *prumptus* D. — 182) *alba* est vestis sacerdotalis, de qua v. Dufr. — 183) *zona* vulgo *cingulum* appellatur, de quo v. Dufr. *v. Cingulum.* — 184) De *humerali* v. Dufr. — 185) De *rationali* veste v. Dufr. — 186) *trans humero amictus* est *transhumerale*, quod vulgo *superhumerale* dicitur, de quo vid. Dufr. *v. Superhumerale.* — 187) De *stola* v. Dufr. — 188) *longum* est h. l. pro adverbio positum. — 189) *talaris vestis* non extat ap. Dufr., sed est vox antiqua. — 190) Sic G. *junge* D. 191) Sic D. *per illam* G. — 192) De *infula* v. Dufr. — 193) De *manipla* v. Dufr. — 194) *sidens dalmatica* est *siderosa* vestis dalmatica. Vid. not. 21. et Dufr. v. *Dalmatica.* — 195) *linea* est vestis interior, stricta, de qua v. Dufr. — 196) i. e. *quod.* — 197) Sic D. *prodit* G. — 198) Sic D. *fimbria vel varia* G. — 199) De *tunica sacerdotali* v. Dufr.

Flebilis hypocrita semper gemit; inclitus [200]) omnis
Semper gaudebit inopi solatia praebens.
Pontificis mitra [201]) duo testamenta figurat,
Sandala [202]) pontificis signant postponere terram
Caelis; inferius sunt integra, praesul ut astra
Aspiciat; caligae [203]) calles sermonis habentur.
Annulus [204]) est signum regis, regat ut bene corda
Consolidetque fide fluidos Christoque renodet [205]),
Quo colit se ecclesiae caelesti gratia sponso [206]).
Inclita sanctorum chirothecae [207]) facta figurant.
Est baculus [208]) rectum, quod debet in omnibus esse.
Pastorale pedum regit agnum, dirigit hoedum.
Curva trahit mites pars, pungit acuta rebelles,
Curva trahit, quos virga [209]) regit, pars ultima pungit.
Quae capit archiepiscopus [210]) demonstrant pallia [211]) quod sit
Legitimus miles. Cocco notat infula [212]) papae
Martyrio promptum; praecedens crux notat ambos
In cruce legitimos pugiles pro nomine Christi,
Crinis tonsura resecanda superflua signat.
Innuitur rasis aeterna corona coronis.
Presbyteri manus est oleo sacrato peruncta,
Pneumatis ostendit donum, quo dextera pugnat.
Mystica compleri poscunt haec cuncta videri [213]).
Mysticus est clerus domini de sorte vocatus.
Janitor est, quicunque fidem docet; ille docendo
Mores lector erit, erit exorcista precando;
Acolytus lucem dando, pronusque minister
Est sublevita; dici levita meretur,
Si laicos exhortatur verboque manuque,
Hostia Deo sancta si fiat, presbyter extat.
XVII. His dictis missae paucis ego mystica scribo.
Sanctorum primum signant suspiria, missae
Introitus versus extat psalmisticus [214]),
Gloria, laus, cantus, iteratio pectora primum
Priscorum signat suspiria saepe dedisse.
A nobis kyrie designat ter triplicatum,
Antiquos patres coetus optasse novenos
Aetheris; interea procedens veste sacerdos
Ornatus signat sponsum de virginis aula

---

200) *inclitus* h. l. est integer, bonus. V. Dufr. — 201) De *mitra* v. Dufr. — 202) *sandala* per licentiam metricam dicta sunt pro *sandalibus*, de quibus v. Dufr. — 203) De *caligis* v. Dufr Sed quid h. l. sint *calles sermonis* non intelligo — 204) De *annulo* v. Dufr. — 205) *Christo renodet* est quasi nodo, vel vinculo cum Christo copulet. Deest verbum *renodare* ap. Dufr. — 206) *sponsus ecclesiae* est Christus. — 207) *chirothecae* sunt *manicae*, Handschuhe, Galliee *gants*. V. Dufr. — 208) *baculus* est *pastoralis* V. Dufr. — 209) *curva* legitur ap. S. Hugon. de Victore in Spec. eccles. c. 6., ubi hi duo versus afferuntur. V. Dufr. v. *Baculus* et *Commentt. nostros* crit. p. 86. — 210) *archiepiscopus* h. l. quatuor syllabis pronuntiandum est, quasi dicas *ārchĭcŏpus*, ut apud poetas medii aevi interdum *sententia* legendum est quasi esset *sentia*. — 211) De *pallio sacerdotali* v. Dufr. — 212) *cocco infula* est infula coccinea. — 213) Hic versus obscurus est. — 214) Hoc vocabulum deest ap. Dufr.

Tanquam de thalamo vestitum carne venire,
Processus duplex est cujus matris ab alvo
Eque summo patre [215]), est et secretus uterque.
Et chorus antiquus portator luminis [216]); neque
Sublevita sequensque simul levita; novellae
Plebs legis [217]); post hoc positus liber est super aram:
Ponitur in Syon lex, quae se fundit in orbem;
Assit confessio communis, tunsio [218]) crebra,
Missa, Pater noster, Elemosyna; sit benedicta
Hinc aqua; peccata nobis venialia tollunt;
Postquam Confiteor profertur, presbyter arae
Oscula dat positoque libro designat Hebraeos
Ara [219]) liber gentes, offertque minister uterque
Presbytero librum, gentique semina sancti
Dum spergunt, redit ad Christum plebs subdita Christo.
Incipit altaris a dextra parte sacerdos
Missam, Judaeos signans, quibus edita lex est;
In medio vero cantatur Gloria, per quod
Est mediatoris ortus signatus ab alto;
Et chorus angelica designat cantica laeta.
Post fertur „Dominus vobiscum,“ Christus in illis
Ut maneat. „Sit pax vobiscum“ praesul adorat [220]),
Quod Christus dixit, postquam surrexit, amicis.
Hinc Oremus ait, ut nos orare velimus.
Discipulos Christi designat epistola lecta.
Responsum notat offensum, quia semine jacto
Credidit autor [221]). Post Alleluja resultat [222]).
Utitur ecclesia primis tribus unica linguis [223])
Denotat Hebraeum legem Graecumque sophiam;
Itala vox regnum, quibus est laus principis aucta.
Est ordo: lex auditur; plebs inde resultat [224]).
Quod repetis laudem, notat alti gaudia caeli,
Plausus inexpressus in caelo semper abundat.
Ostendit tractus [225]) vitae lacrimabile carmen
Contemplativae, quo pro se proque propinquis,
Pro patria luget. His factis ordine cunctis
Est Evangelium lectum, sed parte sinistra,
Nam redit ad gentes Christus contemptus Hebraeis.
Contra te legitur, aquilo [226]), quia caelica verba
Nos armant contra sathanam, qui pectora stringit.
Stirps Levi quondam dignos transmisit ad aram.
Assumptum dic esse Levi, dic inde levitam,
Ut levita probus arae sumatur ad usum,

---

215) Construe: *Cujus processus duplex est*, e matris alvo et a patre. — 216) Haec verba non intelligo. — 217) Haec quoque obscura sunt. — 218) Deest haec vox ap. Dufr. — 219) Haec obscura sunt. — 220) *adorat* h. l. est *insuper orat*, quae significatio a Dufr. non notatur. — 221) Haec verba non intelligo. — 222) i. e. resonat. — 223) Hoc non intelligo. — 224) i. e. respondet cantando. — 225) De *tractu* v. not. 136 — 226) i. e. ad septentriones versus.

Magnus ut in populo fiat justusque sacerdos;
Depositi baculi monstrant nos linquere Christo
Vindictam; caput est detectum, corpore, mente[227])
Ut prompti simus, stemusque[228]) pugnare parati.
Crux frontem munit, ne vectes[229]) rumpere possit
Hostis. Verba gradu domini majore[230]) leguntur,
Nam doctrina Jhesu doctrinas praeterit omnes.
„Credo“ sequens notat assensum tribuisse popellam.
Dicitur hinc „Dominus Vobiscum,“ quae tulit olim
Verba Boas prima messoribus[231]) ut remanere
Plebs velit in fidei doctrina, quod jubilando
Promittit, quoniam canit Offertoria[232]) coetus.
Inde quidem domino fert acceptabile munus,
Quod fecit Salomon domino, tum templa dicavit.
Postea fert panem, fert vinum dextra sacrantis
Utraque; Melchisedech haec obtulit; utraque Christus
Discipulisque dedit et in illis se dedit ipse;
Alterutrum capiens perfecte sumit utrumque,
De multis speculis simul et semel ut speculare
Sit Christus melius, multis speculatur[233]). In aris
Tolle locos loycae[234]), fidei locus hic operatur;
Spes et sanctus amor, quorum vestigia tendunt
Ulterius, penetrant summi sacraria caeli.
Physicus ostendit, quod imago praeit ratioque
Subsequitur, tenet inde suam memoratam[235]) sedem.
His studet occultas naturas pandere rerum;
Sed medicis occulta fides caelestia pandit.
Sana fides medicum[236]) sanat vitamque reformat,
Hic cibus ad gustum ducit deitatis: utrumque
Sumitur et corpus et sanguis, detur ut illis
Corporis ac animae laus duplex, gloria duplex;
Sumitur in speciem panis, ne, si videatur,
Esse caro cruda, populi mens horreat ista.
Hic panis mentem confirmat laetificatque
Vinum; suscipitur pariter totum, quia sanat,
Quem Christus sanat, qui sanat corpora, mentes.
Panis hic est granum frumenti, quod moriendo
Attulerat fructum; conteruntur[237]) plurima grana,
Ut fiat panis; plures, ut vina liquescant,
Conteruntur acini; personae sunt ita plures
Ecclesiam sanctam statuentes, quae velut unum
Sunt corpus; Christus vinclo quas unit amoris.
Jungitur unda mero, conjunctus sanguine Christi

227) i. e. corpore *ac* mente. — 228) Sic emendavi, quum in D. esset *stamusque*, in G. *stemus pugnare parati.* — 229) i. e. *cordis claustra.* — 230) De *gradibus* in ecclesia v. Dufr. — 231) Vid. Ruth 2, 4. — 232) *offertorium* est cantus, qui inter offerendum canitur. V. Dufr. — 233) Haec non intelligo. — 234) i. e. *acutias dialecticorum.* — 235) Hoc non intelligo. — 236) Nonne legendum *medici*? — 237) lege *contruntur* h. l. et paulo post metri causa.

Gaudet homo Christo; conjungitur unda Lyaeo.
Fundit utrumque latus Christus calicemque locatum
Cernimus in dextra panis; cum sanguine mixtam
Undam projecit lateris pars dextera sancti.
Anteriore tamen panis si parte locatur
Postque calix, illud rationis norma tuetur.
Est crux ara, calix tumulus, petra summa patena,
Estque superposita byssus vice syndonis alba.
Tot sacramenta memori sunt mente retenta,
Quae metrum claudit, quae lector cernit et audit.
Voce jubet clara nos sursum corda levare
Presbyter, hoc signat, quod discipulos vigilare
Jussit et orare, jussit dormire. Sacratur
In cruce post agnus. Nos mentis habere quietem
Persuasit, quando Vigilate, Quiescite, dixit.
„Oremus" fertur post offertoria tantum,
Clam quoniam dominus verbi sacra semina sparsit,
Est tamen domini nomen venerabile veri
Amen monstramen; assertio dicitur Amen [238]).
Hoc resonat verum, quae pars tunc nomen habetur.
Nunc verbum sequitur et tunc adverbia spectat,
Ut verum fiat vere quasi stans sine fine.
Amen connectit muneris elementa, movetque
Cuncta sator stabilis, qui frigore temperat ignem:
Prolatus fuerat canon [239]) sublimiter olim;
Dicentes eadem pastores verba per agros
In carnem versum stupuerunt cernere panem.
Illos caelestis percusserat ultio dignos.
Mysterium crucis est sacrae praefatio missae,
Divinis sociat quia crux humana ligatrix.
Braebia presbyteri tendit praefatio facta;
Praefatur festi cantum divinaque tangit.
„Sanctus" [240]) subsequitur. Isaias aetheris illud
Audivit coetus mellita voce canentes.
Angelicus cantus hic est, sacratio sancta:
Civibus angelicis hominum consortia jungit.
Quo caro sacratur est canon, regula dictus.
Post Domini sequitur oratio; Vita futura
Primis praecibus tribus. Inde petuntur
Dulcifluis praecibus praesentis commoda vitae.
Agnus ter fertur, quia pendens in cruce Christus
Patrem cognovit, matrem ter virgo Johannes [241])

---

238) De v. *Amen* v. Dufr. — 239) De *canone* v. Dufr. — 240) i. e. cantus, qui incipit „*Sanctus*" ex Isai. 6, 3. — 241) Hic locus perobscurus fortasse ita explicandus est: Christus matrem suam Mariam ter commendavit Johanni discipulo suo carissimo, quod ipse filium non habebat vel cognatum, cui eam commendaret, quamquam in Evangelio Johannis 19, 26. 27., unde sua hausisse videtur poeta, de *ter* facta commendatione nihil legitur, nisi forte ad Legendam quandam spectavit. *Virgo* autem *Johannes* Christus ideo dici videtur, quod pariter atque ille matrimonio non inito filium non habebat ideoque *virginalis* dici

Commisit. Genus humanum pietate redemit.
Est agnus Graece pius, est quia Jhesus pius agnus [242]).
Pax petitur cordis, pax temporis, etheris alti.
Sacri participes designant oscula pacis.
Illud idem signat Domini concessa diebus
Allati panis benedictio semper abundans,
Ut nobis detur panis, saturatio veri.
Est autem panis sacrati portio triplex:
Ista piat vivos; salvandis altera penas
Defunctis minuit; dat portio tertia laudes
Propter salvatos, est quorum gloria Christus.
Extremo sequitur communis laude fideli,
Ut nos consociet sanctis celebratio missae.
Ite, canit, missa est, sublima voce minister,
Ut nos in patriam secum trahat hostia missa:
Inde Deo grates referuntur voce levata.
Est autem mentis vox interjectio laetae,
Quae grates donat, qua mens rotunda resultat.
Finita missa, plebs ad sua propria tendit,
Quem sacrifex vere satiavit sanguine vitis,
Haereat ut palmes illi quicunque fidelis.

## Epilogus.

Hoc opus exiguum ludendo tempore feci
Exiguo, quod Parisius [243]) praetore relatum [244]).
Conscripsere manus, studium quo tempore mortem
Flevit Allexandri [245]) studiosi carmine tali [246]):
„Gemma pudicitiae fuit hic, flos philosophiae,
„Aula decens moris, redolens velut area florum,
„Quem virtus rexit humilis, quem vultus herilis
„Prompsit pacificum, doctum, rationis amicum.
„Floret Alexandro locus hic, dedit Anglia florem [247]),
„Cujus Parisius [248]) caelo transmisit odorem
„Mille ducentenis quater inde decem ligat annis
„Virginis a partu, qui nos censura [249]) . . . . . .
„Missam legatus pro defuncto celebravit,
„Qua Jhesus oblatus feria nos sanguine lavit.
„Assunt praelati de consilio venientes,
„Cum praece deflentes mortem doctoris humani.
„Virginis assumpta festivo tempore sumptus
„Virgo [250]) vir ad caelum virtutem praemia sumpsit;

---

potuit, quod cognomen Johanni fortasse a suis tributum habebat. Quodsi res ita se habet, sicuti se habere videtur, hic locus ita verti potest: Als ein jungfräulicher Johannes empfahl er (Christus) seine Mutter (Maria) dreimal (dem Johannes). — 242) Versus est corruptus, nisi forte *Jhesus* unâ syllabâ pronuntiandum est. — 243) i. e. Parisiis. V. not. 2. — 244) Hoc non intelligo. — 245) Intelligi videtur *Alexander ab Hales*, qui anno 1245 mortuus est, de quo v. *Comment. Crit.* p. 86. VI. — 246) Incertum est, num hi versus a nostro poeta sint, an ab alio a nostro petita. — 247) Natus in Anglia studuit literis Alexander Oxonii. — 248) i. e. *Parisiis.* — 249) Deest aliquid in cod. D. — 250) i. e. *virginalis, integer a maculis.*

„Qui mundi pompam prius archilevita[251]) repressit,
„Francisci cardas[252]) non parvo tempore gessit,
„Interius reprobat mundanae gaudia vitae,
„Stringere cum nodis hanc studet exterius.
„Excitet ergo senum speculum probitatis amenum
„Exemplar juvenum florenti dogmate plenum,
„Qui fuit ecclesiae dicta columpna, fenestra
„Lucida, thuribulum redolens, campana sonora.
„Explicit misterium ecclesie.“ Darmst.

Loco versuum 442—658, quos praebet cod. *Darmst.*, in *Gissensi* hi leguntur:

Praeter praedicta vestimina[253]) mystica quaedam
Praesul habere solet, quae post hic plenius edam,
Vestibus hisque nitet merito, quia autor honore
Extat[254]), et hac vita portabit pondera nostra.
Exornat vestis hunc duplex, serica primo,
Iacinctina sibi nomen vocat altera ferri.
Prima bombyces generant, quos nulla voluptas
Carnis producit, etiam nec copula gignit.
Serica fit vestis; humilem signat quoque castum
Vivere pontificem, luxum fugiendoque fastum.
Iacinctina monet, quod compatiens et amice
Congregat et miseros pacis pietate gubernet.
Testamenta duo dant cornua bina coronae,
Quae praesul gerere debet sub mente tenace.
Discipulos signat dependens lingula[255]) duplex,
Qui juxta veterem legem vivuntque novellam.
Aspiciunt pedibus sursum sandalia sulcus[256]),
Integra summa vident, ast ima videre recusant.
Ammonet hoc, mentem quod praesul tollat in altum
Et simulet carnem[257]), nec mundi gaudia quaerat;
Pontificis caligaeque docent, quod visus agros
Christi[258]), sitque cavens, ne semen avis vaga tollat,
A via conculcet, nec spinae vel petra furet[259]).
Anulus est signum pacis fideique sigillum;
Hic monet, ut cunctis sit pacificusque fidelis[260]).
Sanctorum vitas bene signo per chirothecas,
Praesul sollicite quas palmis[261]) debet habere.
Defendet viduam, pupillam judicet[262]), aegros
Visitet, hospicio quoque colligat ipse vagantes.
Est baculus rectum, quod debet in omnibus esse.
Pastoriale pedum regit agnum, dirigit hedum.

---

251) *archilevita* est *archidiaconus*. V. Dufr. — 252) *Francisci carda* est Sti. Francisci habitus, fuit enim Alexander de ordine Sti. Francisci De *carda* v. Dufr. — 253) *vestimen* rarum est vocabulum. V. Dufr. — 254) i. e. *insignis est*. — 255) Hoc corruptum videtur pro *lineola*; de *lina* veste v. Dufr. — 256) *sulcus* quid h. l. sit, ignoro. Num leg. est *subtus*? *pedibus sandalia* sunt quae pedibus geruntur. — 257) i. e. carnis libidinem mittat. — 258) Haec prorsus corrupta sunt, cfr. v. 212. — 259) *furet* dictum videtur pro *furetur*. — 260) i. e. pacificus *et* fidelis. — 261) i. e. quas debet manibus indutas habere. — 262) Lege *vindicet*.

Curva trahit, quos virga regit; pars ultima pungit.
Pallia portabunt patriarchae, metropolitae,
In signum fidei, quod certent pro grege Christi.
Cunctis papatum superesse notat bene mantum [263]),
Papam namque facit summum divina potestas.
Accendit flammas mantum robur undique signans.
Martyris promptos praecedens crux notat ambos.
XVII. Est dictis missae celebratio scire necesse [264]),
Adventum Christi patriarchas praemonuisse.
Qui sequitur versus dicit sensisse prophetas,
Quod faceret gentes sese Deus hospite laetas.
Gloria signat eos, felici tempore quorum
Illuxit rerum rex atque salus populorum.
A nobis kyrie designat tibi triplicatum,
Antiquos patres cetus exoptasse novenos.
Presbyter ipse notat missam celebrare paratus,
Quod Christus venit nostros delere reatus;
Dicitur illorum vitam levita monere,
Quos Dominus misit gentes baptisma docere.
Qui textum defert hos significare videtur,
Ipsa quibus nomen confessio ferre meretur;
Quique duo pariter pueri procedere curant,
Quae data sunt nobis duo testamenta figurant.
Solus ad altare tum presbyter ingrediatur;
Quod Christus tantum [265]) fuit in cruce, testificatur.
Presbyter accedens confessus basiat aram:
Sic Deus ecclesiam veniens junxit sibi sacram.
Incipit altaris a dextera parte sacerdos
Missam, Judaeos signans, quibus edita lex est.
In medio vero cantatur Gloria, per quod
Est mediator ortus signatus ab alto.
Ast chorus angelicus designat cantica laeta.
Post fertur Dominus vobiscum; Christus in illis
Ut maneat. Sit Nobiscum praesul adorat,
Quod Christus dixit, postquam surrexit, amicis.
Hinc Oremus ait, ut nos orare velimus.
Dicit collectam [266]), quia colligit intus eorum
Vota, quibus spes est operum mensura bonorum.
Presbyter ad Dominum pro se populoque profatur,
Plebs, ut sic fiat, Amen canendo praecatur.
Lectio se capiti praefert evangeliorum,
Praemisit Dominus quia quosdam discipulorum.
Sic eadem media graduum statione legatur,
Haec evangelio longe minor ut videatur.

---

263) de *manto* veste v. Dufr. — 264) Haec corrupta sunt. — 265) Hoc corruptum est. — 266) De *collecta* v. Dufr.

Quod sunt ante chorum tractim graduale [267]) canentes,
Signant discipulos nos ad divina trahentes.
Expedit, ut, quociens nos Alleluja canemus,
Voce Deum magis hoc laudari velle putemus.
Sunt Alleluja, quoque Gloria [268]) cantica festa;
Dum suspenduntur [269]), dant primum tempora mesta;
Dat prius abjectas signare Sequentia [270]) gentes,
Quod sit ei data lex, domino laudem referentes.
Ast Evangelium cum dicitur, est quoque standum,
Postquam fide vera quasi sit bello properandum.
Hoc ideo legitur lator [271]) de parte sinistra,
Illinc nam pariter sceleris cecidere ministri.
Dum canimus corde plaudentes voce serena,
Confirmatur ibi populi confessio plena.
Nobis supplicibus dant offertoria signum,
Quantum sit pro posse praeces offerre benignum.
Presbyter inde manus lavat, ut vestigia sordum
Si qua manent, penitus mundentur regia [272]) cordum.
Ast stantem [273]) populum fraterna voce praecatur,
Pronus ut astra super orando quisque feratur.
Verba sacerdotis interveniunt praece digna,
Ut mentes hominum capiat Deus aure benigna,
Ut laudemus eum vox semper praedicat esse,
Gensque salutatur, ut corde Deus teneatur,
Qui nec principium nec novit terminus esse.
Praecipimur sursum mentes et corda levare,
Ut calcando scelus celum studeamus amare.
Praeterea Christo debemus reddere grates;
Vere dignus ut est Sanctus Deus optime voces.
XVIII. Genus humanum designat Dei deitatem,
Stans crux in medio federat ista duo.
Solus praefatur hinc presbyter atque praecatur,
Laus sua, quae canitur, quod celo suscipiatur.
Idcirco patres Sanctus triplicasse fatemur,
Ut tres personas sine principio veneremur.
Et Dominus dixisse semel monstratur, ut unus
Esse suis qui se dat post certamina munus
Et exercituum Sabaoth Christo propriatum,
Graecus Osanna sonat, quod dicitur o herro [274]) salva.
Quod bis cantatur, Christi dupla forma notatur,
Ignatius martyr his apposuit Benedictus.
Patres Secreta [275]) secrete legi voluere,

---

267) *graduale* est responsorium dictum, quia in gradibus canitur. V. Dufr. et Wolf l. c. p. 289. — 268) i. e. *Alleluja* et *Gloria*. — 269) i. e. cessant, non cantantur. — 270) De *sequentiis* in cantu v. Dufr. et Wolf p. 292. *Dat signare* est *datur ad signandum*, utrumque autem est *intelligitur signare*. — 271) lege *legit lector*. — 272) Quid sit *regium* h. l., non intelligo. — 273) Sic scripsi e conject., *astantem* cod. G. — 274) Haec verba *Germanicum* poetam produnt, diversum ab illo, qui versus fecit istos, qui in D. extant, quorum auctor est Anglus. — 275) *secreta* est oratio, quae post *praefationem* in sacra liturgia *secrete* et submissa voce

Ut per signa crucis pereat cato duri pictus[276]),
Haec quia cantando pastores interiere.
Postea fert panem; fert vinum dextra sacrantis,
Postquam Melchisedech haec obtulit; utraque Christus
Discipulisque dedit et illis se dedit ipse.
Alterutrum capiens perfecte sumit utrumque.
Presbyter inde pia praece dum calicem veneratur,
Postulat, ut digne tam digno vase fruatur.
Est crux[277]) calix, tumulus, petra summa patena,
Quae superposita byssus vice sindonis alba.
Hincque Pater expressa voce cantatur,
Signat, quod nova lex non sub velamine fatur.
Pax dominum sequitur, Deus hinc bene significatur,
Quando salutavit fore clausa[278]) quos adamavit.
Agnus tibi format, quia pendens in cruce Christus
Patrem cognovit, matrem tibi virgo Johannes
Commisit; genus humanum pietate redemit.
Pax petitur cordis, pax temporis aetheris alti,
Ut Deus a culpa nos absolvat, quoque pena.
Idcirco canere debemus bis Miserere.
Quando dividimus serena per oscula pacem,
Exoramus, ut hanc possimus habere tenacem.
Est autem panis sacrati portio triplex:
Ista piat viros; salvandis altera penas
Defunctis minuat; dat portio tertio laudem
Propter salvatos, est quorum gloria Christus,
Extremo sequitur communio laude fideli,
Ut nos consociet sanctis celebratio missae.
Iste canit, missa sublimi voce minister,
Ut nos ad patriam secum trahat hostia missa.

„Et sic est finis hujus opusculi.“ Giss.

---

## II.

## Incerti auctoris libellus metricus de Calliditate malarum mulierum.

(E cod. Giss. Nr. LXIV. V. *Comment. Crit.* p. 95. XIV.)

Summe procus caveat, ne ducatur mala conjunx,
 Ne misero socio conumerandus erat[1]),
Quae facienda negat, et quae sunt obvia parat.
 Conjuge punitus vir[2]) miser ante[3]) fuit.

---

a sacerdote dicitur. V. Dufr. — 276) Hoc corruptum est. — 277) In cod. D. v. 577. recte legitur *est crux ara, calix* etc. — 278) Num hoc est *foribus clausis*?

1) Num legendum *erit*, quae syntaxis in hoc carmine, quod multis vitiis grammaticis scatet, non offensioni esse debet; vel legendum est *eat*, quod hoc verbum pro *esse* usitatum est medii aevi scriptoribus. Vid. Mauritii Hauptii censuram edit. Vital. Bles. Get. Osann. in Annalibus Vindobon loco supra in *Comment. Crit.* p. 82. I. allato p. 111. — 2) *vis* cod. — 3) *ante* h. l. significat *olim*, quod in cod. supra vers. scriptum est.

Quadam vicinis conjunctus luce sederat [4])
Orla [5]): ceperunt verba loqui varia.
Alternant juxta seriem sua verba querela [6])
Quilibet [7]), et narrant, quae sibi damna vidit.
Bis binis latere vicinis jungitur ille
Primus, et incipiens de muliere refert:
„Omnia, quae coago [8]), mea perfida dissipat uxor,
Jam crapulis, jam scurris, modo [9]) fert aliis.“
„Fert aliis tui conjux [10]): pejor mea multo:
Me spernunt homines, garrulat [11]) haec in eos.“
„Tertius responso sua dixit simplici damna:
Cara nimis cupide femina vina bibit.“
„Ach! ego quid dicam, conjunx quod adultera vivit [12]),
Cumque domo desum, convocat haec alium.“
„Quintus ait: colitis dignos auro mulieres:
Ora domate viri: nam mea deterior:
Ut mea prae nimio pignusque furore coriset:
En, faciam pono [13]); credere [14]) non adhibent.“
Omnes gaudentes ponunt, quo pignore certent [15]),
Cumque domum lustrat [16]); femina pepla lavit,

---

4) Hic versus corruptus fortasse sic legendus est: *Quadam vicini conjuncti luce sederant.* In cod. pro *conjunctus* est *junctus*; *quadam luce* videtur esse *un jour, eines Tages*; in verbo *sedĕrat* quantitas falsa est. — 5) *Orla* quid sit nescio. Apud Dufresne frustra quaesivi. — 6) Num *querela* pro *querula* dictum est? — 7) *quilibet* primo loco collectivo modo cum plurali numero conjunctum est, altero cum singulari. — 8) *coago* nusquam alibi pro *cogo* reperi. — 9) Versus est vitiosus. Fortasse legendum est *crapulis, scurris, jam modo fert aliis.* — 10) *tui* conjux dictum est pro *tua* conjux. V. Ruddimann Institt. ling. lat. T. II. p. 45. not. 14. ed. Stallb. — 11) *garrulans* participii forma reperiri docet *Forcellini*, verbum finitum non reperi. — 12) Ad hunc locum a nescio quo viro docto saeculi XV. in margine haec verba addita reperiuntur: *„Adolphus contra adulteras in haec prorumpit verba: Heu mihi quam fraude mulier mala varia sordet | Integra jura tori non tenet illa viro, | Alterius segetes semper putet esse uberiores.“* Extant hi versus in fabulis *Adolphi* apud *Leyser* Histor. poet. et poem. medii aevi p. 2009. v. 35–37., nisi quod pro *putet* ibi recte extat *putat* et *esse* recte omissum est. Initio autem carminis quasi prologi loco idem vir doctus in margine haec scripsit: *„Libellus metricus de calliditate malarum mulierum compositus:* **Sicut arena maris et sicut multa sidera polorum, multa sic fraude femina prava viget.** *Haec Adolffus in libro, qui* **dialogus** *intitulatur* (vid. *Leyser* l. c. p. 2007. init. et seq. p. 2008. v. 7.: **Sicut arena maris, sunt sidera multa polorum. Multa sic fraude femina prava viget.**) *et etiam Francisco Wilhelmo in satiris decade prima heccatasta nona* (cfr. *Grässe* Lehrb. einer allg. Ltgesch. II. Bd. 2. Hälfte 1. Abth. p. 1113.). **Nam quicquid femina secum cogitat, insidias totum fraudesque ministrat.** *Ut ergo melius nobis a fraudibus mulierum malarum praecaveamus, opere precium est, fraudes earundem cognoscere, cum malum evitare non potest, nisi prius cognitum, secundum Aristotelem in Elenchis et cum tela praevisa sepius nunquam ledant. Eapropter ad vestigandas aliquas fraudes mulierum tractatulum huc acco (mo?) damus, qui* **de mulierum calliditate et fraude** *tractat, quas (fraudes?) autor ideo descripsisse videtur, ut tam juvenes, quam etiam senes easdem vitarent et formidarent, cum mala mulier at sit venosissimum in ficiis sua fraude, sicut basiliscus visu inficit, ut atestatur* **Doliganus** *dicens:* **Audi doctrinam, qui vis vitare ruinam | Quisquis eris, qui credideris fidei mulieris, | Crede mihi, si tu credis, ne decipieris; | Nam dabit illa fidem tibi, quam violabit ibidem. | Vana fides, quam curta fides manet in muliere. | Dum tibi jurat, quae te super omnia curat, | Aspice, quod jurat, quam longo tempore durat, | Postquam discedas, ut eam fidam tibi credas, | Et cave, ne tu prave capiaris ab illa, | Namque fidem servare pridem sic femina nulla potest.** *Quam sint fugiendae et formidandae, patet ex his versibus:* **Ingenibus** *(ingenium?)* **mores, animus, res, corpus, honores, | Tot perdis vere bona clericus in muliere; | Hanc animo stabili vita, ne te derideat alter, | Femina namque facit, quod satanas refugit. | Femina nequicior** *(lege* **nequitia***)* **vincit genus omne paratu** *(lege* **barathri***)* **| Pejor sub celo bestia nulla tenet.“** Haec Hugo de deceptione mulierum (Sunt tamen tres posteriores versus apud *Adolphum* in *fabulis* v. 212—214 sec. *Leyser.* p. 2017) — 13) Verba paulo obscuriora sic conjungenda videntur: *En faciam et pignus pono, ut mea prae nimio furore coriset*, i. e., opinor, *chorizet, saltet, exiliat.* — 14) *credere* h. l. pro substantivo positum est, ut sit *fidem* non adhibent. — 15) Cfr. Virgil. Ecl. III, 31.: *Tu dic mecum quo pignore certes.* — 16) In cod. supra vers. est *circuit.*

Immundis manibus quae tangere masculus audet,
Tunc culpatque virum flendo marita suum,
Quam vir subsannans [17] lateri supponit utrique
Brachia: tunc centrum [18] curritur absque mora
Temporis: affines [19] amborum cena pusilla [20],
Post vocat uxorem: sic loquebatur [21] eam:
En dilecta mea! cunctos convivia [22] nostros
Accersi [23] affines et resonare [24] mihi:
Secum [25] laeteris, iram domitanda rogeris [26],
Cumque nos abscedant [27 a], hi mala ne referant [27 b].
Illud ait mulier: votum spondebo libenter:
Me cernes gratamque [28] hospitibus placidam.
Hortis in vernis lentantur [29], mensa paratur,
Cenandi spacii [30] cumque adesset hora,
Limpida transfluxit rapido quos [31] gurgite [32] ripa
Sublimum fundum huic semper aderat [33],
Et circumposuit ornata sedilia, scamna,
Uxorem summo ponit adesse loco.
Accedat propius mulier, vult ipse maritus
In sane sapiens [34], cedit at illa retro.
Illam cum curis [35] non horum adverteret ullus,
Nomine daemonis cecidit illa retro.
Littora transcendit [36] ripae capitque radentem [37].
Hospites, ille, peto sitis ut auxilio.
Unus dixit ei: decurras littora ripae [38],
Uxorem attente quaerere si cupias.
At vir: nequaquam, quia vita curro sinistra [39]:
Novi, semper eam sic obitu videam [40].

---

17) *subridens* in cod. est supra vers. — 18) In cod. supra vers. est *per domum.* — 19) *amicos* explicatur in cod., ut v. 32. — 20) Sic scripsi e conjectura, i. e. coena pusilla vocat amicos tam virorum, quam mulierum, sic, ut e seq. v. revocetur v. *vocat.* In cod. est *cenum pusillum.* — 21) *loquebatur* dictum est pro *alloquebatur*, quod in cod. est supra vers., unde hoc verbum hic cum accusativo conjungitur. — 22) *convivia* accersi dictum est pro *ad* convivia accersi, quae praepositio in codice supra vers. additur. Amat hanc libertatem praepositionis omittendae poeta, ut v. 28. curritur *centrum* dictum est pro: curritur *per* centrum. Cfr. v. 69. *aegrotat mortem.* — 23) *Arcessi* soloecismus est pro *arcessivit.* — 24) In cod. supra vers. infinitivus pendere dicitur ab omisso *rogo*; *resonare* autem explicatur *congaudere.* Fortasse tamen poeta ipse *resonare* pro imperativo verbi deponentis *resonor* haberi voluit, quamquam ea ipsa verbi declinatio insolens est. — 25) *secum* est pro *cum iis* dictum, ut casus obliqui pronominis reflexivi apud medii aevi scriptores saepe pro demonstrativi pronominis *is, ea, id* casibus obliquis ponuntur. Vid. Lateinische Gedichte des X. und XI. JH., herausgeg. von Jac. Grimm und Andr. Schmeller. Götting. 1838. p. 227. — 26) i. e. rogari te patere, ut iram domites, i. e. refrenes, ut est in cod. supra vers. — 27 a) *nos abscedant* supra vers. explicatur *a nobis abscedant* affines; *abscedere* autem cum accusativo conjunctum inusitatum est; in pronomine *nŏs* quantitas neglecta est. — 27 b) *referunt* supra vers. explicatur *dicant.* — 28) *que* particula conjungenda est cum adject. *placidam.* — 29) Pro *lentantur* videtur esse legendum *laetanter*, ut sit *laetanter mensa paratur.* — 30) *spatii* supra vers. exponitur *temporis*, ut sit *coenandi temporis hora, die Stunde der Essenszeit.* — 31) *quos* supra vers. refertur ad *hortos* v. 37. — 32) *gurgite* exponitur *cursu.* — 33) Hunc versum mendosum non intelligo. — 34) *in sane sapiens* exponitur supra vers. per tmesin *sane insipiens*, i. e. *profecto stultus!* — 35) *curis* videtur esse dictum pro *prae* curis. — 36) *littora transcendit* supra versum exponitur *marginem ascendit.* — 37) Quid sit *radens* non intelligo, supra vers. additur *quaerendo uxorem*, unde suspicor *radentem* esse *contum*, quo altitudo fluminis exquiritur. — 38) Supra vers. ad hunc locum haec habentur: *seorsum et non deorsum*, i. e. quaere uxorem non in flumine, sed in secessu cum alio viro ambulantem. — 39) Supra vers. exponitur *in vita decurro sinistra.* — 40) Haec, quae obscuriora sunt, supra versum sic exponuntur: *videam an etiam in obitu sic velit facere, sc. natando aquam sursum.*

Hanc unus vix semivivam extraxit amicus:
Donum perpetuo suscipe de domino.
Cenae cum dapibus convivae semper fruuntur,
Temporibus vitae scis memorare meae [41]).
Cum domini luce [42]) mensae sociatur uterque,
Cogitat haec herum fallere posse suum.
Optima fert vina, facie dicit simulata:
Accipe tu laete et optima vina bibe.
Accipit haec igitur, haustus non metitur [43]) lance
Aequali: stare, sydere non valuit;
Et velut exanguis fusus tellure jacebat,
Spiritus exalat, nec corda bene levat.
Claustrum tunc hilaris lente non uxor adibat,
Verbula funebria protulit ipsa sua:
En meus attente vestro cupit ordine conjunx
Esse comes, vitam vult reserare [44]) suam;
Aegrotat mortem [45]); referatis [46]) eum, dabo vobis
Argentum multum, si fuerit placitum.
Exultant monachi mulieris supplicae votis,
Expertes quoniam nobilis erant hexis [47]),
Atque domum veniunt cappamque duuntque [48]), coronam
Radunt et portant cum nimio [49]) jubilo.
Circuitus spacio mox cum custode reponunt,
Parca mandante sic obiisse [50]) putant.
Postera lux tacitas ut primum depulit umbras,
Et solis nitidus orbe micat radius,
Oscitat hesternum [51]) dissutis undique malis,
Et sobrius factus surgit et egreditur [52]).
Defuncto surgente viro percurritur [53]) ille
Servulus [54]), absque mora defugit attonitus.
Inter et haec verba bilis [55]) dicit: fugiendum
Est, vere daemon regnat et est in eo.
Hic cernens se ipsum coronatum, vel crine rasum
Orbatumque videns se tunicis propriis,
Cappatum, memorat [56]), unde hoc dominus sibi dat [57])?
Credit. Devotus [58]) protulit ore suo:
O Deus omnipotens! qui presbyter en tibi factus
Sum, domus atque mea facta monasterium:

---

41) Haec verba supra versum Germanice sic exponuntur: *ich will dir diess nit vergessen, dieweil ich leb.* — 42) Num hoc est *die dominica*, i. e. *die solis?* — 43) in verbo *metĭtur* quantitas neglecta est. — 44) *reserare* supra vers. exponitur *emendare.* — 45) Supra vers. exponitur: *infirmatur mortatiter,* quod nos dicimus *er ist bis zum Tode krank.* De omissa praepositione vide not. 22. — 46) *referatis* exponitur *asportate.* — 47) Versus claudicat, leg. *hexis erant; hexis* est *pecunia.* Sententia est: *pecuniae indigebant.* — 48) Hoc supra vers. exponitur *induunt ei.* — 49) *nimio* h. l. est *permagno* — 50) Sic scripsi e conject. In cod. est *sic obisse se putant,* quod a corrupta illa quidem latinitate nihil offensionis habet, qua *se* pro *eum* ponitur (v. not. 26.), metrum tamen nimis claudicat. — 51) *hesternum* scil. *vinum heri sumptum* exponitur supra vers. — 52) *de loculo* additur supra vers. — 53) haec mira oratio; sententia est *ille aufugit.* Fortasse versus ita emendandus: *perterritur ille servulus, absque mora defugit attonitus.* — 54) *servulus* exponitur *ecclesiae custos.* — 55) *verba bilis* exponuntur *dirae.* — 56) *memorat* exponitur *cogitat in se,* i. e. *secum haec cogitat.* — 57) versus claudicat. — 58) devotus explicatur *tanquam devotus.*

Non tibi perpetuo grates sat dicere possum:
Procidit et grates multiplices dederat.
Suscipit [59]) exurgens, obnixo mento revolvit
Structuram templi saepe, quod orat ibi.
En, dicit, dedecus propria mihi tale [60]) contulit uxor,
Utputa sueverunt calliditate viris.
Terminat in domini monachatus laude maritus
Vitam: mansit ibi mortis adusque diem.

---

## III.

## Incerti auctoris Carmen Facetiarum comedentium.

(E cod. Giss. Nr. LXIV. V. *Comment. Crit.* p. 96. XV.)

Mensae doctrinam da nobis discere, Christe,
Desursum donans optima dona tuis.
Sunt quia nonnulli, qui peccant in comedendo
Nec agnoscentes, sit [1]) ubi rusticitas,
Mandere nobiliter doceatur usu et arte,
Usus et ars docuit, quod sapit omnis homo.
Nasus purgetur, post hoc ipsa manus lavetur [2]),
Nec manus attinga posce nuda luem [3]).
Postquam manus certe sunt omni a sorde lavanda [4]),
Et bene tergatur, sit lue nuda caro.
In quem locum sedeas herus aedis,
Quem tibi signat, nec dicat socio, tu loca sume [5]).
Est modus in mensa mensuraque semper habenda,
Ne comedas nimium, quod tibi sit nocuum.
Inmensus pastus malus est nimiumque nocivus,
Displicet et superis et fugit ipse vires.
Inde mali morbi nascuntur et inde dolores,
Prandia sunt semper haec fugienda nimis.
Dum stas in mensa, sis largus desque libenter
Ex his, quae mandis, nam cito praetereunt.
Non tua claudatur ad vocem pauperis auris;
Nunc sereque, plena postea falce metes.
Ne tecum prave socius stomachetur ad unguem,
Iram vitabis, mandere quando velis.
Tu quoque suspensis aliis digitis tribus esto:
Non tibi deturpet os quoque, pectora, crus.
Pauca sedens comedas, si vis urbanus haberi;
Nec socium fallas, nec bona cuncta petas.

---

59) nonne *suspicit* legendum? — 60) haec vox metrum turbat.

1) Sic scripsi e conject. In cod. extat: *Nec agnoscunt est ubi* rust. — 2) Hic versus vehementer claudicat. Emendatur, si legimus: *manus ipsa.* — 3) Versus non est integer. — 4) Nec hic versus recte se habet. Succurri fortasse ei potest, si legamus: *Postquam certe manus mānus certe sunt omni sorde lavatae.* — 5) Hi duo versus tam corrupti sunt, vix ut quidquam emendationis efficiatur.

Non intingatur scutellae bis bolus idem,
Praesertim socio si sociatus eris.
Non super laucem dependeat os alicujus,
Atque supra mensam nemo jaceat valens [6].
Qui tenet in mensa cubitum vel brachia tensa,
Non est urbanus corpore sive manu.
In mensa caveas, ne sternutatio fiat,
Ac prope te spuere semper adesto memento [7].
Gausape non tergas nasum, sed margine vestis,
Cum potis comedat [8], quisquis idem faciat.
Sextupedes [9] pulicesque truces inter comedendum
Tangere non temptes, scalpere sive caput.
Os ne te delectat [10] derodere more canino,
Nec nimio morsu faux tua turpis erit.
Non digitos lambat, quisquis volt esse facetus,
Altera neque ora cernere saepe velit.
Ora nec a manibus [11] rara pinguedine fedes,
Alterius morsus dinumerare cave;
Nec in parte tua comedas spectando cacumen,
Nec tibi dormitet jugiter una manus.
Semper avariciam fugito luxumque voracem:
Obvia sunt famae talia namque tuae.
Invidiam sortis praeponat [12] nemo sodali;
Jam [13] comedens omnis turpia acta fuget;
Normaque potandi decus affertur comedendi,
Inscius inde mea pulcrius arte bibat,
Ac labraque [14] cum manibus [15] tergas pinguedine primum
Et tibi mandati praecipue sume merum [16]
Est ergo binis manibus cratera tenenda,
Tangere non pollex dulcia vina velit.
Non nimis immergas crateri labra bibendo,
Temperet in vino se nimis omnis homo.
Restringatur aqua multa vis improba vini,
Crapula quum multa possit obesse tibi.
Multa meri genera cave, nec sumere temptes,
Saepe duo faciunt, quod nequit unus homo.
Ora cibo tumida semper potare caveto,
Ne respirabis [17] postea, quando bibis;
Continuos oclos [18] nec circumquaque revolvas,
Ac cratera super dicere verba cave.
Porrige craterem post hoc socio potando [19],
Nec tua ponatur hic, ubi labra sua.

---

6) Haec quoque corrupta sunt. Fort. leg. *jaceto.* — 7) Haec emendare non audeo. — 8) Haec corrupta sunt, medicinam non tento. — 9) sunt *pediculi.* — 10) Nonne delect*et*? quamquam in sequenti versu est *erit.* Cfr. v. 66. — 11) *a manibus* videtur pro ablativo instrumenti solo dictum esse. — 12) Num hoc est exprobret, vorrücken? — 13) Videtur legendum *Nam.* — 14) *que* metro adversatur. — 15) Vid. Hand Hor. Tursell. Vol. II. p. 159. — 16) Versus claudicat. Num leg. *Ne tibi mandatum praecipue sume merum?* — 17) Cfr. not. 10. — 18) *oclos* dictum est ut *vinclum, anglus* pro *angulus* cet. — 19) Fortasse legendum est *socioque potandum.*

Ad mensam residens noli nimium fore[20]) ridens,
Saepe quod tristis exitus inde venit;
Nec comedas prius, nisi postquam carpserit unus,
Nec dentes tergas nec[21]) prius ipse tibi.
Est liber expletus, sit doctor parce receptus,
Finito libro gloria lausque deo.

---

## IV.

## Incerti auctoris Carmen quarundam nobilium quaestionum.

(E cod. Giss. Nr. LXIV. V. *Comment. Crit.* p. 96. XVI.)

Quis recte rex est? Se ratione regens.
Cui debetur honor? Cui sit honoris amor.
Quis vere sapiens? Vir sapienter agens.
Quis ratione docens? Quod docet, illud agens.
Quis vere locuples? Cui famulantur opes.
Quis nullius eget? Cui satis est, quod habet.
Quis plus possedit[1])? Qui minimum cupiit.
Quae res maxima? Mens maxima despiciens.
Quis pauper non est? Qui sibimet satis est.
Quis minus est pauper? Qui patienter eget.
Quis minus est dives? Qui magis optat opes.
Quis vere stultus? Stultitiam peragens.
Quis vere dominus? Vir ratione vegens.
Quis vere servus? Qui vitiosa facit.
Quis studiosior est? Qui meliora legit.
Quae turpissima res? Sordida pauperies.
Quis Sathanae filius? Presbyter haud humilis.
Quis petit injuste? Qui dare nescit opes.
Quis merito poscit? Sponte daturus idem.
Quaenam pessima sors? Quae caret invidia.
Quae mulier casta? Quam Deus ipse beat.
Quis pejor cunctis? Vir sine mente loquens.
Quis similis cribro? Futilis omnis homo.
Quis melius discit? Utiliora legens.
Quis docet utiliter? Qui docet atque facit[2]).
Quis censoris eget? Absque pudore puer.
Quis custodis eget? Virgo parente carens.
Quis magis abjectus? Qui caret arte senex.
Quis vir nobilior? Qui sine criminibus.
Quod pejus damnum? Tempus inane fluens.
Quae carissima res? Quam prece quisquis emit.
Quis sine peccato? Credite, nullus homo!

---

20) *fore* dictum est pro *esse*, ut saepe apud scriptores medii aevi. — 21) *nec* abundat, quod ad sententiam attinet; metrum autem non repudiat.

1) res ipsa *praesens tempus* utroque loco postulat. — 2) i. e. qui pariter agit atque docet, i. e. qui sic agit, ut docet.

## V.

## Incerti auctoris

### I. Nota dignus sermo prosaicus de florida juventute amenus.

Versus: „*Ducta per eventus transit male stulta juventus.*“

(E cod. Giss. Nr. DCCVIII. V. *Comment. Crit.* p. 97. XVIII.)

En juventus, per eventus mea cerno studia,
Nunc benigne, tunc indigne vitae ducens gaudia.
Amo flores et amores ac aestatis tempora;
Colo cantum, dampno planctum et annosa corpora.
Placet risus atque visus comptus pulchritudine.
Taedet vultus, dum incultus constat aegritudine.
Galatheas et choreas frequentare soleo,
Quae si strident, me dum vident, toto corde doleo.
Vestimentum et argentum enitor acquirere,
Sed sors mortis nimis fortis cuncta cogit linquere.
Nescit aetas, quales metas vitae cursus praebeat;
Donet deus, factor meus, ut laus finem teneat.

Sequitur interpretatio Germanica.

*Diß ist ein mercklich rede von der jůgent.*

Ich bins die jugent, die die dugent und undugent fehet an;
Min gemüte stet in blüte, die wyle ich nit sorgen kan.
Lachen, singen, danzen, springen lere ich frawe und man.
Er ist wyse, der nach pryse sich by mir behalten kan.
Will er sehen und durchspehen, wie gar ich unstede bin.
Zu steden dingen soll er twingen lip, sele, wort, werck und sinn.
Dut er daʒ, so geschiecht ym baß, dane ob er mir folget nach.
Wer mỹ spyll nit miden will, den matt ich oder důn ym schach.

### II. Notabilis sermo prosaicus de grandi senectute bidurus. (sic cod.)

Versus: „*Triste gerens pectus frigescit cana senectus.*“

En senectus, gero pectus vacuatum sanguine,
Risi dudum amans ludum, laeto gaudens omine.
Sed nunc fessa cruris pressa curüa [1]) vix sedeo,
Cum ad ea, quibus rea sum, taxanda redeo.
Colo focum, dampno jocum et lasciva corpora.
Turbat dies, placet quies et umbrosa tempora.
Plena rugis, vera nugis conjecturans replico,
Dum prae curis et laesuris genu genis [2]) complico,
Pectus tundens et effundens lacrimas tristitiae.
Dampno ream mentem meam veteris stulticiae.
Ergo clemens et non premens meae nunc dementiae
Sit in fine menda sine summa rex clementiae.

*Diß ist ein mercklich rede von dem alter.*

Ich bins daʒ alter, daʒ von kalter art sich nů můß wermen hie.
Got erbarme, daʒ myn arme sint so kalt und min knie.

---

1) i. e. curva. *cruris* est pro *cruribus*. — 2) *genis* dictum est pro *genibus*.

Etwan sangk ich, etwan sprangk ich, und sach frȇlich hyn und her.
Nů hat daugen mut und augen die ȝiit der jare gemacht myr swere.
Vor daȝ schympfen und gekrȗmpfen muß ich leider lange sin.
Genug mir wirret, daȝ mich irret, wan ich gan sall uß und yn.
Gotes gude mich behůde und wende von mir der hellen pyn. Amen.

(Ex exemplo Lessingiano, quod, quum modo e cod. *Guelferbyt.* a Viro Cl. *Schoenemanno* denuo diligentissime descriptum acceperim, emendatius in *Addendis* edam, apparet, in codice Giss. versus 5. 6. in unum esse contractos, qui apud Lessingium ita se habent:

Nun hat taugen Mut und augen Di zeit das jar gemacht mir swer.
*Für das schimpfen* (scherzen) *Muss ich rimpfen Augen und die wangen mein.*
Alsus geklumphet und gerumphet Muss ich leider lange sein.)

---

## VI.
## Carmen rythmicum de Daventria.
### Johannis de Delf (?)

(E cod. Giss. Nr. CVI. V. *Comment. Crit.* p. 97. XIX. et XX.)

I. Daventria laudabilis,
Insignis et amabilis,
Innisa creatori,
Ejus es amminiculis
Crebris tuta periculis,
Sint grates plasmatori!

II. Laudet, plaudat indigena,
Pangat Christo forigena [1]).
Daventria contuita [2])
Ejus est mens gratuita [3]).

III. En es cribrata pestibus,
Fame, guerris [4]), aestibus,
Unda diluviali.
Saturnius intonuit,
Vis Martis in te sonuit
Vi freta supernali.

IV. Vae tremor et vecordia
Te praesidem precordia [5]),
Caligo Saturnina
Telis fixit pestiferis,
Nec imis, nec sceptriferis
Vis detulit [6]) divina.

V. Non thorax, hastae, radius [7]),
Lorica, sica, gladius
Non pixisve resina;
Ut speculer sublimius,
Nec Ypocras [8]) eximius
Hac juvit in ruina.

VI. Non cetus perspectabilis
Magnatum, formidabilis,
Perterruit te rixa,
Decurionum gloria,
Castra, tela, tentoria
E regione fixa.

VII. Ut verius conicio,
Tanta vix ab initio
Artavit te ruina.
Primates conspiraverant,
In te vota paraverant,
Sed corda leonina.

VIII. Arrisit dia veritas,
Cladis perit severitas,
Vis undae refrenatur.
Saturnus sic contunditur,
Jus Thetidis confunditur,
Vis Martis enervatur.

IX. Vertit a vehementia
Gratuita clementia
Sua dia sophia [9]).
Cessit alienigena,
Protexit te verbigena [10]),
Non laesit monarchia.

---

1) i. e. *externus.* — 2) h. e. nisi fallor, cum Daventriam viderit. — 3) Deesse videntur duo versus. — 4) i. e. bellis. — 5) Haec non intelligo. — 6) Nonne *defuit*, i. e. h. l. pepercit. — 7) Quae esset h. l. hujus vocabuli potestas, quum nescirem, quod apud Dufresne v. *Radius* ejusmodi teli nulla fit mentio, significavit mihi *Weigandius* meus, respondere antiquo vocabulo Germanico *Strâl*, quod significaret *sagittam.* V. Grimm deutsche Gramm. T. III. p. 444. — 8) i. e. *Hippocrates.* — 9) i. e. sapientia. — 10) i. e. Maria, quae *verbum* (λόγον) genuit, *Christum.*

X. Laus Christo per circuitum
Te regat, ut intuitum
Salvet, sanam te servet,
Clerum clero reuniat,
Plebem cum clero muniat,
Hostes tuos enervet.

## VII.

## Incerti auctoris carmen rythmicum.

### Regimen et status mundi praesens.

### (E codice Gissensi Nr. DCCCLVIII.)

Quum nescio quo casu factum sit, ut, dum in *Commentariis criticis* conficiendis de *carminibus medii aevi* ago, quae in codd. Gissens. extant, invitus praeterierim carmen quoddam rythmicum, quod in cod. Giss. Nr. DCCCVIII. lit. c. inscribitur: „*Regimen et status mundi praesens*," hoc loco de isto carmine dicenda putavi ea, quae supra praetermissa sunt. Codex ipse est is, quem supra in *Comment. Crit.* p. 63. III. Adriani verbis descripsimus, qui quidem vir doctus eo erravit, quod, quum carmen istud duodecim particulis distinctum sit, has unius carminis particulas pro singulis carminibus habuit. Agitur autem in hoc carmine rythmico incerti auctoris medii aevi, ut videtur, *de corruptis hominum diversi ordinis moribus* et non argumento solum, sed etiam metro tantam cum *Gualteri Mapes* carminibus *de corrupto statu mundi*, de quibus vide Polyc. Leyser Hist. poetar. et poemat. p. 776. VIII., similitudinem habet, ut mihi prope ab eodem compositum esse videatur. Quod carmen quum frustra et apud Leyser. et in Matth. Flacii variis doctorum piorumque virorum de corrupto ecclesiae statu carminibus Basil. ap. Lucium MDLVII. et in aliis ejusmodi carminum collectionibus quaesissem, non minus dignum habui, quod in hoc opere ederem, quam Gualteri Mapes carmina.

I. *Prohemium.*

Viri fortes, servi Dei,
Non vos turbent verba mei,
Sed audite propter deum
Flebilem sermonem meum.
Mundum dolens circuivi,
Fidum undique quaesivi;
Ubicumque fidem quaero
Vel in plebe, vel in clero?
Vel in claustro, vel in foro?
Ubi fides sit, ignoro.
Fides nullibi apparet,
Totus mundus fide caret.
Filius non servat patri
Fidem, neque frater fratri.
Heu de sede sua ruit
Fides, quae tam firma fuit,
Quoniam pro ea dolus
Triumphat per urbem solus
Tam potenter et tam dire,
Ne quis possit contraire.
Quidquid dolus jubet esse,
Hoc implere est necesse.

II. *Quomodo dolus universaliter dominatur.*

Clerus populusque totus
Dolo subjacet devotus,
Dolus papam, cardinales
Et episcopos totales
Regit et ubique reges,
Dolus facit jura et leges,
Dolus omnia pro voto
Disponit in orbe toto.
Qui cum dolo conversantur,
Illi sunt, qui principantur.
Sed qui vere dolum nescit,
Est abjectus et vilescit,
Et vocatur ydiota,
Non est dignus una iota. (cod. $\overset{a}{v}$ *iota*)

III. *De ordinata* [1] *vita praelatorum.*

Praelati ecclesiarum
Habent dolum valde clarum,
Nam proinde praebendantur
Et potenter dominantur.
Estimo pro sensu meo,
Quod praebendas non pro deo

1) leg. *inordinata.*

Praebendant, sed mos est sibi,
Da mihi, tunc dabo tibi.
Sic adinvicem colludunt,
Foras pauperes excludunt;
Qui redonant, illis datur,
De egenis nil curatur.
Heu! quam ob rem non adtendunt,
Quodsi bona Christi vendunt,
Quae praecepit Deus dari
Gratis et non venundari.
Symonizant, et est aequum,
Quod mercedem sumunt secum.
Miror, quid tunc respondebunt,
Ante Deum dum parebunt.
Bene factum (Bñ ſnn̄ cod.) de re gesta,
Si sit vilis, vel honesta.
Ubi gradus, res, honores?
Hae mihi sunt adjutores.
Sed qui bona hic gesserunt,
Illi soli salvi erunt.
Advertarunt vos praelati,
Quanta oportebit pati
Post hanc vitam propeccans [2]),
Hinc, quae justa sint, agatis.

IV. *De presbiteris habentibus curas animarum, quae sit eorum actio.*

Hinc curari [3]) sacerdotes
Possidentes amplas dotes.
De salute animarum
Subditarum curant parum.
Nichil quaerunt, quam habere,
Et hominibus placere.
Non advertunt ad clamores
Pauperum, sed claudunt fores.
Sic non subditis, ut debent,
Formam bonae vitae praebent,
Sed per pravos suos mores
Multos ducunt in errores.

V. *De Canonicis.*

Canones regulae vocantur [4]),
Hinc canonici gignantur,
Scilicet quod regulari
Vita debent famulari
Cum devotione deo:
Modo curant nil de eo,
Sed libentius ad forum
Currunt, quam frequentant chorum,
Vestes mundanas ferunt,
Nil quam mundana quaerunt,
Non impertiuntur dignis
Suas opes, sed malignis,
Quidquid eis superesset,
Hoc pro deo superesset,
Modo habent avarum
Cor, quod nihil dant, vel parum.

V. *De religiosis sive claustralibus.*

Item qui in clausa degunt,
Juxta normam non sic regunt.
Quam patres instituerunt,
Sed quae sunt, vel ita quaerunt.
Vestes deferunt claustrales,
Sed in mente non sunt tales,
Quoniam sub regulosa
Veste latet mens dolosa,
Rixas, lites et rancores
Habent inter se majores.
Monachi et moniales
Vivunt uti mendicales.
Qui vult daemoni servire,
Claustrum debet introire.

VI. *De religiosis mendicantibus.*

Item faciens mendicantes
Vere omnes sunt trifantes [5]),
Parent quasi sint devoti,
Cum sint nisi nequam toti.
Quidquid praedicant sermone
Pravo, implent actione.
Metunt, ubi nunquam serunt,
Semper plus, quam sua, quaerunt.
Oves alienas tondunt
Et parochias confundunt.
Dantibus applaudunt care,
Sed qui nichil possunt dare,
Vel replere ejus manum,
Illos mittunt ad plebanum.
Valde diligenter notant,
Ubi divites aegrotant,

---

2) l. *pro peccatis.* — 3) hoc corruptum est. — 4) pronuntiandum *reglae.* — 5) hos duos versus non intelligo, nisi forte haec verba sic intelligenda putes: *Item facientes mendicantes* vere *omnes sunt trilingues,* i. e. bilingues, doppelzüngig.

Sed ad lectum miserorum
Nullus ire vult eorum;
Puto, quod pro deo esset,
Si in mundo nullus esset
Monachus, vel moniales,
Postquam tantum decreverunt,
Lex et fides perierunt,
Et totius mundi status
Et [6] in pravum commutatus
Utrum culpa sit eorum
Novit conditor cunctorum.

VII. *De principibus et regibus et aliis hujus seculi magnatis.*

Caesar, reges, marchiones,
Duces, milites, barones,
Omnes principes terrarum
Possident de fide parum.
Inter omnes non est unus,
Quin aspiciant ad munus,
Et justitiam postponunt,
Proximis qui dona donant.
Per superbiae guerram [7]
Dissipant ubique terram,
Magis quaerunt Christianos
Debellare, quam paganos.
Non verentur, nil formidant,
Quod innocuos occidant [8].
Cur tam diu sinit deus,
Quod occidit justum reus?
Quondam milites statuti
Erant, ut per eos tuti
Essent vidui, pupilli;
Clerici nunc autem illi
Tales minime defendunt,
Sed praedantur et incendunt.
Cor eorum pronum
Est ad malum, quam ad bonum.

IX. *De civibus et aliis nobilibus.*

Cives nobiles et communes
Raro dolo sunt immunes,
Nobiles invitiantur [9]
Cives vero fenerantur;
De communibus vix ullus
Est fidelis, sive nullus.

X. *De nautis et agricolis.*

Nautae maris et coloni,
Qui fuerunt quondam boni,
Sic pervertit eos dolus,
Quod [10] vix justus unus solus.

XI. *De mercatoribus.*

Item mundi mercatores
Quid sunt, quam defraudatores?
Sive emunt, sive vendunt,
Semper fallere praetendunt,
Deum sanctosque perjurant
Et mentiri nichil curant.
Quando boni nummi vadunt,
Statim eos igni tradunt,
Et quod manet purgamentum
Storis [11] est et non argentum.
Sic confundunt mundum totum.
Illud undique est notum,
Pondus, numerus, mensura,
Simul omnis creatura
Sic per illos sunt infectae,
Quod vix ullus agit recte.
O quam venenosa pestis
Fenerator, falsus testis,
Fur, perjurus, latro, mechus,
Homicida tantum decus
Habent, tanquam probi, veri.
Quidquid potest nunc acquiri
Sive bene sive male,
Est hominibus aequale.
Nemo facit id, quod debet,
Nemo alteri hoc praebet,
Quod habere vult ab eo.
Nemo curat jam de deo,
Nemo tenet modo brictum [12],
Nemo videt rectum victum,
Nemo novit misereri,
Nemo curat confiteri,
Et quando confiteantur,
Inde parum emendantur,
Inde nec populus [13], clerus
Est in suo facto verus.

---

6) nonne *est* legendum? — 7) i. e. bellum. — 8) De particula *quod* pro *ne* posita v. Osann. ad Vital. Blesens. Get. v. 196. — 9) num *infitiantur* legendum, vel exponendum *vitiis inquinantur*. — 10) *quod* pro *ut* in enunciatis consecutivis satis frequens est apud medii aevi scriptores. — 11) Nescio, quid sit *storis*. — 12) Hoc non intelligo. — 13) pronuntiandum est *popŭlus*.

XII. *Hic compilator nos incitat ad emendandum et falsitates seculi purgandum.*

Liquet fiens quod eramus[14]),
Tempus est ut redeamus,
Tempus est nos revertendi,
Tempus nobis extat flendi,
Tempus est nos redeundi
Ab errori[15]) falsi mundi,
Tempus est nos emendandi,
Vere tempus est plorandi,
Scimus, quia transit hora,
Redeamus sine mora,
Vitam nostram emendemus,
Redeamus, non tardemus.
Nemo debet desperare,
Nemo debet dubitare;
Tam misericors est deus,
Nullus vivit ita reus,
Quin, si veniam precetur,
Deus ejus miseretur.
„Explicit regimen mundi."

---

## VIII.

## Rhythmi de secta chorizantium.

(E cod. Giss. Nr. CLX. excerpti. V. *Comment. Crit.* p. 39 extr. et p. 40.)

Oritur in seculo nova quaedam secta,
In gestis aut in speculo visa plus neglecta,
Populus tripudiat nimium saltando,
Sed unus alteri sociat leviter clamando:
*Frisch friscis* cum gaudio clamat uterque sexus
Cinctus manutergio et baculo connexus[1]),
Capite fert pilleum desuper et certum[2]),
Cernit Marie filium et celsum[3]) apertum,
Deorsum prosternitur, dudum fit ululatus,
Calcato ventre cernitur statim liberatus.
Vagatur loca varia pompose vivendo,
Mendicat necessaria propriis perdendo,
Spernit videre rubra[4]) et personam flentem,
Ad fidei contraria erigit haec gens mentem,
Noctis sub umbraculo iste perpetravit,
Cum naturali baculo subtus se calcavit;
Clerum habet odio, non curat sacramenta,
Post sunt in Leodio remedia inventa,
Hanc nam fraudem qui suggerit, Sathan, est devictus,
Conjuratus evanescit, hinc sit Christus benedictus.

---

## IX.

## Hildeberti Cenomanensis Episcopi versus de Nummo seu satyra adversus avaritiam.

Carmen nunc primum integrum editum e codd. Marburg. (M.) Bruxell. (B.) Lipsiens. (L.), adhibito fragmento codicis Elnonensis (E.) ap. Beaugendr. in Opp. Hildeberti Cenomanensis Episcopi p. 1330. seqq.

(In margine adjeci foliorum rationem codicis Bruxellensis [not. *Br.*], quam diligentissime notavit Oehlerus; de Lipsiensi hoc fieri non poterat, quod nullam ejus rei significationem habui; Marburgensis denique foliorum rationem inire nolui, quod non satis integer est, de qua re vid. *Comment. Crit.* p. 99.)

Cod. Br. fol. 194 b. col. 2. I. **D**estituit[1]) terras decus orbis, gloria rerum
Virtus, mortali dicta[2]) negare mori.

---

14) hoc non intelligo, nisi forte *liquefiens* legendum et verba sic intelligenda sint *quum liqueat, quod eramus, da es klar ist, was wir waren.* — 15) Sic cod.

1) pro *connixus?* — 2) num *desuper erectum?* — 3) leg. *celum.* — 4) non intelligo.

1) Sic M. B. L. *destituet* E. — 2) Sic M. B. E. *dca* L. per compend.

Non hanc [3]) in quoquam spondet flos indolis usquam [4]);
Scis, nihil [5]) est pietas, nominis umbra fides.
Si caelum [6]) staret, si sol lucere negaret,
Si nix ferveret, frigida flamma foret,
Non sic pallerem, non sic mirando stuperem,
Quam si nunc usquam quemque pium videam [7]).
Femina [8]) quod vitulum generavit, vacca quod agnum,
Quod vulpes [9]) quondam filia suxit equam [10]),
Tunc enarranti non demeruit mage credi,
Quam si nunc aliquem dicis habere fidem.
Vivit quisque sibi nunc temporis [11]), una voluntas [12])
Pectore diverso nescit habere locum.
Quaerit quisque suum, sibi soli solus amicus,
Non existit, onus quem [13]) gravet alterius.
Cum fueris felix [14]), multo stiparis amico:
Prospera mutentur [15]), respice, solus eris.
Quos praesens jungit, fugiens fortuna resolvit,
Testans in praecio [16]) se [17]) fore, non homines.
Assecla fortunae praerodit [18]) callidus hamum;
Morsus apis solvit quos mel habet socios.
Non est, ex alio [19]) qui vere dicere possit:
Hic meus alter ego, mens sumus una duo [20]).
Desperet [21]), quisquam quod posthac non erit usquam,
Qui tibi, tu nulli; qui sibi, nemo tibi.
II. Quos tu nunc audis in climate quolibet orbis
Dulcis amicitiae par generare novum?
Quis frater fratri [22]) nunc est Pylades [23]) Oresti?

---

3) Sic M. B. L. *hunc* E. — 4) Sic M. B. L. *unquam* E. — 5) Sic B L. E *nichil* M. — 6) Sic M. B. *celum* L. *coelum* E. — 7) Sic M. L., nisi quod in posteriore *q'q*; per comp. scriptum est. — *quam si nunc aliquem dicis habere fidem* B. e v. 12. *Quisque* pro *quisquam* insolenter h. l. positum est. — 8) Sic M. B. L. *faemina* E. — 9) *vulpis* conjec. Beaug. — 10) Sic M. B. *equum* L E. — 11) Sic M. L. E. *tunc ceperis* B. *Nunc temporis* dictum est, ut *tunc temporis.* Cfr. v. 37. *nunc aetatis,* v. 337. *nunc aevi.* — 12) Sic M. L. E. *voluptas* B. — 13) Sic B. E. *quod* M. L. — 14) Sic M. B. L. *foelix* E. — 15) Sic M. B. E. *mittuntur* L. Cfr. cum his versibus Ovid. Trist. I, 9, 5 et 6: *Donec eris felix multos numerabis amicos: Tempora si fuerint nubila, solus eris.* *Hermannus* in exempli sui marg. addit Wernsdf. Poet. L. M. III. p. 74. — 16) Sic M. *precio* L. *pretio* B. E. — 17) *se* h. l. opponitur *hominibus.* — 18) Sic M. B. L. *praeludit* E. Cfr. Horat. Sat. II, 5, 25: *Si vafer unus et alter insidiatorem praeroso fugerit callide hamo.* — 19) *ex* alio dicere pro *de* alio dicere nusquam alibi legi. — 20) Cfr. de similibus veterum sententiis Beier. ad Cic. Lael. 21, 81. p. 127. ed. major. — 21) Videtur legendum *desperes* sequente particula *quod* pro accusativo c. infinitivo posita, ut saepe et in hoc carmine factum est et in aliis medii aevi carminibus. Sententia autem paulo-implicatior verbosiorque haec esse videtur: *Desperes,* i. e. *spem ponas, abjicias, posthac usquam quemquam fore, qui tibi amicus sit, nec tu ullum habebis amicum; qui sibi amicus est, tibi non est amicus.* Cfr. v. 29. Ceterum in E. post versum 27. quatuor disticha sequuntur, quae in nostris tribus codd. desunt; quae quum quasi interpretationem continere videantur eorum, quae prioribus 26 versibus vel elegantius vel obscurius a poeta prolata erant, equidem non dubito, quin ex interpolatione orta sint. Sunt autem hi:

*Postquam cana fides, quod ubique vigebat abhorrens*
*Deseruit mundum, cum pietate nefas*
*Vix impressa suis vestigia liquerat uni*
*Soli si fuerat, sed puto, nullus erat.*
*Amplectendo fidem, cunctis Deus alter eidem*
*Unus nullorum, non suus* (Beaug. conjec. *siuit*) *esse suum*
*Instar avis rarae* (Beaug. intelligit *Icarum*) *spectandus in aere pennas*
*Dum librat, ut perhibent, naufragio periit.*
*Quos tu nunc* cet.

22) Sic M. B. L. *fratri frater* E — 23) Sic M. B L. Pilades E.

Quis cuiquam [24]) Theseus, quod [25]), Pirithoë [26]), tibi?
Nil Telamon [27]) voluit, nisi quod secum [28]) Meleager [29]);
Quae, Patrocle, tui mens [30]) et Achillis [31]) erat.
Quos nunc [32]) emissos Orcus si redderet orbi,
Discors, aut nullus esset utrique suus [33]).
Si redeat vitae Polynices [34]), non sibi quisquam
Quem [35]) Thebas [36]) mittat, Tydeus [37]) alter erit.
Qui nunc [38]) aetatis vivi moriuntur amicis?
Defunctus Scipio vixit adhuc Laelio [39]).
Teste solo Pollux partitur vivere [40]) fratri,
Fratribus, en, multi, quod tibi, Reme [41]), tuus.
Flammae [42]) Phaetontis successerat umbra sororum,
Nunc multae fratrum morte larem vacuant.
Plauserat [43]) Alceste pro conjuge fata mereri,
Plures, ecce, viro, quod Clytemestra [44]) suo.
Nae sine se natus mare cum nato subit Ino [45]),
Nunc multae natis, quod sua mater Iti [46]).
Ejus, qui patrem per mille pericula collo
Impositum soli tunc metuens oneri
Morti subduxit, simili pro [47]) laude subivit [48])
Lausus [49]) ovans gladium pro patre fulmineum.
Hi meruisse mori se patre superstite gaudent,
Natos nunc [50]) aetas longa patrum cruciat.
III. Naturale sacrum par, ipsi, dico, parentes
Quod fuerint [51]) natis materies sceleris.

---

24) Sic M. L. E. quem$\underline{g}$" per comp. B. — 25) qd' h. l. et paulo ante L. per comp — 26) Sic E. *perithoe* M. B. *peritoe* L. Cfr. cum hoc loco Ovid. Met. I, 145: Vivit *ex rapto: non hospes ab hospite tutus: Non socer a genero: fratrum quoque gratia rara est.* Trist. I, 9, 27: *De comite Argolici postquam cognovit Orestae Narratur Pyladen ipse probasse Thoas. Quae fuit Actoridae cum magno semper Achille, Laudari solita est Hectoris ore fides. Quod pius ad manes Theseus comes isset amico, Tartareum dicunt indoluisse deum.* Adde Madvig. ad Cic. de Finib. I. c. 20. Wetzel et Beier (ed. maj.) ad Cic. Lael. 4, 10. 7, 9. — 27) Sic M. B. E. *Thelamon* L — 28) Sic M. B. E. *sec'* L. — 29) Vid. Hygin. fab. 173. et Ovid. Met. VIII, 377. seqq. — 30) *tui* mens est dictum pro *tua* mens, cfr. v. 221. 401. 1083. — 31) Sic B. L. E. *Achillus* M. De re cfr. Wetzel, Beier et Madvig. l. c. — 32) Sic M. B. L. quos *etenim* E. — 33) Sententia haec est: *aut inter se discordes essent, aut neuter haberet amicum.* — 34) Sic B. *polinices* M. L. E. — 35) Sic M. B. E. *qui* L. — 36) Sic M. L. E *Thebis* B. — 37) *tideus* M. B. *thideus* E. *Theseus* sine necessitate conjec. Beaug. Cfr. Hom. Il. 4, 372. seqq. 5, 800., ubi vid. Scholl. Stat. Theb. II, 3. Diod. IV, 65. Apollod III, 6, 5. — 38) Sic M. B. L. *Nunc nunc* E. — 39) *lelio* E. Cett. *Laelio*. De *Laelii* et *Scipionis* amicitia vid. Cic. Lael c. 4. — 40) partitur *vivere* dictum est pro *partitur vitam*. Cfr. v. 51. 263. 265. 750. 751. — 41) o signum exclamandi M. supra vers. habet. — 42) Sic M. B. L. *lumine* E. — 43) *plauserat mereri fata*, i. e. *beatam se praedicaverat, quod pro conjuge sibi mori liceret.* — 44) *Clitemestra* M. L. *clitemnestra* E. *clytemnestra* B. Cfr. Forcellini Thesaur. Ling. Lat. v. *Clytemnestra.* — 45) Sic M. B. L. *uno* E. Versus videtur esse corruptus; non enim intelligo, quid sit *sine se natus.* Fabula, quam poeta intelligit, haec est: Athamas quum persequeretur necis causa Inonem cum filio Melicerte, illa se cum filio de scopulo in mare praecipitavit. — 46) Sic M. B. L. *Iti* deest in E., unde Beaugendrius puncta posuit sic: *quod sua mater* . . . . . Intelligitur autem *Progne*, cujus filius *Itys* erat, quem illa cum sorore sua Philomela interficiendum statuit, quod pater suus sororem ejus, i. e. Philomelam stuprasset. Cfr. Pentadium in Eleg. de Fortun. ap. Wernsdf. P. L. M. III. p. 263. Sententia deprompta est ex Ovid Met. I, 147: *Lurida terribiles miscent aconita novercae.* — 47) Sic M. L. *post* B. *sub* E. — 48) Sic M. B. E. *subibit* L. — 49) Sic M. L. E. *laus* (*et* supra vers.) *ovans* B. *Plausus* infeliciter conjecit Beaug. Sed legendum videtur *similis,* ut hoc adjectivum referatur ad pronomen *ejus* v. 47., quo pronomine intelligendus esse videtur *Antilochus,* qui patri *Nestori* vitam servavit eo, quod quum Paris unum ex equis Nestoris vulnerasset et periculum esset, ne Nestor ab insequente Memnone interficeretur, Antilochus Memnoni se objecit, quo pater effugeret. Simili autem ratione Lausus filius Mezentii patrem, quum is in proelio vitam periclitaretur, defendendo servavit. Cfr. Virg. Aen. X, 790. — 50) Sic M. B. L. *Quosdam nunc* E. Sententia est ex Ovid. Met. I, 148: *Filius ante diem patrios inquirit in annos,* cum quo versu cfr. Ruhnken. notam ad Rutil. Lup p. 97. ed. Frotscher. — 51) Sic M. B. E. *fuerant* L.

Certi sunt testes in se Pharnax [52]) et Orestes,
Hic miserae matri [53]) letifer [54]), ille patri [55]).
Pectoris humani fraus facta domestica vincens
Ipsam naturam surgit in omne nefas.
Cod. Br. fol. 195 a. col 1. Haec [56]) ignem cineri subdens [57]) aconitaque melli [58]),
Secli [59]) luxus iners, fastus [60]) et alta tumens;
Fax odii [61]), furor excedens, spinosa simultas,
Heu! sibi divinum subdiderant [62]) hominem.
Cujus nunc mentem, dic [63]), non juvat esse nocentem?
Quis non volvit [64]) homo quodque nefas animo?
Non tot nox stellas, tot habet maris unda procellas,
Non tot grana seges, crimina quot [65]) species [66]).
IV. Servit Avariciae sed in hoc aevo scelus omne:
Incestat [67]) mundum nunc furiale lucrum.
Haec [68]) fas atque nefas confundens, sacra profanis [69])
Miscet, non curans, unde, sed ut rapiat.
Haec praegnante lupa magis haec et [70]) tigride fera [71])
Grassans in mortem spe praecii [72]) rapitur;
Fulminis ocior igne ruens per tela, per ignes [73]),
Omne, quod occurrit, dira Celaeno rapit.
Plus adquirendi [74]) sitis incandet cupienti [75]),
Hydrops [76]) exhaustis ut magis ardet aquis.
Illi potando sitis, huic ignescit habendo;
Sanando morbus crescit utrique suus.
Turbine tam piceo non candens [77]) aestuat Aetna [78]),
Fumat ut igne lucri pectus, Avare, tuum.
Hunc auri bibulum [79]) Pactolus et Hermus [80]) inundent,
Incandescit aquis Tantalus in mediis.

---

52) *Pharnax* intelligitur *Pharnaces*, filius Mithridatis, qui, dum pater expeditionem in Italiam meditatur, patrem per defectionem una cum exercitu perdidit, unde ille vitam sibi eripuit. V. Vellej. Pat. II, 40. — 53) Sic M. B. E. *matris* L. — 54) *lethifer* E. — 55) Sic M. B. E. *patris* L. — 56) Sic M. B. E. *hic* L. Videtur *haec* referendum ad *Althaeam*, quae filium Meleagrum propter fratres suos ab avo occisos eo ulta est, quod stipem in ignem injecit, e quo ejus vita pendebat. Vid. Ovid. Met. VIII, 445. seqq et Pentadii Eleg. de Fort. ap. Wernsdf. P. L. M. III, p. 263 — 57) *subdens* videtur esse dictum pro *subdens est* vel *subdit,* cujusmodi nominativi participiorum pro verbo finito positi perquam frequentes sunt apud medii aevi scriptores. Eadem constructio redit v. 908. — 58) Haec pars versus videtur ex Ovid. Met. I, 147. hausta: *miscent aconita novercae.* — 59) Sic scripsi e conject. Viri Cl. Maurit. Haupt, quam exemplo suo adscripsit; cod L. *sec'* M. B. *secum.* — 60) Sic M. B. L. *fuctus* E. — 61) Sic M. *fas* B. L. E. — 62) Sic M. B. L. *subdiderunt* E. — 63) Sic M. B E. *dic cujus mentem nunc* L. — 64) Sic M. B. L. *volvat* E. — 65 Sic M. B. (per comp. *q᷑ͥ*) E. *quot criminu* L. — 66) Sic M. E. *spes* L. B. Cfr. Ovid. Art. Am. I, 59: *Quot caelum stellas, tot habet tua Roma puellas.* — 67) *infestat* conj. Beaug. De sententia Hermann. in margine exempli sui conferri jubet Barth ad Claudian. laud. Stilich II, p. 112. Wernsdf. P. L. M. III, p. 62. 65. 107. 276. — 68) Sic M. B. E. *hoc* L. *haec* sc. *avaritia.* Cfr. cum hac parte carminis, quae est de *Avaritia* s. de *Nummo*, *Pseudo Ovid.* carmen de *Nummo*, de quo vid. *Comment. Crit.* p. 100. *Nigelli Wirecker* Spec. Stult. p. 88. seqq. ed. Wolferbyt. 1662. et *Henrici Septimellensis* Eleg. de Fortun. ap. *Leyser* Hist. Poet. med. aev. p 484. seqq — 69) *prophanis* L. Cett. *profan.* Desunt autem versus 71. et 72. in Elnon. cod. ap. Beaug. Exciderunt per pron. *haec* repetitum. — 70) Sic M. B. E. *sed* L. — 71) Sic M. *feta* B. L. E. — 72) Sic M *pretii* B. E. *precii* L. — 73) Cfr. Virg. Aen. II, 664: *Me per tela, per ignes eripis.* Horat. Epist. I, 1, 46.: *Mercator per mare pauperiem fugiens, per saxa, per ignes.* — 74) Sic M. *acquirendi* L. E. *aquirenti* B. — 75) Sic B. a m. 1 et L. *cupiendi* B. a m. 2. et M. supra vers., in textu est *rapiendi.* Hermann. comparari jubet Wernsdf. P. L. M. III, p. 236. et Juven. XIV, 139.: *Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crevit.* Cfr. Horat. Carm. II, 2, 12.: *Crescit indulgens sibi dirus hydrops.* — 76) Sic M. E *ydrops* L. B. — 77) Sic M. B. L. *candens non* E. — 78) Sic M. B. *ethna* L. *unda* E — 79) Sic *sanguinis bibulus* Caesar v. 378. et *Falerni bibulus* ap. Horat. Epist. I, 14, 34. — 80) Sic M. E. *h' m⁹* L. *Er us* cum lacuna B. Praeterea notandum hos duos versus

Quos morsu laesit[81], sic torrida dipsas[82] adurit,
  Tanta siccatos afficiendo siti,
Hoc ardore minor sit[83] ut[84] haustus quilibet humor,
  Nec tam candentis sit[85] medicina sitis.
Sed genus hoc pestis, novus hic fervor[86] sitientis
  Corpus siccati morte necat celeri.
Suavis[87] at obsesso vitiis stipata cupido
  Urendo mulcet, exagitando placet.
O furiam vultus dubii, soror haec tua, Protheu[88],
  Morborum morbus creditur esse salus.
Candeat in cupido cum sic[89] scelerata cupido[90],
  Dicam nil talis[91] nequius igne sitis.
O patuli rictus numquam saciabile[92] monstrum,
  Semper hiando vorans, semper, ut addat, hians!
Influat hoc barathrum[93] quod mundus[94] continet[95] aurum,
  Harpyiae[96] talis ingluvies sitiet.
V. **A**urum quae tangit faciens Mida[97], talis egebit
  Non minus hoc, quod habet, quam quod habere cupit.
Sed quem tam pleno perfundit[98] Copia cornu,
  Te nudum trita posce tegat tunica:
Huic supplex insta[99] qua mollires praece[100] saxa;
  Os[101] rapies sicca fauce lupi citius.
VI. **H**inc[102] virtus abiit, terras Astraea reliquit[103],
  Terga dedit Pietas, dando locum sceleri.
Jus, fas, majestas, regnum[104], curule, tribunal

---

81. et 82. ap. Beaug. post v. 98. inclusos extare hoc ordine 1) *Harp.* 2) *Hunc aur.* 3) *Incand.*, post quem versum apud Beaugendrium hi duo versus sequuntur:

*Extinxit flammas ardens Veseuvus, ut ajunt,*
  *Extingui nescit ignis avaritiae*

qui quum in Marburg. cod. in inferiore margine extra textum nescio quo loco interponendi reperiantur hac varietate lectionis *Vesevus*, in B. et L. autem plane desint, spurii videntur. — 81) Sic M. *ledit* vel *laesit* B. L. E. — 82) *dypsas* M. Cett. *dipsas*. Cfr. Lucan. Phars. IX, 610.: *in mediis sitiebant dipsades undis* et 718. *torrida dipsas.* — 83) Sic M. B. L. *fit* E. — 84) *ut* om. E. — 85) Sic M. B. L. *fit* E. — 86) Sic M. B. L. *ardor* E. — 87) Versus 89. usque ad 92. (inclus.) desunt apud Beaug., sed eorum loco hi reperiuntur:

*Finis et huic morbo suus instat corpore necto,*
  *Qui vivum nocuit, nil nocet exanimi.*
*At suavis menti, suavis cui provida carni*
  *Quos vivos terret, suave cupido fovet.*
*Cum vero terrae sua reddiderit caro sese,*
  *Ecce cupido rogi materies Stygii*
*Post finem sine fine dabit flammas ibi demum* (Beaug. vult *demon*)
  *Hique* (Beaug. vult *isque*) *non animo sufficiens animae.*
*Candeat* cet

In his ego versibus, qui ab hoc loco plane alieni videntur justumque orationis cursum turbant, interpolationem pii istius monachi agnosco, de quo supra in *Comment. Crit.* p. 106. diximus. — 88) *protheu* M. (cum signo exclamandi *o* supra vers.) B. L. — *vultus dubii* est ex M. B. *dubii vultus* L. — 89) Sic M. L. E. *sit* B. — 90) Sic M. B. L. In M. est supra vers. *stigis esca* cupido, quod ex Elnon. dedit Beaug. — 91) Sic M. E. *talis* B. L. — 92) Sic M. *satiab.* Cett. — 93) *baratrum* codd. — 94) Sic M. B. L. *mundus quod* E. — 95) Sic M. B. L. *possidet* E. — 96) Sic E. *harpiae* M. *arpyiae* B. *arpie* L. — 97) Sic scripsi e conject. vestigia secutus codicis L., in quo est *aurum qui tangit faciens mida*, in B. est *aurum quae tangit faciens mala*, in E. denique *aurum quae tangit facies nuda.* Sententia haec est: *Qui quasi alter Mida in aurum vertit, quicquid tangit, is tamen egebit*, sicut Midas ipse, qui, quum, quidquid tangeret, in aurum mutaretur, non habuit, quod ederet. — 98) Sic M. L. E. *perfudit* B. — 99) Sic M. B. L. *justa* E. — 100) *praece* pro *prece* M. — 101) Fuit in M. *hos*, sed *h* erasum est. Videtur hic versus ad fabulam *de lupo et grue* referendus. Cfr. Phaedr. Fabul. I, 8. sec. ed. Orell. — 102) Sic M. B. L *Sic* E. — 103) Cfr. Ovid Met I, 150.: *Ultima caelestum terras Astraea reliquit.* — 104) Sic M. B. L. *regni* E. Cfr. Horat. Epist. I, 6, 53, 54.: *Cui libet hic fasces dabit eripietque curule Cui volet importunus ebur.*

Nummo cesserunt; omnia solus erit [105]).
Publica spes nummus, nunc rege potentior omni
Extollit praesens, deicit [106]) aufugiens.
Nummus nobilitas, nummus sapientia, quem [107]) nunc
Praetendens superat, pauper ubique jacet;
Quique cupis florem [108]), nummo stipa latus; ipse [109])
Te sublimabit [110]) quaeque cupita ferens.
Sceptriger est crescens ex omni crimine nummus,
Omnia virtutis praemia solus habens [111]).
Si praeter nummum te spes animat bona rerum,
Spem cassam pascis, plus et Oreste furis.
Si via virtutis tibi spondet [112]) culmen honoris,
Pendulus in baculo fidis arundineo.
Si Pegaso fultus centum superando Chimaeras
In cinerem dederis, nil modo [113]) pauper eris.
Quem prius illustrem bis sex fecere labores,
Passum mille [114]) quidem nunc tegerent inopem.
Omnis inops inglorius est, si [115]) dignius ipsa
Praesens hunc virtus sublevet in manibus.
Piscis aquae, mel api debetur, vitibus uva,
Caseus et lacti: gloria NUMME [116]) tibi!
Cod. Br. fol. 195 a col. 2. Solus nunc nummus virtutis habetur alumnus [117]),
Solus diligitur, solus adhuc colitur.
Stipatur multo tua curia, Numme, senatu:
Incurvare genu quem pudet, alme, tibi?
Si nummo [118]) nondum templi [119]) surrexerit [120]) ara,
Divina colitur relligione [121]) tamen:
Si non per nummum juratur, quis tamen horret
Nunc causa nummi [122]) sacrilegus fieri?
Olim philosophi fuerat lucra [123]) spernere nummi [124]),
Nunc nisi nummatus Plato foret fatuus.
VII. Thebanus Crates [125]), amor hunc cum philosophandi
Cogeret, exutum corporis illecebris [126])
Optaret [127]) doctas ut adire docendus Athenas [128]),

---

105) Sic M. B. L. *erit* pro *omni* E. — 106) Sic M B. L. *dejicit* E — 107) Sic M. B. L. *quae* E. Cfr. Ovid. Fast. I, 217.: *In pretio pretium nunc est: dat census honores Census amicitias: pauper ubique jacet.* — 108) Sic M. *qui florere cupis* Cett. — 109) Sic M. B. E. *ipe* L. — 110) Sic M. B. L. *sublimabat* B. — 111) Sic M. B. L. *habet* E. — 112) Sic M. B. L. *spondet tibi* E. — 113) *nil modo* h. l. pro *nil nisi* positum est. — 114) *passum mille* tegerent dictum est pro *passus mille* tegerent. Intelligitur autem *Hercules.* — 115) Sic scripsi de conject. In codd. est *et.* De sententia cfr. Juven. Sat. III, 164.: *Haud facile emergunt, quorum virtutibus obstat Res angusta domi.* — 116) Hoc vocabulum majusculis literis scriptum extat in M. Post hunc versum autem sequuntur apud Beaug. hi duo:

*Umbra, jubar solis, nummi jubar, umbra decorem*
*Assequitur: non sit nummus et umbra petit.*

qui desunt in nostris codd. — 117) Sic M E, *alumpnus* B. L. – 118) Sic M. B. L. *nummi* E. — 119) Sic L. E. *templis* B. — 120) Sic M. L. E. *surrexerat* B. — 121) Sic M. Cett. *religione.* Cfr. Juven. Sat. I, 113. 114.: *Inter nos sanctissima divitiarum Majestas, Etsi funesta Pecunia templo Nondum habitas, nullos nummorum ereximus aras.* – 122) *causa* praepositum redit v. 267. Cfr. *Ruddimann.* Instt. ling. lat. P. II, p. 244. not. 49. — 123) Sic M. L. E. *lura* vel *luna* B. — 124) Sic M. L. *nummos* B. *nummum* E — 125) Sic B. L. E. *Socrates* M. Vid. Diogen. Laert. VI, 87. ibique inttpr. Sic tollitur offensio *Hermanni* in *Analect. Catal.* p. 28., cui haec narratio de *Socrate Thebano* mira visa est. — 126) Sic M. B. L. *illecebras* E. — 127) Sic E. *ornaret* nostri codd., quod fortasse pro *adornaret,* i. e. *appararet,* dictum est. — 128) Cfr. Ovid. Heroid. II, 83.:

Ipsa rite prius re sibi philosophus [129]),
Navigio secum [130]) prudens homo duxerat [131]) aurum,
Quo [132]) sibi, quidquid erat, hac vice vendiderat,
Cum duce jam vento puppis raperetur in alto,
Aurum, quod duxit, fluctibus imposuit,
En, dicens, imum pete dira cupido profundum;
Ne male me mergas, te bene mergo prius.
VIII. **D**iogenes [133]) lecto positus cum membra quieti,
Saccis nummorum suppositis [134]) capiti
Audiret [135]) furem nummorum spe fodientem,
Mox huic projectis quos habuit loculis,
Nummos, quos quaeris, compos, ait [136]), accipe, mentis,
Hac ut [137]) me cura sollicitum releves
Et nostrum certe requiescere possit [138]) uterque,
Tu quos quaeris habens, his ego non metuens.
IX. **G**raecus Aristippus, grave cum servos onus auri
Cogeret in Libyam [139]) tardius ire viam,
Indignans auri jubet illos fasce levari
Et medio trivii tale nefas abici [140]).
Hi [141]) se philosophos aurum calcando probarunt [142]);
Est sine consilio nunc vacuus loculo,
Nunc contemplari nummos est [143]) philosophari [144]),
Nemo carens praecio [145]) nunc manet in praecio.
Atria [146]) praetoris pulsans stipate camenis [147]),

---

*Doctas jam nunc eat, inquit, Athenas.* — 129) Sic B. L. E. *phylos.* M. — 130) Sic M. L. E. *fecit* B. — 131) Sic M. B. L. *vexerat* E. — 132) Sic codd. nostri, quod conjectura assecutus erat Beaug., quum in Elnon. esset *quod.* — 133) Sic M. B. E. *dyogen.* L. — 134) Sic M. L. E. *subpositis* B. — 135) Sic M. L. E. *audivit* B. — 136) Sic M. L. E. *aut* B. — 137) Sic M. L. B. *ut* E. — 138) Sic M. B. E. *posset* L. Fontem hujus narrationis nusquam investigare potui. — 139) *libiam* M. B. *lybia* L. E. — 140) Sic M. B. L. *abjici* E. Rem narrat Diog. Laert. II, 77, ubi vid. inttpr. Noster poeta videtur *Horatium* expressisse *Sat.* II, 3, 100 seqq. — 141) Sic M. B. L. *his* E. — 142) Sic M. *probabunt* Cett. — 143) Sic M. B. L. *et* E. — 144) Sic B. L. E. *phylos.* M. — 145) Sic bis M. *precio* L. *pretio* B. E. Sententia est: *Qui non pecunia instructus est, nihili aestimatur.* Videtur poeta ante oculos habuisse Ovid. Fast. I, 217: *In pretio pretium nunc est, dat census honores, Census amicitias: pauper ubique jacet.* — 146) Versus 165 et 166 desunt apud Beaug., sed eorum loco reperiuntur ii versus, qui in nostris codd. v. 193 seqq. extant, sed in his quoque ordo versuum multo aliter se habet, quam in nostris tribus codd. Est autem ordo versuum apud Beaug. hic:

*Nemo carens pretio nunc manet in pretio.*
*Instar cui dandae fuerant tibi, Musica, formae,*
*Ictus fabriles Pytagoras sapiens,*

(Hi duo versus in nostris codd. sunt 193 et 194.)

*Esses malleolo nunc vilior arte rejecto*

(Hic versus respondet versibus duobus, qui in nostris codd. sunt 195 et 196, quamquam aliis verbis sunt expressi.)

*Si nihil in loculis, nunc jocus est mathesis.*

(Hic versus similis est ei versui, qui in nostris codd. est 162, quamquam idem etiam apud Beaug. eodem loco extat)

*Quid nunc ars abaci, pars quae vilissima calci*
*Nunc usura vorax calculat ipsa sibi,*
*Creditor ecce refert Abacista promptior omni,*
*Quid redeat lucri quoque die capiti.*

(Hi quatuor versus in nostris codd. extant v. 189—192.)

*Concludendo sibi facili sophismate falsum*
*Nunc daret elinguem nummus Aristotelem*

(Hi duo versus in nostris codd. extant v. 167. 168.)

*Os quod sis nummi, te, facundissime Tulli,*
*Causas acceptae spingis agens docuit.*

Si nihil [148]) attuleris, stabis, Homere, [149]) foris.
Concludendo sibi facili sophismate falsum
Nunc daret elinguem nummus Aristotelem [150]).
Fraudatus nummo nil tempore Tullius [151]) isto
Ad persuadendum diceret apposite.
Causidico pereat qui linguam nummus inaurat [152]);
Os torrens vena pauperiore fluet.
Quolibet in stulto nunc, numme, fluis sale multo,
Delirat tantum pauperis ingenium.
Quisquis [153]) agens vincet, si [154]) causam nummus honestet;
Justitiae soli fisus aget fatue [155]).
Stent leges tecum, pro te causetur honestum,
Vincere si poscis [156]), jus trahe de loculis.
Causa reum dampnet, proscribat judicis urna [157]),
Cervix innexo palpitet et laqueo:
Fac mediatorem nummum, citus acta [158]) resolvet,
Ipsa fauce reum mox necis eripiens;
Ipsum se praetor falsum dictasse notabit [159]),
Nec mora: quae nummi vox erit et populi,
Nec metuet [160]) vinci modo controversia nummi,
Ipse potens viris [161]) est decus omne suis.
Exacuens causa nummi suadela per horas [162])
Frena regis theatri, numme, manu facili.
Quae [163]) nunc ars abaci [164]), pars quae millesima [165]) calci?
Nunc usura vorax calculat ipsa sibi.
Creditor, ecce, refert, abacista promptior [166]) omni,
Quid [167]) redeat lucri quaque [168]) die capiti [169]).
Instar cui [170]) dandae fuerant [171]) tibi, Musica [172]), formae,

---

(Horum duorum versuum sententia aliis verbis expressa, subtilioribus illis quidem, extat in nostris codd. v. 169. 170.)

*Quolibet in stulto, nunc, numme, fluis sale multo,*
*Delirat tantum pauperis ingenium.*
*Causidico pereat qui linguam nummus inauret,*
*Os torrens vena pauperiore fluet.*

(Hi quatuor versus mutato ordine extant in nostris codd. v. 171—174.)

*Gorgona praesentans in pectore non sine nummo*
*Desiperet quamvis vertice nata Jovis.*

(Hi duo versus desunt in nostris codd.)

*Quisquis agens vincet* cet., ut in nostris codd.

Videntur autem et turbae istae versuum ordinis et additamenta unius codicis *Elnonensis* ab interpolatore profectae, qui meliorem sententiarum ordinem suo judicio restituere vellet, quod ea, quae de arte numerandi rationumque computandi dicta essent, in codice suo non satis inter se cohaerere putaret. Sed jam ad ea accuratius persequenda, quae in nostris codd. extant, revertamur. — 147) Sic M. L. *camoenis* B. — 148) *nichil* M. L. — 149) *Omere* B. Versus partim ab Horat. Epist I, 5, 31. mutuatus est: *Atria servantem postico falle clientem.* Tertius autem ab hoc versus est ab Ovid. Art. Am. II, 279 seq.: *Ipse licet Musis venias comitatus, Homere: Si nihil attuleris, ibis, Homere foras.* — 150) Sic B. E. *Aristotilem* M L. — 151) Sic M. L. *Tulius* B. — 152) Sic M. L. *inauret* E. *honestat* B. e versu 174. Construe: *Pereat nummus, qui causidico linguam inaurat.* — 153) Sic E., quod dictum est pro *quisque.* Cett. *quisquid.* — 154) Sic M. E. *nisi* L. B. — 155) Sic M. B *fatui* E. — 156) Sic M. L. B. et Beaug. e conject., quum in E. esset *possis* — 157) Sic M. L. B. *ira E* — 158) Sic M. L. B. et Beaug. e conj., quum in cod. E. esset *alta.* — 159) Sequitur post hunc versum apud Beaug. hic: *Nec solvisse reum fiet ut inde pudor,* in quo versu terminatur hoc carmen apud Beaug. *quae* M. L. *quam* B. — 160) Sic M. B. *metuit* L. — 161) Sic B. *juris* M. L. — 162) Sic M. *oras* L. *uuras* B. a. m. 1., e corr. *horas.* — 163) Sic M. *quod* B. *quid* L. E. — 164) Sic M. L. E. *abici* B. — 165) Sic M. L. B. *vilissima* E — 166) Sic M. L. E. *promptior* (per compend. *p̃pcior*) B. — 167) Sic M. L. E. *quod* B. — 168) Sic M. B. L. *quoque* E. 169) *capiti* est *summae* pecuniae, *Kapital.* — 170) Sic M. B. E. *qui* L. — 171) Sic M. B. E. *fuerut.* L. — 172) *o*

Ictus fabriles, Pythagoras [173]) sapiens [174]),
Nummo philosophante sibi [175]) nunc vilior esset
Illo nullius malleolo praecii [176]),
Quem quintum projecerat ipse, quod nunc habitudo
Discors sejunxit quatuor a reliquis;
Cod. Br. fol. 195 b. col. 1.
Sic dominans rebus rex hoc in tempore nummus
Solus habet volvi [177]) sub pede cuncta sibi [178]).
X. Quid loquar Invidiam [179]), furia quae saevior omni
Spirat letiferum viperea sanie.
Solis laeta malis haec [180]) uritur igne doloris,
Audierit si quem prosperitate frui.
Haec [181]) infame Stygis [182]) monstrum, Plutonis oëstrum [183]),
Afflans extinguit indolis omne decus.
Haec [184 a]) studii florem, varias haec abdidit artes:
Hinc obducta situ, Philosophia [184 b]), lates.
Haec morum rodendo fugans [185]) insignia multos
Sirenis [186]) mittit sub juga Desidiae,
Cum livor pravus plures, quos ardua virtus
Illustres fecit, dignius excoluit [187]),
Hinc [188]) nunc mordendo, nunc conditione [189]) praemendo
Hos [190]) documenta suae nequitiae dederit.
Hinc, cum perplures virtutem non tolerantes [191])
Semper livoris expositam [192]) jaculis
Hunc placaturi sic et palma carituri
Se male torpori vendiderint animi,
Artes, heu! multae penitus jacuere [193]) sepultae,
Cum virtus furiae cesserit Invidiae.
Livor edax! jocunda tui dictante veneno
Vitri flexibilis ars homini periit.
Livor livori collisa [194]) velut [195]) petra petrae
Ars mors auctori quod fuit, auctor eras.
XI. Quidam tunc solus [196]) primus, sed postea nullus

---

supra vers. B. — 173) Sic B. *pytagoras* M. L. E. — 174) *sapiens* h. l. est participium verbi *sapere* cum accusativo conjunctum *fabriles ictus.* Unde vertendum est: Pythagoras, *der die Hammerschläge verstand.* — 175) Sic M. *carens* B. L. — 176) Sic M. *precii* L. *pretii* B. E. — 177) *habet volvi* significat *facultatem habet volvendi.* Cfr v. 245. Haec syntaxis etiam apud Romanos reperitur. — 178) Sententia loci paulo obscurioris haec est: *Sicut (instar) Pythagoras, a quo (cui) tibi, Musica, dandae fuerant formae, quum sciret (sapiens) rationem ictuum fabrilium (ictus fabriles), nunc, ubi Nummus philosophatur,* i. e. *ubi omnis ars philosophandi in conquirendis habendisque nummis posita est, sibi nunc vilior esset, quam iste malleolus quintus, quem ipse, quum dissonantiam animadverteret, a quatuor reliquis malleolis separavit, vel potius prossus rejecit, sic hoc tempore nulla resultum habet pretium praeter nummum.* Exemplum ipsum poeta sumpsit e *Boethii* libro I. de *Musica* cap. X. p. 1069 ed. Basil. 1546 fol. Cfr. libros a *Grässio* Lehrb. einer allg. Ltgesch. aller Völcker. I. Bd. 1. Abth. 1. Hälfte p. 485. laudatos. De pretio nummi cfr. init. Pseudo-Ovid. de Nummo: *In terra nummus rex est hoc tempore summus.* — 179) De *Invidia* cfr. carmen apud Wernsdorf. P. L. M. T. III. p. 389. — 180) Sic M. B. *h'* L. — 181) Sic M. *h'* L. *Nec* B. Eadem varietas redit v. 207. — 182) Sic B. *stigis* M. L. — 183) *oestrum* h. l. trisyllabum est. Cfr. v. 630. Videtur autem poeta alludere ad fabulam de *Jo.* — 184 a) Sic M. L. *nec* B. — 184 b) Sic L. B. *phylos* M. — 185) Sic M. L. *fugas* B. *o* supra vers. addit B. M. — 186) Sic M. B. *Syren.* L. Verborum ordo est ex M. *Mittit Syr.* B. L. *Siren Ignavia* extat v. 461. Est imitatio Horat. Sat. II, 3, 14. 15: *Vitanda est improba Siren Desidia.* — 187) i. e. *et dignius excoluit.* — 188) Sic M. L. *hic* B. — 189) Sic M. *cum* supra vers. est. ett. *cum ditione.* — 190) *hos* quodammodo abundat, sed additum est, quod plura interjecta sunt. — 191) Sic B. *tollerantes* M. L. — 192) Sic M. L. *expositum* B. — 193) Sic M. L. *tacuere* B. — 194) Sic scripsi e conjectura philologi Lipsiensis, qui Viro Cl. Hauptio in describendo codice Lipsiensi praesto fuit. Codd. *collisae.* — 195) Sic B. L. *velud* M. — 196) in B. est comp. *sel'.* Narratio hausta est ex Plin. Hist. Nat. XXXVI, 26. Cfr.

Vitri naturam flexerat arte nova,
Cederet ut flexu sinuoso, more metalli,
Quod modo percussum dissilit ut glacies [197],
Quaslibet ut [198] formas imbutum mente magistri
Susciperet docti pollicis arbitrio.
Quid [199] sibi pauper homo promittat [200] tempore longo?
Incertus certum quid sibi mundus habet?
Auctor hic ut summus qui [201] summis summa daturus
Tunc procuranti publica Tiberio [202]
Magnus ut magno pro magnis magna volendo [203]
Ejusdem vitri detulerat phialem.
XII. Quod cor non angis, quae [204] non praecordia tangis
Livor [205], rubigo demoliens animam?
Cum perspexisset Caesar, quod [206] mox retulisset
Auctor cum vitro laudis hic hoc praecii [207],
Invento tali decuit quem [208] laetificari,
Mentis inops duplici fluctuat invidia.
Hinc malus artifici titulos [209] inviderat artis,
Quos sibi [210] divinum contulit ingenium:
Hinc vindex auri, cui semper habet famulari
Saevum [211] funestae pectus avaritiae,
Invidit vitro, quia jam praeponderet [212] auro,
Addas si tantum vim sibi flexibilem.
Demum [213], sive sagax artis promissa [214] probando,
Sive magis domina jussus ab Invidia,
Ecce, novum vitri vibrans insigne scelesta [215]
Mente pavimento proicit incutiens;
Allisum silici vitrum non frangitur, immo
Flexum se plicuit qua silicem tetigit.
Mox insperatae praesens artis medicina
Sollerti vitrum pollice restituit.
Hoc genus [216] ingenii miser expallendo tyrannus
Corde venenato consulit artificem,
Hic calleret [217] adhuc hoc artis [218 a] solus, an alter? [218 b]
Alter seu didicit, sive sciens docuit?
Solum quum primum [219] se testatur, capitali
Dampnatus paena [220] scire suum tulerat.
Amisit sic scire sciens nolendo docere:

---

Reimari not. ad Cass. Dion. LVII, 21. — 197) Sic M. B. *glaties* L. — 198) Sic M. *et* B. L. — 199) Sic M. L. *quod* B. — 200) Sic M. B. *promittit* L. — 201) Sic M. *qui summus.* Celt — 202) Sic M. L. *tyberio* B. — 203) Sic M. L. *magna daturus* B. e v. 233. — 204) Sic M. L. *qua* B. — 205) In B. est supra vers. *o.* — 206) Sic M. L. *quod* B. Sententia valde contorta haec esse videtur: *Quum perspexisset Caesar, quid pretii hic auctor cum vitro hoc mox retulisset (würde davon' getragen haben).* — 207) Sic M. *precii* L. *pretii* B. *quid pretii* est *quantum pretii.* — 208) Sic M. B. *quod* L. — 209) Sic M. L. *titulus* B. — 210) *sibi* h. l. ut saepe apud medii aevi scriptores pro *ei* positum est. Eadem pronominum commutatio redit v. 248 et 645. — 211) Sic M. B. *servum* L. — 212) Sic M. L. *praeponderat* B. — 213) *demum* h. l. pro *denique* ponitur. Vide *Hand* Horat. Tursell. II. p. 254. 4. — 214) Sic M. L. *praetermissa* B. — 215) Sic M. L. *celesta* B. — 216) Sic M. B. *hoc decus* L. — 217) Sic M. L. *caleret* B. — 218a) Sic B. *hic* M. L., sed *hoc artis* dictum est pro *hanc artem.* — 218b) Sic M. L. *amalter* B. Sententia hujus versus interrogativa, quae pendet a *consulit,* haec est: *Ultrum alius ab eo didicerit, an quis alius, qui hanc artem sciret, ei docuerit.* — 219) Sic scripsi e conjectura, *quem* M. B. *qui* L. *testatus* M. B. L. — 220) Sic

Livor livori sic fuit interitus.
Sic [221] fore [222] perdebat solus qui noluit; alter
Invidia regis sic perit artificis.
Causa sic auri vitrum praeciosius [223] auro
Delevit [224] livor mixtus avaritiae.
Cod. Br. fol. 195 b. col. 2. In superos iram non Styx [225] exercuit unquam [226],
Monstro quod spurcae par foret invidiae.
Auro prognata [227] genitum talaria fratris
Cum veherent caesa [228] Gorgone saxifica
Portantem terris [229], urit quas [230] orbita solis,
Quod de fratre [231] soror pacta caput meruit,
Destillans monstri pus [232] in pestes animatum,
Hac nil de sanie partulit invidiae.
Non tantum crassi vomit aspis [233] surda veneni,
Non patiens hiemis saeva minans scytalis [234],
Non, quam [235] finit utrimque [236] caput, gravis amphisibaena [237],
Non draco [238] cristatus, non volucer jaculus [239],
Non curvo flexu graditur qua [240] torta cerastes [241],
Non tendens recto tramite [242] cenchris [243] iter,
Non cum centipeda [244] ranae cognata botracha [245],
Non dampno crescens hydra [246] rei capitis,
Non qui vix cauda terram [247] tangendo parias [248]
Altus qua [249] graditur [250] sulcat eundo viam,
Non quas [251] tangis [252] aquas, natrix [253] virose, venenans,
Non salpiga [254] nocens, non malus [255] hammodites [256],
Non tractu faciens terram [257] fumare chelydros [258],
Non puncto caudae scorpius [259] interimens,
Non trux chersydrus [260], non rex alios [261] basiliscus
Flatu serpentes ante venena necans,
Non qui [262] cum somno [263] concludis lumina laeto
Hypnalis [264] ut facilis, sic [265] celeris [266] rapiens;

---

M. *poena* B. — 221) Sic M. L. *sit* B. — 222) *fore* h. l, ut saepe apud medii aevi scriptores, dictum est pro *esse*, i. e. vitam, das Sein. Vide Dufresne Glossar. med. et inf. lat. v. *Fore*. Redit idem usus v. 356 et 730. Sententia est: Sic amisit vitam is, qui noluit solus artem scire. Sed quo referendum sit vocabulum *artificis* nescio. — 223) Sic M. *prec.* L *pret.* B. — 224) Sic M. L. *deletuit* B. — 225) Sic B. *stix* M. L. — 226) Sic M. L. *umquam* B. — 227) Versus 271—277 sumpsi ex B. L. Exciderunt in M. propter repetitionem vocabuli *Invidiae*. Est autem *auro prognata* Danae, cujus filius (*genitus*) fuit *Perseus*, frater autem Persei, a quo idem talaria sumpsit, est *Mercurius*. Cfr. Lucan. Phars. IX, 645 seqq. — 228) Sic M. B *cesar* L. — 229) i. e. *e* terris. — 230) Sic L. *quos* B. — 231) Sic B *te fratre* L. — 232) Sic L. *plus* B. — 233) Ad haec, quae de diversis serpentium venenis dicuntur, cfr. Lucan. Pharsal. IX, 700 seqq. Isidor. Etymol. XII, 4 et Vincent. Bellovac. Spec. Nat. l. XX. c. 19 seqq., e quibus scriptoribus hi versus compositi sunt. De *aspide* v. Lucan. l. c. v. 700 seqq. et Isidor. l. c. §. 12. — 234) *scythalus* B. *scitalis* M. L. v. Lucan. v. 714. Isid. §. 19. — 235) Sic scripsi e conject. philologi Lipsiens. *nunquam* codd. — 236) Sic L. *utrumque* M. B. — 237) v. Lucan. v. 719. Isid. §. 20. — 238) v. Lucan. v. 728. Isid. §. 4 — 239) v. Lucan. 720. 822. Isid. §. 29. — 240) Sic M. L. *quem* B. — 241) v. Lucan. v. 716. Isid. §. 18. — 242) Sic M. B. *calle* L. — 243) Sic M. B. *chenoris* L. v. Lucan. v. 712. Isid. § 46. — 244) v. Isid. § 33. — 245) Sic M. *bothraca* B. *botraca* L. v. Isid. §. 35. — 246) *ydra* M. B. L. v. Lucan. v. 644. Isid. §. 23. — 247) Sic M. B. *terram cauda* L. — 248) Sic M. B. *parĩas* L. v. Lucan. v. 721. Isid. §. 27. — 249) Sic M. *quam* B. *quo* L. — 250) Sic M. B. *trahitur* L. — 251) Sic M. L. *quam* B. — 252) Sic M. L. *frangis* B. — 253) Sic M. B. *mitrix* L. v. Lucan. v. 720. Isid. §. 25. — 254) Sic M. B. *salpinga* L. *Sálpuga* Lucan. v. 837. Isid. §. 33. — 255) Sic M. *mallus* L. *malo* B. — 256) v. Lucan. v. 716. Isid. § 39. — 257) Sic M. *terr. fac.* B. L. — 258) v. Lucan. v. 711. Isid. §. 24. — 259) v. Isid. §. 4 — 260) *chesidrus* B. *chersidrus* M. L. v. Lucan. v. 711. Isid. §. 24. — 261) Sic M. L. *aliis* B. v. Lucan. v. 726. 827. Isid. §. 6. — 262) Sic M. L. *que* B. — 263) Sic M. B. *sompno* L. — 264) *ipnalis* M. L. *o* supra vers. B. v. Isid. §. 14. — 265) *sit* B. — 266) Sic scripsi

Non ut piscis aquam patiens salamandria [267]) flammam,
Non praester [268]) rictu fumivomus [269]) patulo [270]),
Non metuenda tui rabies, haemorrhois [271]) ingens,
Quae facis, ut totus sanguine manet [272]) homo,
Sanguis sint [273]) lacrimae sudorque nihil [274]) nisi sanguis,
Sic unum vulnus totus homo rubeat;
Non fugienda boas [275]), non vipera [276]), non mala dipsas [277]),
Non enydrus [278]) aquas incola [279]) certus amans,
Qui somno [280]) pressum [281]) si forte videt cocodrillum [282]),
Littore quod [283]) Nili saepe solet fieri,
Ecce per os ingressus hiantis viscera monstri
Depastus necat hanc victor et egreditur;
Eliciens etiam motu vafer aspida caudae
Enecat expressa tutus eam sanie [284]).
Viscera sed vivi licet iste voret cocodrilli,
Et leto dampnet aspida letiferam [285]),
Invidiae si contuleris, mihi credite, dices:
Non est enydrus [286]) laedere quod valeat.
Non tantum pestis Libyes [287]) fuit [288]) omne venenum,
Heu! quantam livor [289]) fauce vomis Stygia.
In rodendo tibi sunt artes mille nocendi,
Quid [290]) non depravas, quid male non penetras?
Seps [291]) de tabe tui caro solvitur, ossa liquescunt,
Heu! mox nec [292]) corpus plus anima videas.
Huic pesti situs [923]) est liquefacto corpore finis:
Hac vitiante [294]) nihil [295]) post obitum metuas.
At solidi [296]) rosor subvertens omnia livor
Nec parcens fronti ruminat id studii [297]),
Unum [298]) defuncti [299]) famae decus ipse sinister
Oblinat [300]) interpres qualibet ut macula.
Alter nec [301]) cessans Tricerberus [302]), heu! resolutos
In nihilum [303]) cineres mandit adhuc avide.
Hoc tamen invidiae debes, te vindicat in se,
Te mordens proprio se iugulat gladio;
Nam laedens proprias magis omni peste medullas
Imminet ipsa sibi maxima Tisiphone [304]).

---

e conject. — *sceleris* codd. — 267) De *salamandria* vid. Isid. §. 36. — 268) Sic M. L. *praestu* B. v. Lucan. v. 722. Isid. §. 16. — 269) Vocabulum *fumivomus* deest in Lexicis. — 270) Sic M. L. *patule* B. — 271) *emorrois* M. L. *emorrhois* B. v. Lucan. v. 709. Isid. §. 15. — 272) Sic M. L. *madet* B. — 273) Sic M. B. *sint sang.* L. — 274) Sic B. L. *nichil* M. — 275) v. Isid. §. 28. — 276) v. Isid. §. 10. — 277) Sic M. L. *dypsas* B. v. Lucan. v. 738. Isid. §. 13. 32. — 278) v. Isid. §. 21. 279) Sic M. L. *inchola* B. — 280) Sic M. *sompno* L. B. — 281) Sic B. L. *praessum* M. — 182) Sic M. L. *crocodillum* B. Eadem varietas redit v 309 et 714. Medii aevi scriptoribus usitatior est forma *cocodrillus*. V. *Guarini* Veronens. Vocabul. — 283) Sic M. L. *quid* B. — 284) Sic M. L. *saniae* B. — 285) Sic M. L. *laetiferam* B. — 286) *em7l'r* B. v. Lucan. v. 701. v. Isid. §. 21 — 287) *libies* codd v. Lucan. v. 805. — 288) Sic M. L. *fluit* B. — 289) *o* supra vers. add. B. — 290) Sic M. L. *quod* B. — 291) Sic M. B. *spes* L. *o* supra v. add. B. v. Lucan. v. 723 Isid. §. 31. — — 292) Sic M. B *ne* L. — 293) Sic M. *suus* L. B. — 294) Sic M. B *viciante* L. — 295) Sic L. B. *nichil* M. — 296) Sic M. L *soliti* B. — 297) *id studium* L. Cett. *studii*. — 298) Sic scripsi e conject., *vivum* B. *vinum* M. *univit* L. — 299) Sic M. B *defuncta* L. — 300) *oblinat*. M. e corr., in textu est *oblinet*, sed *oblinat* L. B. Construe: *Livor ruminat id studii*, i. e. *tractat, ut unum defuncti decus*, i. e. *decus famae, ut sinister interpres oblinat qualibet macula*. — 301) Sic M. L. *non* B. — 302) Sic M. *hic cerberus* B. L. — 303) *in nichilum* B. M. B. L. — 304) Sic M. L. *thesiphone* B. Hermannus in margine exempli sui confert

Sic, sic cum domina terris virtute fugata
In numero [305]) vitiis cedat arena [306]) maris,
Cum morum plures aestivo pulvere sordes
Divinum misere polluerint hominem,
Prae cunctis mundo nunc par nequam dominantur [307]),
Pestis avaritiae morsus et invidiae.
Haec duo nunc aevi palmam retinendo nocendi
Orbem virtutis evacuant radiis.
Altera virtutis ascribens [308]) praemia nummis,
Altera viroso dente terens solidum.
Col. Br. fol. 196 a. col. 1. His nunc consulibus, hoc nunc regnante senatu
Si quis tu, si quis tertius [309]) a superis
Lapse Cato vel Phoenix [310]) alter te tibi spondes
Purae virtutis egregium penetral,
Haec tam monstra duo [311]), maculam quam criminis omnem,
Expallens caveas ut furiale nefas;
Sic utroque tamen careas, merearis ut unum:
Cum non invideas, invidiare [212]) volo.
Uret livorem fulgor virtutis amara
Tabentem [313]) macie perpetuo crucians.
Hunc te rodentem, rabido te dente petentem [314]),
Hunc se tam stolido pectore, quam tumido
Inflantem tibi, nec [315]), si rumpitur [316]), aequiparantem
Ut misere [317]) miserans mente pia toleres.
Hunc odio nunquam dignatus ab hoc quid agatur [318]),
Dicas stultitiae, non fore [319]) nequitiae.
XIII. Ut [320]) peccare velis, praecium [321]) tibi sordeat orbis,
Integritas animi sit diadema tibi:
Experiendo scies, quod [322]) culpae pena [323]) satelles,
Clauda licet tardet, certa tamen veniet;
Ultro, citro; cito, sero manebit pena scelestum:
Declinare nequit mens mala, quod meruit.
Fastu sublimi cum Caesar Julius orbi
Servitii frena [324]) fervidus imprimeret [325])
Et rerum summa jam libertate repressa [326])
Solus tunc Romam cerneret esse [327]) suam,
Divina quidam praesagus mente kalendas
Illi praedixit vindice [328]) quando [329]) manu.

---

*Barth.* Adv. p. 112. — 305) i. e. *quod ad numerum attinet, numero.* — 306) Sic B. L. *harena* M. — 307) Sic M. *dominatur* L. B. Sententia videtur esse: *ut* par dominantur *pestis* et *morsus.* — 308) Sic B. *asscr.* M. L. — 309) Sic M. B. *tercius* L. — 310) Sic M. L. *phoenix* B. — 311) Sic M. B. *tuo* L. — 312) *invidiare* est h. l. personaliter positum, ut apud Horat. A. P. 56: *ego cur acquirere pauca- invideor?* — 313) Sic M. B. *lambentem* L. — 314) In M. fuit ante corr. *prementem.* — 315) Sic M. B. *nunc* L. — 316) Alludere videtur poeta ad Horat. Epist. 1, 29, 15., ad quem locum cfr. A. *Weichert* disput. *de Iarbita Timagenis imitatore* in *Opusc.* s. *Poet Lat. Reliq.* p. 402 seqq. — 317) Sic M. B. *miserum* L. — 318) Sic M. *quod* ag. L. B. — 319) *fore* h. l. est pro *esse* dictum. Vid. not. 222. — 320) Sic M. L. *Ne* B. — 321) Sic M. *prec.* L. *pret.* B. De simili sententia confert Hermann. *Juven.* III, 57 (54): *Tanti tibi non sit opaci Omnis arena Tagi quodque in mare volvitur aurum, Ut somno careas ponendaque praemia sumas.* — 322) Sic M. L. *quia* B. per comp. *qz.* — 323) Sic M. L. *pena culp.* B. — 324) Sic M. *frenos* B. L. — 325) Sic M. L. *inprim.* B. — 326) Sic B. L. *repraessa* M. — 327) Sic L. *ipse* M. B. — 328) Sic M. L. *vincere* B. — 329) *qu'* L per comp. Rem narrat. Sueton. Jul. Caes. c. 71., quocum cfr.

Hoc nece multato, quid legum jure negato [330])
Libertas audet [331]), Roma palam faceret [332]).
Venit dicta dies et Julius omnia credens
Tuta sibi vatem sponte notando suum
Subrisit, dictae, dicens, sunt [333]), ecce, kalendae.
Ille futura videns intulit astipulans:
„Vere venerunt, sed nondum praeterierunt“:
„Laudetur demum vespere laeta dies.“
Nec mora: vallatus Caesar vadit ense senatus,
Sanguinis et bibulum sanguinis unda rotat,
Doctum, quod penam differre nequiret in horam,
Hunc nece qua meruit fixa dies rapuit.
Suffecit proprius cruor huic, cui non alienus,
Et quem non mundi climata, mors saturat [334]).
Sic dominans orbi [335]) procubuit victima mortis,
Quid [336]) foret, experiens; quod dedit, accipiens.
XIV. **H**inc et justitia [337]) quondam dictante senatus [338])
Urbe fuga lapsi [339]) cum sociis Marii.
Sulpicius quamvis tunc Romae publicus hostis
Proditus a servo procubuit gladio;
Par referendo pari servum [340]), quod [341]) prodidit hostem,
Ecce, manumitti jure pium statuit;
Prodidit at dominum quia [342]) servus, praecipitari
Tarpeja jussit rupe reum sceleris.
XV. **A**uscultes pariter, quam justa lege frequenter
Saeviat [343]) ipse malus criminis in socium.
Cum clades hominum Phalaris furialeque monstrum
Sceptra furens aulae pollueret Siculae,
Non aliquod [344]) nectar, non ulla Sirena [345]) tyrannum
Mulcent, ut diri gloria supplicii.
Huic [346]) etenim [347]) mens fervet inaudito cruciatu,
Argumenta novae tradere saevitiae.
Prava sui causa mens qua non [348]) consulit arte?
Quid non materiam nequitiae faceret [349])?
Quidam mox opifex aerarius arte tyranni
Saevitiam sperans conciliare sibi
Aere fabre fuso taurum limaverat illi
In clivo lateris limina [350]) caeca parans.
Improbus hoc penae genus hac statuebat [351]) in arte [352]),

---

not. Reimar. ad Cass. Dion. l. XLIV. c. 18. Quare non invenio, cur haec narratio mira visa sit *Hermanno* in *Analect. Catal.* p. 28, qui in margine exempli sui haec ad h. l. habet: „*Sic Philippos pro Pharsalo poeta ap. Wernsdorf* III p. 243.“ — 330) Sic M. L. B. (e corr., quum in textu sit *notato.* — 331) *audet* dictum est pro *audeat.* — 332) Verte *sollte Rom zeigen*, i. e. *quasi fato constitutum erat, ut Roma exemplo esset.* — 333) Sic M. *scis assunt* B. L. — 334) Sic M. L. *saturaut* B. — 335) Sic M. *orbis* B. L. — 336) Sic M. L. *quod* B. — 337) Sic L. B. *justitia* M. — 338) Sic M. L. *senatu* B. — 339) aut *lapsi* pro *elapsi* positum est, aut legendum est *elapsi.* B. habet *lapsus* et *socius.* Praeterea cogita: elapsi *sunt.* Eandem rem tradunt Plutarch Sulla c. X et Vell. Pat. II, 19. — 340) Sic M. L. *servus* B. — 341) Sic M. B. *qui* L. — 342) Sic M. B. *quod* L. — 343) Sic M. B. *serviat* L. — 344) Sic M. L. *aliquid* B. — 345) Sic M. B. *syrena* L. — 346) Sic M. L. *hinc* B. — 347) Sic M. L. *etiam* B. — 348) Sic B. *quid n̄* per comp. M. *quid nisi* L. — 349) Sic M. L. *faciet* B. — 350) Sic M. L. *lumina* B. — 351) Sic M. L. *struebat* B. — 352) Sic

Ut, de quo regis dira fremens animus
Cod. Br. fol. 196 a. col. 2. Irae consuleret, hic tauri claustra subiret,
Taurus supposito [353]) candeat atque rogo.
Artis in hac opera plausit faber, hic quod in uno
Donarit regem [354]) munere dupliciter:
Pravus enim pravi pravo [355]) cum conscius [356]) extet [357]),
Hoc in tormento scit sibi cara duo,
Unum, quod regis defervere feceris iram,
Candenti [358]), candens taure, satisfaciens:
Hinc aliud, quod ei musa [359]) praeponderet omni
Insanum plangens clausus in aere cavo [360]);
Quippe scit, hinc illum [361 a]) mulceri; cum miser ustus [361 b])
Scintillante fero [362]), concrepitante rogo
Utatur [363]) jam teste doloris voce [364]), videri
Tauri mugitum, non hominis gemitum.
Donatus Phalaris sibi munere convenienti
Demum laudanda saevitia [365]) fruitur:
Usus namque tyrannus digne mente tyranni [366])
His verbis paenam [367]) dictat in artificem:
Artis dona tuae prior experire, Perille!
Scilicet id fuerat nominis artifici [368]).
Mox pravus juste, nequam bene, turpis honeste
Tauri candentis dedicat hunc latebris.
Sortem sic aequam [369]) sortitus eras homo nequam,
Auceps, capte tuos sic cadis in laqueos:
Humani dum mugitus paenam tibi plaudis [370]),
Inmugis [371]) tauri primus ab ore tui!
XVI. Hac quod et ipse dedit Busiris [372]) lance recepit [373])
Legeque, quam suasit [374]), suasor hic interiit.
Aegypti [375]) tellus est nubibus altior, imbrem
Nescit, ferventi subdita signifero.
Hanc imbris vice fecundans [376]) effusio Nili
Exustam certo tempore certa [377]) rigat.
Nilum, contigerat [378]), quod anilis naenia tractat,
Hac ope praedictum destituisse solum.
Spondet aquas Phario [379]) Busiris [380]), si properata
Hospite mactato sacra Jovi fierent.
Cui rex, hospes tu! tibi, quod suades, subeundum,
Hospes aquas nobis hostia facta [381]) dabis.

---

L. B. — M. om. verba *in arte*. — 353) Sic M. L. *subposito* B. — 354) Sic M. *regem donarit* B. *regem donaret* L. — 355) Sic M. L. *pravo pravi* B. — 356) Sic M. L. *contius* B. — 357) Sic M. B. *exstet* L. — 358) Sic M. L. *candentis* B. — 359) Sic M. L. *musae* B. — 360) Sic L., ut M. e corr., in quo fuit *ab aere cavo* — *cano* B. — 361 a) Sic M. L. *hunc mirum* B. — 361 b) Sic M. L. *aestus* B. — 362) Sic M. L. *fere* B. — 363) Sic M. L. *utitur* B. — 364) Sic M. L. *voce doloris teste* B. — 365) Sic M. B. *saevicia* L. — 366) Sic B. L. *tiranni* M. — 367) Sic M. *his poenam verbis* B. L. — 368) Sic M. L. *artificis* B. – 369) Sic M. in textu, supra vers. *lucratus*, quod L. B. in textu habent. — 370) Sic M. L. *plangens* B. — 371) Sic M L. *immugis* B. — 372) Sic M. L. *busyris* B. — 373) Sic B. L. *recepit* om. M. *Busiris* est filius filiae Epaphi Lasianassae et Neptuni. Cfr. *Pentadii* Eleg. de Fortun. in Wernsdorf. P. L. M. III, p. 264. – 374) Sic M. L. *suasit* B. — 375) *Egipti* M. *egypti* B. L. — 376) Sic M. L *fecundas* B. — 377) Sic M. L *caeca* B. — 378) Sic M. L. *contingerat* B. — 379) Sic M. L. *sphario* B. — 380) Sic M. L. *busyris* B. — 381) Sic M. B. *facte* L. Est *attractionis* genus, quale extat apud

Ecce, videns[382]) memori qua[383]) mente decet[384]) memorari,
  Crimen quam[385]) certo pena[386]) tenet laqueo.
Ipsa morte magis fuge crimina, concipe[387]) justum,
  Propugnans vero pectore magnanimo;
Patronus justis, pravorum publicus hostis,
  Vi possis nulla mente quati solida.
Ut liquido siccum, nigro dissentit et album,
  Sic tibi, sic nullum conveniat vicium[388]).
Si, quid sit virtus, negligat faex temporis hujus,
  Sentina carnis more voluta suis[389]),
Tu sanae mentis spernas animalia ventris[390]),
  Te quid dedeceat propositum doceat.
Qui miles dominae virtutis castra subisti,
  Dans modo te viciis transfuga vilis eris.
Te non enervet Siren[391]) Ignavia, noli
  Monstri fallentis credere blandiciis[392]).
Illustrat studium, labor instruit, otia solvunt,
  Motu flamma carens[393]) deficit in cineres.
Si Tiphys[394]) regimen ventis[395]) daret et sibi cura
  Nulla foret, clavum jura docere manus;
Si non vitaret quosdam[396]) quosdamque secaret
  Fluctus, dans latus his puppis[397]) acumen[398]): at his
Si non stellarum Phebi[399]) lunaeque docentis
  Ex ortu, cursu, saepius ex obitu,
Ex avium gestu vario, nunc aequoris aestu,
  Aëris et nebulae vel[400]) nemorum facie
Sciret venturis componere carbasa ventis,
  Nunc haec corrugans, nunc vigil extenuans;
Si vada non fugeret, si non scopulosa caveret
  Omnia praeveniens ingenio celeri[401]),
Si non ipse trudes, antennas[402]), vela, rudentes,
  Contos cum remis prospiciens agilis,
Cod. Br. fol. 196 b. col. 1. Invicto prorsus si pectore non animatus
  Praeciperet[403]) menti suavia nolle pati,
Ipsi nec vitae parcens virtutis amore:
  Credita prima maris fluctibus Argo rudis[404])
Nunc debens arti, tetigit quod littora Colchi[405]),
  Obruta fuerit ludibrium pelagi.
Haec modo te, Tiphy[406]), splendescere posteritati

---

Propert. II, 2, 2: *Lectule deliciis facte beate meis*, de quo vid. G. T. A. *Krüger* Untersuch. aus d. Geb. der lat. Sprache 3. Heft. Braunschw. 1827. 25, 2. coll. §. 32. seq. — 382) Sic M. B *vides* L. — 383) Sic M. L. *quod* B. — 384) Sic M. L. *dicet* B. — 385) Sic M. L. *qua* B. — 386) Sic M. L. *poena* B. — 387) Sic M. L. *conspice* B. — 388) Sic M. L. *vitium* B. — 389) Alludit ad Horat. Epist. I, 2, 26. *Vixisset canis immundus et amica luto sus.* — 390) Sic M. L. *ventis* B. In hoc loco nisi corruptio insit, nescio quae sint *animalia ventris*, nisi forte vertendum sit *das Thierische des Leibes*, i. e. *voluptates corporis.* — 391) Sic M. B. *syren* L. — 392) Sic M. L. *blanditiis* B. — 393) Sic M *flamma carens motu* B. L. — 394) *typhis* M. L *tysis* B. Erat autem *Typhis* gubernator navis Argonautarum. — 395) Sic M. B. *ventis regimen* L. — 396) Sic M. B. *quosdam* semel om. L. — 397) Sic B. *pupis* M. L. — 398) *accumen* B. — 399) Sic M. L. *phoebi* B. — 400) Sic M. L. *nunc* B. — 401) Sic M. L. *sceleri* B. — 402) Sic M. *antemnas* B. *antemphnas* L. — 403) Sic M. L. *prospiceret* B. — 404) Sic M. L. *navis* B. Num leg. *ratis?* — 405) Sic M. *cholchi* B. L. — 406) *tiphi* B. *typhi* M. L.

Laude daret [407]) celebri [408]) Musa vetando mori.
Sed monumenta tui, quae post fugient sepeliri,
Idem, qui corpus, nunc tegeret tumulus,
Si non insignis vallatus robore pubis,
Quam traxit secum laudis idem studium,
Ferro cornutos ignito [409]) gutture tauros
Fecerit Aesonides subdere colla jugo,
Commisso sulcis insomnis [410]) dente draconis,
Unde ruit fratrum mox peritura seges;
Non Aeta [411]) victo, non divite vellere rapto
Ingratus vitae, pernicies patriae,
Cujus defuncti nunc vivit fulgida virtus,
Vivus defungi posceret ipse sibi.
XVII. **A**rti maternae junctum sudando laborem
Manibus extorsit Orpheus Eurydicen [412]).
Non hic frenaret fluvios, non saxa moveret,
Vellet si blandae se dare desidiae:
Sed studio dictante sagax dum [413]) temperat odas,
Musae demulcens omnia blandiciis [414]),
Stant amnes, currit lapis, excita cursibus [415]) arbos
Altera se ramis implicat alterius.
Accurrunt [416]) rubei malus floris, pirus [417]) albi,
Persicus autumni [418]), veris honor cerasus;
Fagus [419]) cum quercu [420]), juncta ruis escule pinu,
Non erat hirsutis hic mora castaneis.
Anticipans cursus vitem viduaverat ulmus,
Glandes ilicibus, nux periit corylis [421]).
Dactylus [422]) hic palmas, oleas orbavit oliva,
Carica de ficu, vitibus uva cadit.
Fraxinus et cornus veniendo volant citiores
His, quibus in pugnam materiam tribuunt,
Haec rigidis hastis, fallentibus illa sagittis;
His nec posterior populus it bicolor.
Admittit [423]) passus victoris gloria laurus;
Currit myrtus, iter discolor aequat acer.
Festinant cornus, luctum testata cupressus;
Caelibe cum platano pallida buxe venis.
Non retinent petrae te quas findis [424]) caprifice,
Non nigris moris more ruens metuis [425]).

---

407) Sic M. L. *debet* B. — 408) Sic M. L. *sceleri* B. Vir Cl. Haupt in marg. exempli sui confert Horat. (Od. IV, 8, 28.): *Dignum laude virum Musa vetat mori.* — 409) Sic M. L. *guture* B. *Aesonides* est *Jason.* V. Orph. Argon. 868 et Apollon. Rhod. 3, 404. — 410) Sic M. *insomni* B. *insompni* L. — 411) *Oeta* B. *eta* M. *etha* L. Est *Aeetes.* — 412) *Euridicen* codd. — 413) Sic M. L. *tum* B. — 414) Sic M. L. *blanditiis* B. — 415) *curribus* M. L. *cursubus* B. — 416) Sic B. L. *occurrunt* M. — 417) Sic M. L. *pyrus* B. — 418) Sic M. B. *autumpni* L. — 419) De diversis generibus *Arborum*, quae h. l. describuntur, cfr. Isid. Origg. Lib. XVII. c. 7. et Vincent. Bell. Spec. Nat. l. XII. c. 43. et E. G. Graff althochdeutscher Sprachschatz 3. Th. p. 863. zu S. 361. Z. 25 u. 26., ubi plerarumque arborum nomina, quae in hac parte carminis commemorantur, germanice versa reperies, quod mihi per angustiam spatii facere h. l. non licet. — 420) Sic M. L. *gercu* B. — 421) *corilis* codd. — 422) Sic B. *dactilus* M. L. — 423) Sic M. L. *admitit* B. — 424) Sic M. *quas findis te* B. L. — 425) Fuit in M. *metues.*

Tunc abies montana, paludes liquerat alnus,
In sicco properat [426] incola lothos aquae.
Ecce levi tilia non segnior est [427] saliunca [428],
Asper viminibus certat eundo rubus [429].
Non humiles ibi se patiuntur abesse myricae [430],
Nec canam salicem ripa tenere potest.
Non siler hic lentas praecurrit [431] molle genestas,
Aspera non olidas juniperus [432] piceas [433].
Dumus cum rusco [434], terebintus [435] cum sycomoro [436]
Currunt [437], nulla suo silva loco remanet.
Non citrus boream, non taxus abhorruit [438] austrum,
Mons redolente cedro deseritur Libanus.
Ecce, cares [439] Meröe, quae nusquam flectitur umbra,
Usta tui cancro nuda comis ebeni [440].
Se montes nudi plangunt ferventius uri,
Nudatis umbram non erit [441] aura ferens.
XVIII. Non repetebat avis [442] nidum, non bestia lustrum,
Festinant potius, quo vocat aurea vox.
Ore ferens [443] escam nudis inplumibus ales
Nescia se matrem voce viri rapitur.
Non lacus aut silva [444], non campus, non mare, non mons,
Non aliquod flumen quamque moratur avem.
Advolat herodius [445], postponit aquas alietus [446],
Insula non tenuit te, phasiane [447], Phasis [448].
Cod. Br. fol. 196 b col. 2. Adveniunt ornix [449], onocrotalus [450], attagen [451], orix [452],
Unicus et phenix [453], plurimus atque parix [454];
Qui nescit potum, sed tingit aqua comedendum [455],
Porrigit et rostro cum pede porphirio [456];
Charadrius [457] vitam spondens qui [458] respicit aegro,
At contra [459] mortem, si negat huic faciem;
Attacus [460] et turdus, turdela, nitedula [461], sturnus,
Vultur nare sagax et fluvialis anas.
Nec desunt passer galloque comes vigil anser,
Ales noctis amans diruta [462] nicticorax [463],
Alta gradu, virtute minor, brevis ardea caudae,

---

426) Sic M. B. *proprias* L. — 427) Sic M. B. *it* L. — 428) Sic M. L. *saliuncae* B. — 429) Sic B. *ruber* M L. — 430) *miricae* codd. — 431) Sic M. B. *praecurt* L. — 432) Sic M L. *juniperas* B. — 433) Sic M. L. *pineas* B. — 434) Sic M. *rusto* B. *risco* L — 435) Sic B. *terebintus* M. L. — 436) *sicomoro* M. L. *siccomoro* B. — 437) Sic M. B. *currit* L V. Ruddimann Instit. ling. lat. T. II. p. 29. not. 1. et 62. — 438) Sic M. B. *adorruit* L. — 439) Sic M. L. *carens* B. — 440) Sic L. *hebeni* B. *habeni* M. Cfr. Lucan. Phars. X, 304. — 441) Sic M. L. *erat* B. — 442) De diversis *Avium* generibus cfr. Isid. Origg. l. XII, c. 7. et Vinc. Bellov. Spec. Nat. XVI, 18. seqq. et Graff althochdeutscher Sprachschatz Th. 3. p. 434. seqq. — 443) Sic M. L. *furens* B. — 444) Sic M. L. *silvae* B. — 445) Vid. Vincent. c. 95. — 446) V. Vinc. c. 25. — 447) Sic M. L. *phasione* B. — 448) Sic M. L. *phasus* B. — 449) Hujus avis nomen nusquam alibi reperi. — 450) Sic M. L. *onocrothalus* B. — 451) *athagen* M. L. *aitagen* B. — 452) Hujus animalis ut *avis* nusquam mentionem fieri memini, nisi quod apud Graff p. 437. extat: *Parra, orix.* Nam apud Vincent. Bellov. l. XIX, c. 98. *orix* inter *bestias* numeratur. — 453) Sic M. L. *poenix* B. — 454) Sic M. L. *pharix* B. — 455) Sic M. L. *commed.* B. — 456) Sic M. L. *porriphio* B. — 457) *caradrius* M. B *caradius* L. — 458) Sic M. L. *quae* B. — 459) Sic M. B. *e contra* L. — 460) *Attacum* commemorat Vincent. c. 114 Graff p 436: Weihir, Weiher, attacus. — 461) Sic M. B. *phicedula* L. Sed *ficedula* redit v. 600. — 462) num *diruta* pro *diruens* dicta? — 463) Sic M. B. *nicticorax* L.

Nomine testatus quid sit et opimachus [461];
Opimachus [465] Graece, serpentum pugna Latine
Cum sonat [466], est sciri, quid [467] sibi sit studii;
Et vicibus gratis qui nutrimenta rependis
Effetis patribus, paste merops apibus;
Florula [468], bitriscus [469] celsique monedula fastus,
Conscia nec nisum scilla [470] timens socium
Filia delicti, luctus pater, ambo capilli
Inmemores uno gaudet uterque sono.
Hic et quae pernix immunda [471] dolosaque perdix
Alis compede [472] nunc, ut prius arte vigens.
Vir [473] prius haec ex spina piscis erat tuus auctor
Circine [474], serra tuus; fecerat ars sua vos [475];
Cum corvo cornix, cum furfurione [476] coturnix,
Cum fulica mergus, cum grue pellicanus,
Cum laro ciris, cum frigello [477] garamantis [478],
Iox [479] cum quacara [480], butio [481] cum stridula,
Cum merula gradipes [482], cum turture rauca palumbes,
Tendit cum pico pica loquax vario.
Graculus alaudae comes, ortigometra [483] pelorae [484],
Non metuunt [485] dictum de capiendo [486a] capum.
Crederet hic pullos milvo gallina, columbam
Mollem non rostrum terret hians aquilae;
Humani mulcet cygnum [486b] dulcedo canoris,
Hamatos ungues non [486c] timet accipitris;
Fassa [487] creatus Itys [488] Procnen in irundine [489] nescit,
Inmemor hac [490] coctum [491] se genitrice patri.
Sis [492] licet elinguis et pelex [493] facta sororis,
Non cristatus epops [494] te, Philomena, movet.
Capta melo colubris inimica ciconia parcis,
Ominis et diri garrula parra taces.
Non cum curruca [495] cuculi dolus alterat ova:
Herculis haut [496] metuunt Stymphalides [497] pharetram.
Ossifrange lyram [498] meditans non conteris ossa,
Non ibis [499] spurca spurca vorare [500] vacat.
Quae mulcet [501] cantans mulcetur acredula cantu,

---

461) Hic versus est e B. L., quorum L. habet *quis.* In M deest. — 465) Sic codd. pro *ophimachus.* Vid. Vinc. c. 114. — 466) Sic M. *sonet* B. L — 467) Sic M. L. *qui* B. — 468) Hujus avis nomen nusquam alibi reperi. — 469) Sic M. B. *pitriscus* L. Avem ipsum non novi. — 470) Vide de *fabula*, quae h. l. spectatur, Ovid. Met VIII, 80. — 471) Sic M. L. *inmunda* B. — 472) Sic M. *et pede* L. B. — 473) Sic M. B. *ut* L. — 474) Sic M. B. *corcine* L. — 475) Sic M. B. *fors* L. De fabula ipsa vid. Ovid. Met. VIII, 250. et Isid. LXIX, 19, 9. — 476) Sic B. *phurfur.* M. L. — 477) Sic M. *fringello* L. B. — 478) Sic M. *garamanthis* B. *gugamantis* L. Nomen nusquam reperi. — 479) Sic M. *ixon* L. B. Avis ignota, nisi forte legendum sit *Ibox* vel *Ion*, de quibus avibus v. Vinc. c. 154. – 480) de *quacara* nihil novi — 481) Sic M. *butio* B. *pucio* L. Videtur leg. *buteo.* — 482) Sic L. *gradirupes* B. *gadipes* M. Avem non novi. — 483) *ortogometra* M. *ordogometra* L. *orthog.* B. — 484) *pelorem* avem nescio. — 485) Sic M. L. *metuum* B. — 486 a) Sic B. L. *mettiendo* M. V. Isid. l. XII, 7, 57. — 486 b) *cignum* codd. — 486 c) Sic M. L. *nec* B. — 487) *Fassa* est *fasunus.* — 488) *itis* codd. De fabula vid. Ovid. Met. VI, 455. seqq. — 489) Sic M. *hir.* L. B. — 490) Sic M. B. *ac* L. — 491) Sic M. L. *costum* B — 492) Sic B. *si* M. L. — 493) Sic codd. — 494) Sic B. L. *epos* M. — 495) Sic M. L. *corruca* B. — 496) Sic M. *haud* L. B. — 497) *stimphalides* M B. *stiphalides* L. — 498) Sic L. *liram* M. B. — 499) Sic M. B. *ibi* L — 500) Sic M. L. *vocare* B. — 501) Sic M. L.

Dulce sonans audis dulcia corydalis [502]).
Jactat [503]) cum collo [504]) caudae spectacula pavo:
Capte [505]) lyra [506]) nescis psittace [507]) *chere* tuum;
Nec retines volucrem tribuis cui cardue [508]) nomen,
Non [509]) ficus dulcis est mora ficedulis [510]).
Alcyones [511]) aderant, fetis quibus aequore, mirum [512]),
In brumae medio motus abest pelago.
Quarta dies pasci, per se quos tercia [513]) nasci
Miratur pullos, o speciale datum!
Septima plumatos, bis septima cernit adultos;
Hoc [514]) tandem facto bruma redit pelago.
Non te cum nido [515]), quem cinnamus arbor honestat [516]),
Cinnamolge [517]) venis, cinnamon hic redoles [518]),
Et quae pennarum candenti [519]) lampadis instar
Lumine demonstras [520]) ernica [521]) noctis iter.
Mennonides [522]) assunt, quos [523]) quarto mittit in anno
Aegyptus [524]) Trojae Mennonis ad tumulum [525]),
Post planctum tridui, qui [526]) rostro saevit [527]) et ungui
Illic enectas dant velut [528]) exsequias,
Et quae de sociis volucres factae Diomedis
Dum Graecis plaudunt [529a]), quid fuerint, referunt.
In pennis aquilam similans, per membra leonem,
Tunc non hostis equi [529b]) gryphis [530]) adest quadrupes.
Cod. Br. fol. 197 a. col 1. (al. man.) It pedes [531]) alatus sua struthio [532]) qui tegit ova
Pulvere congesto [533]), nec memor haec [534]) repetit;
Pulvis at immemori dans faetus [535]) esse parenti
Fota calens animat ipse carens animá.
Omine ferales nec desunt upupa, bubo,
Strix cum nocturna triste sonans ulula.
XIX. **P**raeter aves genus advolat omne, quod utitur alis,
Musca, locusta, culix [536]), papilio, cyniphes [537]),
Cum blatta [538]) bibio, cicendula cum scarabaeo,
Nulli tinnitus, nec mel apes revocat.
Huc [539]) qui debuit [540]) esse suum [541]) fuci, cabro, vespae,
Hic mulis [542]), hic equo, vespa quod est asinis [543]).

---

*mulcens* B. — 502) *coridalis* codd. — 503) Sic M. L. *lactat* B. — 504) Sic M. L. *colo* B. — 505) Sic M. L. *cape* B. — 506) Sic L. *lira* M. B. — 507) *psitace* M. L. *psitache* B. Est e Pers. prol. 9.: *Quis expedivit psittaco suum χαῖρε?* — 508) Sic M. L. *cardicie* B. — 509) Sic M. B. *nec* L. — 510) Sic M. L. *fidedulis* B. — 511) *altiones* B. *altinoes* M. L. — 512) Sic M. L. *nurum* B. — 513) Sic M. L. *tertia* B. Cfr. Isid. XII, 7, 25. et Ovid. Met. XI, 410. seqq. — 514) Sic M. B. *hic* L. — 515) Sic M. L. *nomine quem nido* B. — 516) Sic M. L. *honesta* B. — 517) Sic M. L. *cinnamolle* B. — 518) Sic M. *redolens* B. L. — 519) Sic M. *candendi penna* B. *penna candescis* L. — 520) Sic M. L. *demonstrans* B. — 521) Sic M. L. *ermea* M. *Emeriae* dicuntur ap. Vinc. c 69. — 522) Sic codd. pro *Memnonidae* et *Memnone* — 523) Sic M. *quas* B. L. — 524) Sic M. L. *egyptus* B. Cfr. Isid. XII, 7, 30. — 525) Sic M. L. *tumultum* B. — 526) Sic M. L. *quae* B. — 527) Sic M. L. *semet* B. — 528) Sic B. L. *velud* M. — 529 a) Sic M. L. *plaudt* per comp. B. — 529 b) Sic M. *hostis equis* L. *ei hestis equi* B. — 530) *griphis* codd. — 531) Sic M. B. *hippodes* L. — 532) *strucio* M. L. *strutio* B. — 533) Sic M. B. *conjecto* L. Ceterum ab hoc versu in cod. *Bruxell.* teste Oehlero alia manus, sed ejusdem saec. (XII.) incipit. — 534) L. per comp. *h'*. — 535) Sic M. *fetus* L. *foetus* B. — 536) Sic M. B. *culex* L. — 537) Sic M. *ciniphes* L. *scinifes* B. — 538) Sic M. B. *batra* L. — 539) Sic M. B. *hinc* L. — 540) Sic M L. *debent* B. — 541) *suum* est genit. plur. nominis *sus*. — 542) Sic L. *hi mulis* B. M., in quorum M. *fuci* supra vers. est. — 543) Sic M. B. *asino* L.

Huc cum pace boum venit Junonis oëstrum [544]),
  Cuncta trahit major carminis unus amor.
XX. Nec minus accurrit fera quaelibet, attonitum stat
  Auribus arrectis omne quod est quadrupes.
Bubalus [545]), ecce, ferox, tigris aspera, dromeda velox,
  En leo magnanimus, grande [546]) patens elephas,
En [547]), qui permotus ruit in venabula, pardus,
  Intenta [548]) solis pascitur aure modis.
Quem leo de parda vel pardus matre leaena
  Degenerans generat, nec leopardus abest.
Cujus adusta caro perimit gustata leonem
  Affuerat, dictus inde leontophonus [549]).
En pigargus [550]), ibix [551]), opiges [552]), cirogrillius [553]), istrix,
  Autula [554]) cum lato cornua tragelapho;
Simia deformis secumque [555]) camelus enormis,
  Acer cum damula [556]) rhinoceron [557]) timida;
Tortis equus cervusque fugax cum vulpe dolosa,
  In se non [558]) ibi se merserat ericius [559]).
Lynx [560]) aderat, cujus liquor solidatus urinae [561])
  Mire ligurium vertitur [562]) in lapidem,
Inguinis et dampno redimens te, provide castor [563]),
  Stas [564]), pelli carae nil metuendo tuae.
Stat [565]), quae fit [566]) raro genitrix panthera secundo,
  Glis somno [567]) gliscens hinc cupide vigilas.
Non rictu leo, non morsu lupus, ungue nec ursus [568]),
  Non cornu taurus, dente minatur aper.
Non timet agna lupum, non cerva leonis hiatum,
  Tigrim non hinulus, damaque [569]) capreolus.
Sub cane versatur [570]) pede demulcens lepus aures,
  Nec cavet [571]) insidias mus ibi, catte, tuas.
Se discunt onagros asini [572]), bos se videt urum,
  Mustelam meminit candida se migalis [573]).
Emersit terris, faciem qui muris et ursi
  In se praesentat, turpis herinacius [574]);
Nec minus hic aderat cum grillo caecule [575]) talpa,

544) *oestrum* h. l. trisyllabum est, ut supra v. 205. Vid. not. 183. — 545) Sic M. L. *bubulus* B. — 546) Sic M. L. *gende* B. Ceterum cfr. de diversis *bestiarum* generibus Isid. Origg. l. XII, 1. Vinc. Bellov. Spec. Nat l. XVIII, 3. seqq. et Claudian. Epist. ad Seren. — 547) Deest hic versus in M. h. l., sed sequitur post versum 651. In B. L. h. l. extat, quo rectius collocatus videtur. Ceterum vide de hoc loco, quae supra diximus in *Comment. Crit.* p. 103 lin. extr. et p. 104. — 548) Sic B. L *in te nc* (per comp.) M. — 549) Sic M. *leontophonos* L. *leontofontis* B. — 550) v. Vincent. l. XIX, 132., ubi *pigargum* inter aves numerat. — 551) v. Isid. XII, 1, 16. 17. — 552) *opigem* non novi. — 553) v. Vinc. XIX, 35. — 554) Sic M. B. *attula* L. Non novi hoc animal. — 555) i. e. *cum eo.* — 556) Sic M., in quo supra vers. add. *vel ma,* ut legatur *dama,* quod habet L. *damma* B. — 557) *rinoceron* codd. — 558) Sic M. L. *nec* B. — 559) Sic M. B. *ericeus* L. — 560) *linx* codd. — 561) Sic M. *urinae solidatus* B. L. — 562) Sic M. L. *utitur* B. Sequitur in M. versus is, quem nota 547. deesse diximus: *Et qui* (B. L. *En qui*) *permotus ruit in venabula pardus.* — 563) Cum hoc versu Hermann. contulit in marg. exempli sui Juvenal. XII, 34.: *imitatus castora, qui se Eunuchum ipse facit, cupiens evadere damno Testiculi.* — 564) Recepi hunc versum ex M. L., deest in B. — 565) Sic M. L. *stat* B. — 566) Sic M. L. *sit* B. — 567) Sic M. B. *sompno* L. — 568) Sic M. L. *nisus* B. — 569) Sic M. *dammula* B. L. — 570) *venatur* B. *uantur* L. — 571) Sic M. B. *timet* L. — 572) Sic M. B. *asinos onagri* L. — 573) In M. est supra v. *harm,* i. e. *hermelin.* V. Graff IV, p. 1033. v. *Harmo.* Cfr. Vinc. c. 132. — 574) *herinatius* M. *erinatius* L. B. — 575) M. supra vers. *o.*

Cum stellione [576]) pigro turgide gurgulio.
XXI. Nec tarde mixti genus assunt, quos famulante
Naturae vitio procreat ars hominum.
Patre lupus latrans rabiem cane matre lyciscus [577])
Et porcae mixto conditus ibris apro.
Tityrus [578]) ille gregis dux, ex [579]) ove natus et hirco,
De [580]) capra [581]) musino [582]), cui pater est aries.
Matre creatus equa minor ex asino patre mulus,
Ex asina burdo, sed patre natus equo.
Quem non invitat [583]), quae [584]) non praecordia mulcet
Musica [585]) dulcedo, quam sapit haec animo?
XXII. En pisces muti vocis dulcedine capti
Exstantes [586]) summis conspiciuntur aquis.
Non gurgustia [587]), non hamus, non retia terrent,
Quin [588]) caput emersi dulce melos capiant.
Lucius et mullus, lupus, allec, tructa [589]), thymallus [590]),
Hamio cum squilla [591]), scorpio cum sepia [592]),
Congrus, esox, anguis, lolligo, locusta, peloris,
Cum tinca [593]) glaucus, cum solea gladius [594]),
Sparus [595]) cum serra, dentex, uranoscope [596]), umbra,
Cephalus et pagrus, mytilus atque scarus;
Sepia cum [597]) polypo [598]), melanurus cum tiberino [599]),
Cum curris [600]), thynno prodite corve sono;
Sar, torpedo, lepus, squalus [601]), pistrix et echinus,
Cod. Br. fol. 197 a. col. 2. Adnatat [602]) adjuncta gramarus [603]) auranea [604]);
Non petit escaurus [605]) properans quas ruminet escas,
Dulcis eum musae sola fames tenuit.
It sale perdoctus parcis [606]) servire lacertus,
Aemulus hic magnis, aphore [607]) parve ruis.
Non tibi millago [608 a]) cedit pecten properando,
Ignarus sibi se defore [608 b]) dimidium.
Anguillae colubri cognatae mugilis astat,
Retia qui penetrat; huc volitasse putes.
Rhombe [609]) venis, mensis [610]) tantum dignate potentis,
Pauperis et loculo gobie [611]) conveniens,

---

576) Sic B. *stelione* M. L. — 577) Sic M. L. *licuscus* B. V. Isid. XII, 2, 28. — 578) Sic M. B. *tytirus* L. — 579) Sic B. L. *ex* M. Eadem varietas mox redit. — 580) Sic M. B. *deque* L. — 581) Sic M. L. *capro* B. — 582) Sic M. *musmo* L. *musco* B. — 583) Sic M. L. *invitant* B. — 584) Sic M. L. *quem* B. — 585) Sic M. L. *musca* B. De diversis *Piscium* generibus cfr. Isid. Origg. l. XII, 6. et Vinc. Bellov. Spec. Nat. l. XVII, c. 30. seqq. et Graff althochd. Sprachsch. T. 3. p. 708. — 586) Sic M. L. *extantes* B. — 587) Sic L. *gurgustria* M. B. V. Dufresne Gloss. med. et inf. lat. v. *Gurgustium*. — 588) Sic M. B. *qui* B. — 589) Sic M. B. *tructa* L. — 590) *timallus* codd. — 591) Sic B. *suilla* M. L. — 592) Sic scripsi e conject. *clepia* B. *depia* M. L. — 593) Sic L. *tinca* M. *trinca* B. — 594) Sic L. *gradius* B *graduus* M. — 595) Versus 685 et 686 desunt in M. Extant in L. B. Exciderunt in M. per repetitum voc. *Sparus*, quod est in hoc cod. pro *Sepia*, vel propter similem sonum in vocabulis *sparus* et *squarus*. — 596) Sic L. *uronoscopus* B. — 597) Sic B. L. *sparus* M. — 598) *polipo* M. B. L. — 599) Sic M. B. *tyberino* L. Piscis ignotus. — 600) Sic M. *concurris* B. L. — 601) Sic scripsi e conj., *squatus* M. B. *suatus* L. — 602) Sic M. L. *annatat* B. — 603) Sic M. *grammarus* B. *gamarus* L. Non novi piscem. — 604) Sic M. B. *auxanea* L. Num leg. *aranea*, de quo pisce vid. Isid. XII, 6, 13. Vinc. c. 43. — 605) *Escarus* est apud Vinc. c. 52. et ap. Graff p. 710.: Hûso, hausen, *escarus*, esox. *Escaurus* vero apud eundem p 709.: Erline, *escaurus*. — 606) Sic B. *parthis* M. L. — 607) Sic M. L. *afore* B V. Isid. XII: 6. 40. et Graff p. 709.: Phrilla, *afforus*. — 608 a) Sic M. B. *milrago* L. — 608 b) *defore* h. l. idem est, quod *deesse*, ut *fore* pro *esse* dicitur. — 609) Sic M. *rombe* B. *rumpe* L. — 610) Sic M. L. *mensas* B. Cfr. egregiam Juvenalis Sat. IV. — 611) Sic

Et quae [612] salmonis muraena bibendo cruorem
Cum spina careas, hunc minor ipse domas.
Adveniunt Tyrio [613] lanam potantia [614] fuco
Ostrea, concha [615] natat murice plena suo.
Qui navem figis [616], cum vix sis [617] semipedalis,
Impulsam ventis, affluis enchinais [618].
Nec capitis [619] squamas [620] obversus abest acipenser [621],
Monstravit vesci quem gula prima sibi;
Et vos, quae montes aequatis [622], grandia cete,
Esca quibus facilis urbibus aequa ratis;
Anni quae [623] sterilis dampnum quae capta rependis,
Nec balaena lates, aequor eundo movens.
Nec grex defuerat alimentum suetus utrumque
Pascua nunc terris, nunc repetens in aquis,
Unguibus armatus Nili monstrum cocodrillus [624],
Et qui fertur equus aequoris hippotamus [625].
Monstra ruunt pelagi specierum mille gregatim [626],
Non tibi grex remanet, Protheu [627], quem numeres.
Prosilit incerto gressu [628] gaudens ibi delphin [629];
Suillus cum phocis [630] gaudet adesse modis.
Sic musa dulci dulcis fuit Orphëus orbi,
Sic animal nullum negligit hoc theatrum [631];
Tot res [632] ac tantae laetantur eo modulante,
Has et quae vegetat musica laetificat.
XXIII. Occasum vitare volens Phebus [633] retrahenti
Caelo [634] se totis nisibus opposuit:
Nunc inclamat equos largas effusus habenas,
Nunc movet hos stimulis verbera continuans.
Sol urgens instat, pro se luctantur et ipsi [635]
Musae, tam suavis affore [636] deliciis [637].
Prosilit Eous, se tollit in alta Pyrous [638],
Colla tumet [639] Phlegeton [640], crura rotundat [641] Aethon [642].
XXIV. Aplanes [643] staret obluctantesque planetas
Non contra secum [644] praecipites raperet,
Non sol occideret, lux successore [645] careret,
Nec noctem tellus, umbra tui, faceret,
Si non quem [646] summae vertigo celerrima sphaerae [647]

M. L. *gobio* B. — 612) Sic B. *quem* M. L. — 613) Sic L. *tirio* M. B. — 614) *potantia* B. L. *portantia* M. — 615) Sic M. *choncha* B. *conca* L. — 616) Sic M. B. *sistis* L. — 617) Sic M. B. *sis vix* L. — 618) Sic M. *echinais* B. *echineis* L. V. Vinc. c. 49. — 619) Sic M. L. *capiti* B. — 620) Sic M. B. *suamas* L. — 621) Sic M. B. *acifenser* L. — 622) Sic M. B. *aequatis quae montes* L. — 623) Sic M. L. *qui* B. — 624) Sic M. L. *crocodillus* B. Cfr. varr. lectt. ad v. 303. not 282. — 625) Sic M. pro *hippopotamus*. L. *ippodamus*. B. *ippotamus*. — 626) Sic M. B. *gradatim* L. — 627) Sic M. L. *prothee* B. — 628) Sic M. *incerto gestu* L. *incertu gestu* B. — 629) Sic B. *delfin* M. L. — 630) Sic M. L. *focis* B. — 631) Sic M. L. *thatrum* B. — 632) Sic M. *et* B. L. — 633) Sic M. L. *phoebus* B. — 634) Sic M. L. *cado* B. — 635) Sic integer versus extat in M. L. In B desunt verba *pro se luctantur et ipsi.* — 636) Sic M. L. *afore* B. Dictum est autem pro *adesse*. V. not. 222. — 637) Sic M. L. *delitiis* B. — 638) Sic B. *pirois* L. *pirotis* M. — 639) Sic M. L. *tument* B. — 640) Sic M. *phlegon* L. *pheton* B. — 641) Sic M. B. *retundit* L. — 642) *ethon* M. L. *echon* B. — 643) Sic B. *aplanos* L. *at planes* M. — 644) Sic M. L. *setum* B. — 645) Sic M. L. *succensore* B. — 646) Sic M. B. *nq* per comp. L. — 647) Sic B. *sperae* M. L.

In se rapta facit maximus ille sonus,
Quem sic[648] ingentem, sic affirmant vehementem,
Ut parva tantus nequeat aure capi[649],
Si non mundano suus hic, inquam, fragor orbi
Clauserit[650] Orpheïae mollia plectra lyrae[651],
Stante polo nec de doctis cessare planetis
Exlex cessasset temporis ordo ratus.
Hinc molis tantae natura, sono mediante,
Tandem primaevi juris id obtinuit,
Cederet ut spacio[652] vi signorum revoluto
Alma dies noctis dando locum tenebris.
XXV. **H**ujus musa[653] viri mundum dulcedine tali[654]
Dum permulcebat[655], esse palam dederat,
Vis harmoniae[656] quod[657] rerum temperet[658] esse
Unanimi modo[659] dissona concilians
Nectit constantem de diversis et eisdem
Haec animam mundi lege rata numeri[660],
Ut liquidum sicco consentiat, ut grave puro,
Ut flammae frigus nexor adest numerus.
Et quae majoris eadem moderando minoris
Naturam mundi lex copulat numeri.
Bruma rigens, ver flore decens, ferventior aestas,
Cod. Br. fol. 197 b. col. 1.
Autumpnus[661] replens copia cornu tuum[662]
Discordes animi[663] corpus concorditer[664] unum
Conficiunt[665], numero pacificante suo.
Haec animo[666] corpus, haec faederat[667] ima supernis,
Haec mores ornat, membra dolore levat.
Naufragium mentis perpluribus haec quoque passis[668].
Portus praesentem contulerat requiem,
Et[669], quod erat multis haec corporeae fuga pestis,
His expertorum creditur indiciis.
Quidam dum juvenis vino calefactus, ut[670] annis[671]
Aedes rivalis ignibus aggreditur,
Intus quod scortum non posset habere reclusum,
Hunc nec frenaret aut pudor aut ratio,
Noctu stellarum pro consuetudine cursum
Prospiciens vigili Pythagoras[672] opera,

---

648) Sic M. B. *si* B. — 649) Sic M. *aure capi nequeat* B. L. — 650) Sic M. L. *clauserat* B. — 651) Sic L. *lirue* M. B. — 652) Sic M. L. *spatio* B. — 653) Sic M. L. *mora* B. — 654) Sic L. B. *tali* om. M. — 655) Sic M. L. ꝑdemulcet B. — 656) *armoniae* codd. — 657) Sic M. L *quia* B — 658) Sic M. B. *temperat* L. — 659) Sic M. B. *nodo* L. — 660) Sic M. L. *muneri* B. — 661) Sic M. *autumnus* B. *autumpnique* L. — 662) Sic M. B. *copia quemque tuum* L. — 663) Sic M. L. *anni* B. — 664) Sic M. L. *concorditur* B. — 665) Sic M. L. *constuunt* B. — 666) Sic M. L. *animae* B. — 667) Sic M. *federat* L. *foederat* B. — 668) Sic M. *haec quia passis* B. L. — 669) Ab hoc loco usque ad v. 789. scriptura codicis Marburg. multis partibus vetustate sic consumpta est, ut nisi integriore exemplo ascito aegre legi possit, cujusmodi praesidio quum Hermanno uti non contigisse supra in *Comment. Crit.* p. 99. indicaverim, vehementer laetatus sum, quod ipsi mihi prosperior lux affulsit. Exempla autem illa de vi artis musicae omnia hausta sunt e *Boethii* libro de Musica I. cap. 1., quorum primum est de adolescente ebrio, quem quibusdam musicae modis ac numeris emendavit Pythagoras. — 670) Sic M. L. *et* B. — 671) Sic M. B. *ignis* L. — 672) Sic M. *pytagoras* B. *pitagoras* L.

Cum mox audiret, uri[673]) tibicina[674]) tantum
Inter vina modi blandiciis[675]) Phrygii[676]),
Percepit cautus, quod tunc lascivia cantus
Motus lascivi causa fuit juveni.
Mutat Pythagora[677]) suadente modum modulator;
Mox, ut spondei succinuit gravitas,
Lascivo frontis rediit pudor, ira resedit,
Suadens fugit amor, pax et adest animi.
Accusatur[678]) ab Empedoclis reus hospite quidam:
Victum dampnavit actio judicii.
Vindice succensus dampnati filius ira
Accusatorem patris init gladio.
Quas docuit ratio mox odas pollice docto
Inflexit miserans[679]) hospitis Empedocles.
Effectu cautus fugit mors hunc, scelus illum:
Facta salus illi corporis, huic animae.
Vexatos sciasi[680]) mox absolvendo saluti
Arte modi sola reddidit Ismenias[681]).
Hac harmoniam[682]) vi ne dubites animatam,
Ut patet in multis, pleniter instrueris,
Si[683]) resonante tuba furibundior impetus ipsam
Excitat in mortis belligeros rabiem.
Ne dubites, mentem[684]) permotus quin modus apte
Junctus pacato conciliet statui,
Et cum nunc mulcet, nunc asperat et modo pacat
Affectum mentis musica temperies,
Certo certius est, hominis subsistere[685]) totum
Apte conjungi[686]) temperie numeri.
Non hominis tantum, sed rerum quicquid in orbe,
Pax elementorum lege rata vegetat.
XXVI. **H**inc a tot rebus tunc odas vatis ad hujus
Matris ut ad vocem curritur absque mora;
Hoc[687]) etenim proprium natura probat sibi rerum
Gaudeat[688]) ut simili territa[689]) dissimili.
Nec mirum dictu, quod Musa tui, sacer Orphea,
Tanti dulcoris extiterat[690]) superis:
Tartara flexisti, legem Stygis[691]) annihilasti[692 a])
Te modulante madent[692 b]) fletibus Eumenides[693]).
Mors uti postquam serpentis dente ministro

673) Sic scripsi e conject. In M est *utri*, in B. L. *uti*. — 674) Sic M. B. *tybic.* L. — 675) Sic M. L. *blanditiis* B. — 676) Sic M. *frigii* L. *phigi* B. — 677) Sic B. *pytag.* M. L. — 678) Sic M. L. *acusatur* B. Haec quoque narratio est e *Boethio* l. c. hausta, de qua copiosius disputantem vide V. Cl. *Simon Karsten* Philos. Graec. vet. Rell. Opp. Vol. III. *Empedocl.* p. 25. seq. — 679) Sic B. *miserens* L. — 680) Sic M. B. *chiaci* L. — 681) Exemplum est e *Boethio* l. c. depromptum, quo tollitur offensio Viri Cl. Frid. Hermanni in Analect. Catal. p. 28., quasi poeta de suo multa commentus esset. Sunt omnia ex antiquioribus scriptoribus hausta. — 682) *armoniam* codd. — 683) Hi duo versus 795. et 796. desunt in M., extant in B. L. — 684) Sic M. L. *mente* B. — 685) *subsistere* est h. l. *existentia*, quae a scholasticis dicitur. — 686) Sic M. L. *conjugii* B. — 687) Hi quoque versus 807—810. in Marburg. evanidam scripturam habent. — 688) Sic M. L. *gaudiat* B. — 689) Sic B. *terrida* L. Syllaba *terr* restat in M., reliqua pars vocis legi non potest. — 690) Sic M. *constiterat* B. L. — 691) *stigis* M. L. — 692 a) codd. *annichilasti*. — 692 b) Sic M. B. *moves* L. — 693) Sic M. *eumenides lacrimis* B. L.

Jure suae legis audet in Eurydicen[694]),
Comittens fidibus questum conjunx viduatus[695])
Cuncta suis[696]) lacrimis solverat in lacrimas,
Saxa fluunt lacrimis, lacrimas pluit humidus aër,
Nix quoque[697]) non Phebo, dimaduit lacrimis:
Dat Strymon fletus, se fletibus auxerat Haemus,
Liquitur[698]) in lacrimas stricta gelu Rhodope[699]);
Quaelibet hinc arbos scindens plangendo capillos
Quas sibi non boreas, decutit ipsa[700]) comas
XXVII. Expertus demum, non esse manus[701]) superorum
Fauce semel leti condita restitui,
Invia corporibus loca Ditis et horrida regna
Quaerens Eurydicen[702]) doctus adit fidicen.
Venerat ad portum, qua miscent[703]) gurgitis aestum
Flammae torrentis, sulfureus Phlegethon[704]),
Laeta fugans[705]) Acheron, cogens lugere Cocytus[706]),
Cod. Br. fol. 197 b. col. 2.
Styx, qua nil unquam tristius esse potest.
Fluctus in alta fremit, rorant[707]) aspergine nubes,
Instar glandifici[708]) turbinis unda ruit.
Huc veniunt animae, mundi quaecunque[709]) sub axe
Infrenes animo[710]) carnis erant famulae.
Has dandas flammis exspectat[711]) cimba Charonis[712]),
Tritum mundanis hac iter illecebris.
At virtus terris, quam texerit[713]) ante moratam
Divinae mentis purius ingenium,
Carnis in hospicio[714]) fuerit quae[715]) dedita caelo
Nil nisi divinum certa sibi licitum,
Haec[716]), inquam, legi Ditis non subjacet orci[717]),
Nec cernetur ab hac atra vorago Stygis[718])
Corpore deposito, sed caelos libera scandit[719])
Immortale decus postpositura[720]) polis.
Ille, scias, solum nequit[721]) hoc evadere littus,
Quem mundus mulcet, quem caro blanda fovet;
Hic scelus admissum praesentat[722]) quemque scelestum,
Istic[723]) quisque suo[724]) raptus adest vitio.
Luxus adest, trahit ingluvies servum[725]) sibi vulgus,
Cui, dum vivebat, vivere[726]) venter erat.
Heu miseri! quos districtos[727]) sibi nata voluptas

---

694) *Euridicen* codd. — 695) Sic M. L. *viduatur* B. — 696) Sic M. L. *sui* B. — 697) Sic M. *nixque* L. *nix quae* B. — 698) Sic M. B. *liquerat* L. — 699) *Rodope* codd — 700) Sic M. B. *ipse* L. — 701) h. e. *in potestate superorum. Manus* est genitivus, qui pendet e verbo *esse*, ut sit *non est manûs deorum*, ut dici potest *non est potestatis* deorum, an pro *manus* legendum est munus? — 702) *Euridicen* codd. — 703) Sic M. B. *miscet* L. — 704) Sic B. L. *flegeton* M. — 705) Sic M. L. *fugens* B. — 706) *cocitus* B. L. *chochitus* M. — 707) Sic M. L. *rorantur* B. — 708) Sic L. *glandifici* M. *grandiferi* B. — 709) Sic M. *quocunque* B. L. — 710) Sic M. B. *anime* L — 711) Sic M. B. *expectat* L. — 712) Sic B. L. *caronis* M. — 713) Sic M. *rexerit* B. L. — 714) Sic M. L. *hospitio* B. — 715) Sic M. L. *quod* B. — 716) Sic M. L. *Nec* B. — 717) Sic M. L. *orti* B. — 718) Sic B. *stigis* M. L. Similem sententiam vide in Epitaphio Lucceji ap. Wernsdorf P. L. M. III, p. 206. cfr. p. 209. — 719) Sic M. L. *scandet* B. — 720) Sic M. L. *posthabitura* B. — 721) Sic M. L. *ne quod* B. — 722) Sic B. *praesentum* M. L. — 723) Sic M. *in vis* L. *in jus* B. — 724) Sic M. B. *suum* L. — 725) Sic M. B *servit* L. Cfr. Horat. Epist. I, 19, 19.: *O imitatores servum pecus.* — 726) Sic M. L. *viveret* B. — 727) Sic M.

Mulcens Sireni [728]) Desidiae subicit,
Instar qui [729]) pecudis nullata [730]) vi rationis
Sunt numerus tantum frugis [731]), et hoc [732]) barathrum.
Ventosos levitas rapit, ira furens homicidas,
Factio versutos, ambitio tumidos.
Fraus ducit fures, mechos [733]) incesta libido,
Heu quot [734]) transmittis, livor edax [735]), Stygiis!
Hic cum blasphemis [736]) accurrit scurra bilinguis,
Affluit [737]) et ganeo, cum nebulone latro.
Hic detractores, hic nigro felle dicaces,
Commentum fraudis, ecce, dolose, luis.
Gloria vana trahis vires [738]) aurae popularis,
Quos inflat favor hinc, hinc sua credulitas [739]).
Colla catenatum, palmas post terga ligatum [740]),
Ecce trahit cupidum tetra cupido suum.
Advolat umbra recens ex omni climate mundi:
Dives, inops similis; par famulo dominus [741]):
Omnis conditio, gradus omnis, sexus et aetas,
Vir, puer et juvenis cum sene decrepito.
Non tot habet guttas Styx [742]), non tot volvit arenas,
Illuc [743]) horatim quot properant animae.
Nec [744]) rapit hos leti via simplex: ille veneno
Solvitur, ignibus hic, deficit ille fame.
Hic se praecipitat, mergens hunc obruit unda,
Immolat hunc gladius, strangulat hunc laqueus,
Hunc solis fervor [745]), hunc pestis et hunc rapit algor
Sic mors una praemit [746]) mille modis homines.
Quemlibet exspectat [747]) culpae praesens sua paena,
Respondens aequa criminibus trutina.
Stipantur stricti collo tortore [748]) tyranni,
Fortunae strepitus hić prior obticuit:
Paenas majores lucratur gloria major,
Utetur dives ditius igne Stygis [749]).
Nummis orbatus, quibus olim plausit, avarus
Cum naulo careat, quo vada mortis emat,
Audiet [750]) hic nummis os [751]) infusus liquefactis [752]),
Te quod apud superos, uret apud Stygios [753]);
Uret nolentem, quod et usserat ante volentem,

---

*discinctos* B. L. — 728) Sic M. B. *syr.* L. — 729) Sic M. B. *cui* L. — 730) Verbum *nullare* nusquam reperi; usitatiora sunt apud medii aevi scriptores verba *nullificare* et *annihilare.* — 731) Cfr. Horat. Epist. I, 2, 27.: *Nos numerus sumus fruges consumere nati.* — 732) Sic M. L. *hic* B. — 733) Sic M. L. *moechos* B. — 734) Sic B. *quod* M. L. — 735) Sic L. M in textu, in quorum M. supra vers. est *edens,* quod B. in textu habet. — 736) Sic M. L. *plusph.* B. — 737) Sic M. L. *affuit* B. — 738) Sic scripsi e conj. *jures* L. *utres* M. B. — 739) Sic M. L. *crudelitas* B. — 740) Sic M. L. *ligati* B. Cfr. Virg. Aen. II, 57.: *Ecce manus juvenem interea post terga revinctum Pastores magno ad regem clamore trahebant.* — 741) Sic M. L. *domino famulus* B. — 742) Sic B. *stix* M. L. — 743) Addidi hunc versum ex B. L. In M. deest. *Horatim* adv. temp. est *stündlich,* quod nusquam alibi inveni. In L. est *hortatim.* — 744) Sic M. B. *Non* L Cfr. Virg. Georg. III, 482 : *Nec via mortis erat simplex* ct Stat. Theb. IX, 280.: *Mille modis leti miseros mors una fatigat.* — 745) Sic M. L. *sol fervorum* B. — 746) Sic M. *premit* B. L — 747) Sic M B. *expectat* L. — 748) Sic M L. *solo torrore* B. – 749) Deest hic versus in M. *stygiis* B. — 750) Sic M. L. *audeat* B. — 751) Sic M. L. *hos* B. — 752) Sic M. L. *liquefactus* B. — 753) *stigios* codd.

Qua siccus candes, pelle bibendo sitim.
XXVIII. Sperat[754]) Eurydicem nondum transisse paludem,
Inclamat, mihi me dulcior Eurydice!
Te tuus, ecce, suam, sine te qui non suus unquam,
Quaerit, responde[755]), fert tuus, en, tibi se.
Non est, cur[756]) vivam, nisi te merear mihi vivam,
Propter te vixi, quid[757]) modo vita mihi?
Vel venies mecum, remanebo vel, en[758]), ego tecum;
Ne[759]) redeam sine te, non eris hic sine me.
Cod. Br. fol. 198 a. col. 1. Cessanti tecum mihi nil occurrit amarum,
Te tantum merear, ecce libens moriar.
Tecum communis Styx[760]) arridet mihi dulcis,
Mors mihi saeva meam, proh dolor! unanimem
Insidiando tulit: moriar, ne tollere possit:
Vivus non poteram, mortuus hanc teneam[761]),
Hanc fuerat fati[762]) me vivo tradere morti:
Ambo nos una vivimus ex anima[763]).
Hic si quid juris examinat urna Minoïs[764]),
Si respondentes[765]) cuilibet ex meritis,
Vos, o vos Manes, jus lance pari trutinantes[766])
Nunc ex jure mihi reddite, quae[767]) merui.
Vos adii vivus, defunctam reddite vivo,
Huc quae me tulerat, hinc reveham[768]) liceat.
Si quid adest justi[769]), juste decernite justum.
Mortua pro vivo viva decet redeat.
Si modo vos unam pro tempore redditis uni,
Vobiscum citius post duo nos erimus.
Sic ope tunc[770]) artis dictata canente doloris
Hic, qui debilitat, et dolor hunc animat.
Eurydice[771]) plectro, fidibus clamatur et ore
Eurydicen clangens ripa Stygis[772]) resonat[773]).
Quaelibet in portu Stygio[774]) stabulantia monstra[775])
Alternis[776]) gradibus membra movent fidibus.
Titan[778]) centimanus Gereonis et umbra tricorpor[779])
Centauri, Lapithae[780]) monoculusque Cyclops[781]),
Turpes Harpyiae[782]) colubris crinitaque Gorgon[783]),
Corpus ut hic, ibi non saxificans animam[784]),
Blandae Sirenes[785]), Sphinx[786]) callida, Scylla biformis

754) Sic M. per comp. *sperūt* — *sperant* B. *sperat ut Eur.* L. — 755) Sic M. L. *respondere* B. — 756) Sic M. B. *cura* B. — 757) Sic M. L. *quod* B. — 758) Sic M. *hic* B. L. — 759) Fuit in M. *non,* sed eras. est. — 760) Sic B. *stix* M. L. — 761) Sic M L. *teneram* B. — 762) Sic M. *hanc nec erat fati* B. *hanc nec erat fateor* L. *fati erat* significat *fato constitutum erat.* — 763) Sic M. L. *exanimat* B. — 764) Sic L. *mynois* M. *minoris* B. — 765) Sic M. L. *spondetis* B. Fortasse participium pro *respondentes estis* positum est, ut saepe apud medii aevi scriptores. Cfr. v. 59. — 766) Sic M. L. *trucidantes* B. — 767) Sic M. L. *quam* B. — 768) Sic M. L. *reveam* B. — 769) Sic M. L. *justi* om. B. — 770) Sic M B. *nunc* L. — 771) Codd. *Euridice* h. l. et mox. — 772) Sic B. *stigis* M. L. — 773) Sic B. L. *reserat* M. — 774) Sic B. *stigio* M. L. — 775) Sic M. B. *monstro* L. — 776) Deest hic versus in M. — 777) Versus 922—936. in cod. Marburg. propter evanidam scripturam aut vix aut aegre legi possunt. Quae perspicue apparent, omnia suo loco notabo. — 778) Sic B. *tytan* L. — 779) *tricorpor* extat in M. — 780) *laphitae* B. *laphidae* L. *lapite* M. — 781) Sic B. *cicl.* L. — 782) *arpyae* B. L. — 783) *Gorgon* extat in M. — 784) Verba *saxificans animam* extant in M. — 785) Sic B. *syrenes* L. — 786) *spinx* L.

Pelicis[787] ingenio monstra marina lavans[788],
Quae[789] quinquaginta pus[790] efflat hiatibus hydra[791]
Et nimio candens igne Chimaera triplex[792],
Hoc incompositas comitatu dante choreas[793]
Infernum clangor personat insolitus[794].
Oblitae cursus umbrae plausere canenti[796],
Deposuit contos immemor ipse Charon[797],
Accedens augetur opus cessante magistro[798],
Secula concurrunt[799], nauta stat, unda vacat[800].
Omnia turbanti referebat portitor orci[801],
A se transpositam jam prius Eurydicen.
Cuncta suis fidibus cessura pericula fisus
Undis non timuit credere se Stygiis[802]:
Ipsa viro tali se cimba[803] volens onerari
Sponte subit pondus facta ferendo[804] levis.
Nunquam[805] laeta prius, Charon, tua cruda senectus
Indulgens conto[806] gaudet in obsequio;
Laeta levans puppim leni[807] Styx[808] alluit[809] unda
Dimittens[810] tristis suaviter expositum.
Expositus ripae ceno non distulit odas,
Quas summas juvenis[811] matris ab ore bibit;
Quicquid jucundum resonant discrimina vocum[812]
Chordis, et[813] viva voce sagax resonat.
Blanditus vati canda rictuque trifauci[814]
Hydris[815] villosus Cerberus it[816] socius.
Exhilarant umbrae frontem praesente Megaera,
Dum lyra[817] permulcet, pena[818] dolore caret.
Ad nectar cantus[819] hilarescit ovans Rhadamantus[820],
Ridet permulsus[821] carmine trux Aeacus.
Ille suam, quam voce sonat, quam mente gerebat,
Restitui cupiens Eurydicen superis
Pro meritis loca diversos diversa lucratos
Praeteriens fundum venerat ad barathri[822],
Rex ubi tartareus nulla flecti praece[823] doctus
In penas[824] saevit, intoleranda[825] fremens.
XXIX. **E**xcedens visum niger aestuat ignis in altum
Involvens aestum turbine sulphureo,

---

*spix* B. — 787) Sic B. L. — 788) Sic M. *latrans* B. L. — 789) *quae* om. L. — 790) Sic L. *pluris* M. *pluris piis* B. — 791) Sic M. L. *efficit iatibus ydra* B *ydra* codd. — 792) *triplex* extat in M. — 793) Sic M. L. *hoc* B. — 794) Verba *dante choreas* extant in M. — 795) *insolitus* extat in M. — 796) Verba . . *ere canenti* extant in M. — 797) Verba *immemor ipse Charon* extant in M. *inmemet* B. — 798) Verba *cessante magistro* extant in M. — 799) Sic L. *cuncurrunt* B. *Secula* autem sunt h l. *homines*. V. Forbiger ad Lucret. II, 503 p. 253. — 800) Verba *nauta stat, unda vacat* habet M. — 801) Verba . . *anti referebat portitor orci* habet M. — 802) Sic B. *stigiis* M. L. 803) Sic M. L. *cymba* B. — 804) Sic M. L. *ferenda* B. — 805) Sic M. L *nunquam* B. — 806) Sic M. L *certo* B. — 807) Sic M. L. *levi* B. — 808) Sic M. L *strix* B — 809) Sic B. *ablait* M. L — 810) Sic M. L. *dimitens* B. — 811) Sic M. *umquam* B. L. — 811) *discrimina vocum* sunt apud Virg. Aen. VI, 646. *jocundum* B. — 813) Sic B. L. M. (e corr. a m. 1., fuit *sen.*) — 814) Cfr. Virg Aen VI, 417. *Cerberus haec ingens latratu regna trifauci personat.* — 815) *ydris* M. B. *hydrops* L. — 816) Sic M. L. *id* B. — 817) Sic B. *lira* M. L. — 818) Sic M. L. *poena* B. — 819) Sic B. L. *annectit* M. Cfr. Persius prol. extr.: *Picas cantare credas Pegaseium nectar.* — 820) Sic M. *adamantus* B. *rodamantus* L. — 821) Sic M. B. *permixtus* L. — 822) Sic B. *baratri* M. L. — 823) Sic M. *prece* B. L. — 824) Sic M. L. *poena* B. — 825) Sic M. L. *intollerunda* B.

In cujus [826]) medio majestas fulta [827]) tyranni
  Ardens incendit quos facit ipsa [828]) reos.
Circumstant stridor cum planctu, fetidus [829]) horror
  Et quicquid penae culpa parens genuit.
Hic gemitum cordis dum plectro credidit artis
  Dulcisonans [830a]) vates, Eurydicen iterans,
Odas plus undis te, Tantale, jam sitientem
  Exspectant [830b]) facili poma [831]) tenenda manu.
Qui nunquam fibris vultur fidium satur [832]) odis
  Immortale [833]) jecur crescere [834]) nunc [835]) patitur.
Tunc dediscenti lubrica statione revolvi [836])
  In saxo residens, Sisyphe [837]), te recreas.
Stirps Danai patiens siccari qua [838]) replet urnam,
  Quas perdat refluas sumere cessat aquas.
Turbine rapte rotae qui te sequeris fugientem
  Ixion [839]) cessas, stat rota, turbo perit.
Non terret torvum lapsura [840]) silex Catilinam,
  Perlambunt [841]) flammae mitius Aloïdas.
Orbam [842]) quae [843]) matrem nec [844]) respexit revocantem
  Ex thalamo patrui regna tenens erebi [845]),
Immotam lacrimis quam [846]) Styx [847]) stupuit genitricis,
  Fletu mota viri, fletibus ecce suum
Cogit, ut obtineat nunc orbus [848]) conjuge conjunx,
  De nata genitrix quod sua non meruit.
Miratur flecti frendens furor [849]) ipsius orci
  Mansuescendo [850]) stupens [851]) se [852]) periisse [853]) sibi.
Flectuntur Furiae mutantes fataque Parcae,
  Quae rupisse dolent fila [854]) legunt hilares.
Jam doctis [855]) flecti qui nescierant misereri,
  Quos mulcent gemitus, laetificant lacrimae,
His, inquam, flexis, his velle rogata coactis
  Odis empta viro redditur Eurydice [856]).
Sed quod [857]) sic iterum sperabant Orphea Manes,
  Legem non meritus lege [858]) ligatur amans;

---

